D. Michaelis Alberti ... Introductio in universam medicinam tam theoreticam quam practicam. Certis positionibus comprehensa, imprints in usum auditorii sui edita, qua verus et sincerus nexus inter theoriam et praxin, per praecipuas medicinae systematicae partes peculiari studio commonstratur et hoc ordine physiologia et pathologia medica praemittitur / [Michael Alberti].

Contributors

Alberti, Michael, 1682-1757.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Litteris & impensis Orphanotrophei, 1718.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/d2xhuyed

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

62024/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

ALBERTI, M.

4 – 0

W2



D. Michael Alberti,
in Regia Friderician. Professor
Med. Publ. Ordin. et Philos. Natur.
Extraordin. Academ. Cæsar. Nat.
Curios. Collega.

g. t 23

D. MICHAELIS ALBERTI
IN REGIA FRIDERICIANA PROF. MED. PUBL. ORDIN. ET
PHILOS. NATURAL. EXTRAORD. ACAD. CÆSAR.
NAT. CUR. COLLEG.

INTRODUCTIO
IN
UNIVERSAM MEDICINAM
TAM THEORETICAM QUAM PRACTICAM,
CERTIS POSITIONIBUS COMPREHENSA,
IMPRIMIS
IN USUM AUDITORII SUI EDITA,
QUA
VERUS ET SINCERUS NEXUS
INTER
THEORIAM ET PRAXIN,
PER PRÆCIPUAS MEDICINÆ SYSTEMATICÆ PARTES PECULIARI
STUDIO COMMONSTRATUR
ET HOC ORDINE
PHYSIOLOGIA ET PATHOLOGIA MEDICA
PRÆMITTITUR.

ROYAL SOCIETY OF LONDON · MEDICAL SOCIETY



HALÆ MAGDEBURGICÆ
Litteris & impensis ORPHANOTROPHEI. M DCC XVIII.

PRÆFATIO.



Iciſſitudo rerum humanarum ita multiplex & abſtruſa eſt, ut difficile videatur, in quo animum demum acquieſcere queat, dum huc illuc diverſis perſvaſionibus diſtrahitur, & in tot contemplationes immerſus, dubius tandem & anxius hæret, quo ſe vertere, & quid credere debeat, ni philavtia & proprio commodo interdum occæcatus, non niſi illis aſſentiat, quæ moribus ſuis conveniunt, aut ſui ingenii fœtus ſunt; unde multæ opiniones veritatis pallio exornantur; qui ſpurius & ſubreptitius ſplendor ſi ſubtrahitur, mox larva opinionum & commentorum eluceſcit, ut deinde verum evadat *Plinii* dicterium *Lib.* 29. *cap.* 1. *in hac ſola ſcientiarum evenit, ut cuicunque medicum ſe profeſſo credatur ſtatim, cum ſit periculum in nullo mendacio majus.* Deterrere ſane quenquam poſſet a bona & ingenua cæteroquin intentione, qua ſcientiæ aut artis cujusdam commoda promoveri queunt, ſi tot ſtupendas &

magnis titulis exornatas, quin cum indignatione & rigore peroratas veritates circumcirca conſpicit, quibus tamen tam facile aſſentire haud ſecurum eſt. Quot capita, tot ſenſus & tot ferme veritates, & quisque ſane veritatis ornatu ſuperbire contendit; Sed cum veritas non niſi una & ſimplex eſt, certe plurimi hoc ornamento carere ſolent, cum diſſenſus tam copioſus exiſtat: quis inter homines facile confitebitur, quod a veritate alienus ſit, & figmentis colendis operam det! inde tot vanæ & profanæ diſceptationes, quibus tenebræ lucem oppugnant, & opinionum commenta veritatem & ſinceritatem perſequuntur. Sed commendandus merito eſt ille ingenuus veritatis character, quod ipſa in ſe ſit quieta, quod omnes invaſiones & machinationes non æſtimet, cum nihil illam turbare, impedire, aut deteriorare poſſit, cum ipſa ſit veritas, quæ ſine omni patrocinio ſe ipſam commendat, ipſa ſecum contenta ſine viatico proficiſcitur, neque invida eſt, cum ipſa poſſideat, quibus alii carent: ipſa nil operoſe adminiſtrat, ſed omnia libere & ſimpliciter committit: ipſa ſecum habitat, nam meliora neque invenit, neque deſiderat, unde ab omnibus curis libera eſt, & vanitates non attendit. Sed quid de veritatibus medicis dicam, dum alias vulgare illud opprobrium innotuit, quod medicina & opinionibus & conjecturis nitatur, quapropter jam *Plato Lib. 3. de Rep.* dixit: *Mendacium medicis concedendum eſſe, aliis vero minime.* Quam arduum vero videtur in abſconditis veritatem inquirere, tamen non adeo deſtituta eſt medicina, quin

certas

certas & evidentes veritates poſſideat, modo animus liberatus ſit a ſpecioſis, curioſis, glorioſis, ominoſis & ſuperſtitioſis ſpeculationibus, neque privatis aut individualibus commodis intentus ſit, neve ambiguitatibus indulgeat, & in alienum forum tranſcendat, ſed in ſuo ſubjecto perpendat, quæ certa & demonſtrativa exiſtunt. In ſubminiſtrandis vero ſolidis veritatum demonſtrationibus, non ſufficit proximis tantum effectibus recenſendis operam dare, ſed in pleno quodam contextu & conſenſu rem exponendam certiorare, quo ex ſolido & indubio fundamento reliquæ deductiones emineant: quare in commendandis reſpectibus medicis pro vera demonſtratione ſuppeditanda, illa etiam ſubſidia conferenda erunt, quæ vere medicas veritates adjuvant & ſtabiliunt. Non quidem hoc loco veritates medicas per quoslibet characteres deſcribere laborabo, quod neque occaſio neq; intentio mea fert; interim ambigo merito quid præfari debeam, cum præſentes opellas publici juris & uſus facere conſenſerim. Prodit jam in lucem medicina certis poſitionibus comprehenſa, in quibus non pauci, neque etiam leves diſſenſus a vulgaribus ſententiis occurrent: abſit vero a me quam longiſſime ſtudio diſſentire, nedum quidem obloqui: expono, uti quidem ſcio & ſpero, medicinam, ita, ut omnibus vere medicis conſiderationibus & reſpectibus nullam vim inferam, aut contortum & longe lateque corraſum ſenſum obtrudam: non me præconceptæ opiniones, quæ vulgo in medicina vagantur, occuparunt, neque me latet, quid ſit credulitas, ſuperſtitio, & præjudicium authoritatis in medicina, quam ut rem conſcientioſe tracto, æſtimo & inculco; etenim in hac

arte agitur de vita humana, hanc qui offendit, turbat aut perdit, ille Dei opus aggreditur & invertit, adeoque non hominibus, ſed ſummo & omnipotenti rerum humanarum judici rationem reddere tenebitur. Certe enim non ſufficit in hac arte fluxis, lubricis & ſterilibus opinionibus inhærere, aut veritatis larvam aſſumere, & vulgatum illud Galeni dicterium: in verbis ſumus faciles &c. exclamare, ceterum vero tantum medicinam, non ut artem, ſed ut rem mercenariam & opificiariam tractare; nam qui male cognoſcit, male curat. Unde forte a me expectabitur, quid de meis veritatibus ſentiam & promittam! Equidem non ſoleo meditationes meas aliis præferre, cum me tanto doctorum virorum numero longe inferiorem æſtimem: id tantum ago, ut meas conſiderationes & connexiones ſincero animo effundam, & æquo arbitrio atque digno & candido judicio exponam, quo alii obſervent, quid veritatis contineant & offerant. Imprimis vero in animo fuit hoc labore Tyronibus medicinæ conſulere, unde maxime in uſum auditorii mei has poſitiones, quas olim ex ore calamo auditorum concredidi, publicare volui. Poſitiones ſunt, quas ſoleo pluribus demonſtrationibus & explicationibus commendare, illuſtrare, & ab aliis tum objectionibus tum ſpeculationibus ſollicite repurgare: obſervavi maxime nexum tum inter ſe invicem, tum in applicatione ad uſum vere medicum, & quæ ſuppoſita tantum ſunt, adeoque utilitatem medicam magis eludunt & obſcurant, quam promovent, illa curatius evitavi. Demonſtrationes urgeo, & pro dignitate & ſufficienti neceſſitate ſuppeditare laboro; petitiones principii

tanto

tanto magis vero contradictiones deteſtor. Et ſicut Phyſiologiam & Pathologiam medicam ſuccinctis talibus theſibus comprehenſam pertractavi & præmiſi, ita annuente Deo propitio operam adhibebo, quo reliquas medicinæ partes & diſciplinas juxta ceptum hoc inſtitutum futuris temporibus pervolvam: inſuper ſeorſim commendavi conciliationem ſcriptorum, tum ab Illuſtri Dn. D. Stahlio editorum, tum etiam propriorum meorum, quo ſtudioſa juventus in ejusmodi ſpecialioribus tractationibus uberiori manuductione & informatione inſtruatur & imbuatur: intenderam etiam hoc conamine & mihi & auditoribus meis laborem quadantenus ſublevare, adeo ut hisce theſibus inpoſterum commode pro docenda & diſcenda medicina uti liceat. Et ita B. L. ſcopum præſentis laboris conſpicit, ex quo amice judicabit, quam alienus a me ſit ſcribendi pruritus, dum tot ſonticas tractationes & obſervationes exiguis quibusdam theſibus commendare ſuſcepi. Adſit divina benignitas hisce conaminibus, eademque ita dirigat & ſecundet, quo in medicinæ & ſtudioſæ juventutis commodum & emolumentum efficaciter cedant.

PARÆNESIS AD AUDITORES.

QUicunque Medicinæ animum ſuum conſecrarunt, illi ante omnia de ſalutari methodo hanc artem ſalutarem tractandi ſolliciti ſint, ne in primo ſtatim limine confuſionibus ſe committant, aut res ſuas præpoſtere tractent, & ita in reliquo ſtudii ſui curriculo defectus & errores quosdam foveant & ſuſtentent; & dum Hippocrates cœcus ille, craſſus, & cum vetuſtatis ærugine conſperſus ethnicus in *Lib. de vet. Med.* dixit, quod *ars medica digna ſit, quo Deo adſcribatur*, & in *Lib. de decent: ornat.* profitetur: quod *medicina Deos reverenter habeat, quia in morbis multa moliantur*, quid non illi faciant, qui e tenebris protracti & in lucem poſiti ſunt, qui omnipotentem unicum & verum Deum in unigenito filio Chriſto Salvatore per Spiritum gratiæ agnoſcunt & venerantur: Id ipſum eſt, quod quemlibet Medicinæ tyronem devincit, quo in prima ſtudii ſui linea bene ſibi conſulat, & de certo, ſtabili & bono adjumento proſpiciat, ne mox illotis manibus, & frivola mente hoc opus, cujus author benigniſſimus Deus eſt, aggrediatur, & humanis tantum viribus tractet: Et quod D. *Auguſtinus* de ægrotantibus dixit: *Qui ſine ſalvatore ſalutem vult habere, non ſanus ſed æger, non prudens ſed ſtultus in ægritudine aſſidua laborabit*, id etiam valet de Medicis, *Chriſtus enim ſummus medicus & archiater benedicit remediis, & ſanabitur æger*, ait *Chryſoſtomus*, ſi itaque Medicus Chriſtum præterit, & ſine illius benedictione operari nititur, tunc certe non modo nomine Chriſtiani indignus eſt, ſed

λύκος ἅρπαξ & peſtis generis humani exiſtit, qui cum omni ſua ſapientia & affectata prudentia in tenebris ambulat. Quare ante omnia alia intereſt, ut qui Medicum ſtudium exorditur, animam ſuam Chriſto ſalvatori conſecret, & ab omni vanitate, petulantia & aſotia per clementiam Chriſti liberet, & in luce atque veritate ambulet, quo perpetua divina benedictione tam in addiſcenda quam exercenda medicina gaudeat: ex eo facile eluceſcit, quod abſolute de medico & erudito & conſcientioſo requiratur, quo pius ſit, & aſſidue devotas preces ad benigniſſimum Deum fundat: unde etiam religioſi viri ab ægrotantibus primario deſiderant, quo ante medici convocationem ſe ad Deum piis precibus vertant, & meretur conciliari locus B. *Lutheri in 10. & 13. v. cap. 38. Syracidis* quo dicit: erſtlich werde fromm / zum andern laß für dich bitten / zum dritten brauche denn des Artztes; Beten hilfft mehr denn Artzeneyen / und der Prieſter thut mehr denn der Artzt / aber man iſt nicht gern fromm / darum achtet man deß Betens und der Prieſter weniger: Sicuti *Caſparus a Rejes in Camp. Elyſ. Qv. 13.* allegat, quod ſummi Romani Pontifices & inter illos imprimis *Innocentius III.* & *Pius V.* decreta medicis conſtituerint, quomodo infirmos, antequam ipſis ſuas manus adhibeant, ad hortari debeant, quo Deum ſibi antea reconcilient. Et quid ipſi Medici non agant! Deploranda & deteſtanda ſane res eſt, ſi medicus execratur & in vanis atque profanis vitam tranſigit, quando patiens precatu[illegible] & calidis ſuſpiriis vovet, quo medici labores bene cedant & ſuccedant: placet hoc loco vulgare illud proverbium ad bonam cauſam applicare, jung gewohnt / alt gethan; qui tyrones medicinæ ſub devotis precibus res & negotia ſua tractant, illi habebunt, de quo in tota ſua vita & praxi certo gaudere poſſunt. Ora vero & labora, & unum e[illegible]

faciendum, alterum non negligendum, nam qui in ignorantia perseverare vult, ordinem Dei violat, & malum comparabit thesaurum, adeoque necesse est, scientias ad medicinam spectantes, provide & assidue comprehendere, & justo ordine tractare: Sed eo ipso vero præstat ex animo excutere primam illam præconceptam opinionem, quod medicum studium maxime jucundum sit, & animum maxima amœnitate perfundat, & consumendi otii causa tractari possit; hac opinione oppleti qui ad medicinam accedunt, mox in initiis has amœnitates prosequuntur, & in novitates, curiositates & sterilitates toto animo rapiuntur, inde res necessarias & serias negligunt, & semper in alienas immerguntur: ex eo redditur animus tantum curiosus, & otiosus, aut inconstans & in multa contraria pronus: ob id interest quam maxime, ut quaslibet vanitates ex animo proscribamus, & mox ad seria nos applicemus, non vero inverso ordine medicinam tractemus; abstineant itaque tyrones medicinæ ne in initiis studiorum suorum cupido animo & immoderato fervore practicis laboribus se immisceant, & de conquirendis formulis medicis & medicamentis solliciti sint, quo irrito conamine semet ipsos ad crudam Empiriam præparant, & agyrtarum more medicinam assequuntur: ante omnia vero solerter se applicent ad Theoriam medicam, quæ anima quasi Praxeos medicæ est, & in illa recte comprehendenda non præcipites sint, sed omnem operam adhibeant, quid quod pro commoditate occasionis Theoretica collegia plus una vice frequentent, quod partim dignitas Theoriæ medicæ requirit, partim quia prima vice a tyrone medicinæ tractata theoria, juxta illud, quod omne initium grave sit, multis adhuc lacunis & defectibus laborat: Et qui in theoretico studio occupantur, caveant ne mox in primis limitibus per diversas sententias animum suum torqueant & distrahant, quin potius in theoreticis totum contextum unius sententiæ sufficienter percipiant; deinde vero aliorum sententias observent, bene perpendant, cum sua theoria bene conferant, nullo vero modo in alterius verba jurent, neve ab authoritate ullius detineri patiantur, sed bene discernant, connectant, comparent,

rent, & concludant, & ne in tali judicio perverſe procedant, agant, quo mox in primis academici curriculi initiis diſciplinas Philoſophiæ inſtrumentalis ut Logicam & Ontologiam curatius comprehendant: *unicum enim* (terrenum quidem) *eſt bonum, Scientia, inſcitia malum unicum, dixit Socrates:* unde ne innocentes animi minus circumſpecte in hominis, viri, perſonæ famam, ſenium, authoritatem aut externum qualemcunque ſplendorem cœci ruant, & contumaciter eorundem aſſertis affixi hæreant, quia ipſi dixerunt, neceſſe eſt, propriam rationem, quam Deus dedit, provide applicare, & res paſſim perceptas curatius comparare & dijudicare. Quid quod cum in medicina paſſim occurrat tractatio de moribus, inclinationibus, affectibus animi, conſvetudinibus &c. ita notitia harum animi qualitatum acquirenda erit, in Morali quadam inſtitutione, recte enim dixit *Bartholus Thurſianus* quod *non bonam corporis conſtitutionem ſolum tractet medicus, ſed ſimul etiam animi paſſiones;* & *Galenus: Medicinæ pars eſt Philoſophia morum:* & *Plato: Medici munus eſt corporis animiq; puritatem ſervare,* quæ conſideratio me permovit, quo ante aliquot annos Diſputatione quadam, una Theoretica, *Medicinæ & Doctrinæ moralis nexum,* altera vero Practica, *Therapiam morborum moralem* inculcaverim & ſignificaverim. Et cum ex aliqua parte corporis qualitates phyſicas noſſe expediat, propterea refert, quo tyro medicinæ in phyſicis aliqualem notitiam nanciſcatur; ſciat vero etiam quod Phyſica non faciat medicum, ſed imbuat animum, quo intelligat quæ interdum de corpore, ut mixto & ſtructo proponuntur: recte enim *Conringius* dixit in *Introd. in art. Med. cap. I. Sunt vero medico neceſſaria inprimis illa, in quibus tum ſanitas tum ægritudo cujuslibet partis conſiſtit: quapropter illis qui medico ſtudio plane ſe addicunt, etiam atque etiam ſuademus, ne alienis ſint occupati, anteaquam illa, quæ proprie & præcipue ad artem faciunt addidicerint, ſed iſta tam diu negligant, donec in illis ſeſe firmaverint & plus otii fuerint nacti, ingeniumque ſuum exploraverint, cum in unaquaque diſciplina recte addiſcenda ad neceſſaria ante omnia animus appellendus veniat.* Vigilent vero & attenti ſint, ne interdum faſtuoſa & imperioſa phyſica ſterilibus quibusdam perſuaſionibus, & allegoricis traditioni-

tionibus aut obſcuris definitionibus animum irretiat, & a vero ſcopo divertat: etenim nonnunquam ita audax & petulans eſt phyſica, ut medicorum campum inſultet, medicis regulas præſcribat, & ita ambitioſa evadat, ut de ſe reputet, quaſi medicinæ veritates vendat & communicet: magna enim & perpetua eſt differentia inter anthropologiam medicam & phyſicam. In ſe vero ſpectatum phyſicum ſtudium omnino egregium eſt. Ob id etiam expediet phyſicam practicam ſiue experimentalem tractare & obſeruare, quo ad minimum demonſtrationes illæ cognitæ ſint, quoniam earundem mentio interdum injicitur in theoria medica, ut exinde judicare diſcant & ſciant auditores, quam male talia experimenta, ad corpus vivum applicentur, quanta vis exinde Theoriæ medicæ inferatur & quam infelices concluſiones ex ejusmodi ſpecioſis & ſenſus curioſorum captantibus experimentis ducantur; ne itaque altera pars ullo jure nobis imputare poſſit, quaſi hos ludos jocoſos non intelligamus, commendo inter reliqua ſeria hoc etiam ſtudium. Matheſis ad medicinam docendam, diſcendam & exercendam, aut ad veritates medicas inveniendas vel demonſtrandas longe parum contribuit, unde tyroni medicinæ pro ſuo ſcopo neceſſaria non eſt; quoniam vero in ſe ſpectata & jucundum & ad alios ſcopos utile ſtudium eſt, ob id commodo tempore & poſt præmiſſas magis neceſſarias diſciplinas induſtriam ad matheſin applicandam collaudo, cum inprimis animum aliquo modo excitet, & ad alia etiam attentum reddat: qui vero ἔργον ſuum in Matheſi quærunt, experientur quam inſenſibiliter per hanc a vere medicis reſpectibus ſeducti, & in meras ſpeculationes, curioſitates atque novitatum ſtudium tracti fuerint, ut ſub rebus ſeriis & exquiſite medicis ſemper animo ſchemata, problemata, axiomata & ænigmata mathematica obverſentur, unde huc trahi meretur vulgatum illud dicterium: quis bonus theoreticus, malus practicus, quis bonus mathematicus, malus Medicus. Sed hæc cum grano ſalis intelligi debent, ne ulli injuriam facere videar, quod ab intentione mea alienissimum ſit. Et quo in Theoria medica tractationes melius aſ-

ſequa-

ſequatur tyro medicinæ, exercitationes Zootomicas & anatomicas non negligat, & aſſidue conjungat lectionem probati & perſpicui anatomici, inter quos hoc loco commendo Verheyen Anatomiam, aut Hornii Microcoſmum cum commentario Jo. Mauritii Hoffmanni, aut ita dictis Diſſertationibus Anatomico-Phyſiologicis in Hornium, nec non pro combinanda anatomia cum Phyſiologicis disquiſitionibus Bohnii circulum anatomico-Phyſiologicum præfero; ſucceſſive conciliet lecturam Craanens in Tractatu de homine: Harvei, Loweri, Gliſſonii exercitationes & tractat⁹ diverſos: Ante omnia vero manuale auditoribus meis ſint Diſputationes, Theoria vera medica, nec non reliqua opuſcula Medico-phyſico-chymica Stahlii, hæc ſcripta indies pervolvant, mea ſchediaſmata conferant, & indices in Diſputationes Stahlianas olim a me in gratiam ſtudioſæ juventutis elaboratos & publicatos aſſidue concilient, qui ſufficientem occaſionem ſuppeditabunt, in cujuslibet tractationis uberiorem explicationem inquirendi, & quæ in diſcurſibus frequenter commendantur, eadem ſine mora aſſidua & attenta lectione & relectione concilient; ſi quæ obſcura ipſis videntur, mecum communicent, neque præmaturum tædium concipiant, ſed cum patientia, continentia & conſtantia attenti ſint, & ſciant quomodo quælibet repetita lectio & ſenſum & veritatem magis illuſtrabit & commendabit: ex præjudiciis acquiſitis ne præcipitanter & præmature dijudicent illas tractationes quas percipiunt: faciles ſint ad audiendum, providi vero ad judicandum, & quæ forte ad palatum non ſunt, ne ludicre tractent, & per lepidas ſubriſiones contemnant: peſſimus enim ille diſſentiendi mos eſt. Abſtineant vero quot quot ingenuæ indolis ſunt, ab acerbis diſſentientium cenſuris, & ſua negotia tractent, neque famam aliorum violare, & injuria alios laceſſere audeant, qui modus veritatem comprehendendi haud honeſtus eſt, ſed animum præjudicioſum, immodeſtum, malitioſum & invidioſum prodit: quare prudentis animi ſignum eſt, contrarias ſententias ſine bile & convitiis obſervare, defectum illarum continenter & amice agnoſcere atque commonſtrare, non vero ignominioſe

car-

carpere, aliosque contra illas exacerbare, quod vitium ſtudioſæ juventuti perquam familiare eſt, & eandem toro animo corrumpit, ad deteſtandas litigationes excitat, & a via veritatis valde detinet. Quicunque porro ad veritatem pertingere ſperant, una aure audiant, altera vero etiam diſſenſum percipiant, denique attente judicent: illud enim hactenus in manuductionibus meis præſtiti, ut non modo noſtra aſſerta ſtudioſæ juventuti per ſolidas demonſtrationes ſignificaverim, ſed eadem cum diſſentientibus opinionibus comparaverim, & audirores ita præparaverim, quo judicium de propoſitionibus commendatis ferre poſſint: non enim ſufficit tantum ſuas opiniones obtrudere, aliorum vero aſſerta vel falſe, falſe & corrupte allegare, vel ita odioſe & ridicule proponere, quo per cachinnum magis aut facetias hiſtrionum more ulteriori animadverſione & dijudicatione indigna reputentur, adeoque primum præjudicium eo firmiores radices agat in animo credulæ juventutis. Non ita vobiscum *o Mei:* perpendite omnia, & ab omni præcipitantia alieni eſtote. Nulla dies ſine linea transeat, unde & collegiorum viſitationes & privatarum lucubrationum continuationes conſtantes ſint, & ab intervallis vacuæ; nihil enim magis ſtudiorum ſeriem & ordinem offendit, quam frequens intervallum, quod nexum ſcientiarum ſolvit, & ſcientiam reddit mutilam atque confuſam: neque etiam conducit affectata præmatura ſapientia, nam qui ſe ſatis ſapere credit, ſpoliat ſe multiplici occaſione ad meliorem frugem & firmiorem eruditionem adſpirandi, & loco maturæ ſcientiæ ſpurium fœtum philavtiæ parit, quem cum pallio libertatis ſentiendi frivole exornat. Magnum etiam detrimentum eſt, quando tyrones medicinæ mox in alienam meſſem falcem ſuam immittunt, & priusquam in ſuo foro, quantum neceſſe eſt, inſtructi ſunt, ſublimiora petunt, & aliis ſcientiis præmature ſe conſecrant, unde certo certius emergunt nugatores & intempeſtivi critici, qui ſemper in alieno foro operantur, & plurima carpentes primario ſuo characteri ſatisfacere haud poſſunt: omnia fiant κατὰ τάξιν, & neceſſaria præmittantur reliquis: nemo ſibi aduletur, quaſi

quasi ad fastigium sapientiæ venerit: verum enim est *Themistii* dicterium *Lib. 5. Ethic. ad Nicomachum cap. 9. Maxima pars illorum quæ scimus, est minima eorum, quæ ignoramus.* Unde *Hippocrates* in *Ep. ad Democritum* confitetur: *Ego ad finem medicinæ non perveni, etiamsi jam senex sim: neque etiam ipsius inventor Æsculapius:* unde quilibet defectus suos perquirat, qui forte in academico studio suppleri possunt: nemo pudore afficiatur, quin errores suos agnoscat, & emendationes inquirat. Et qui adhuc in meo discursu hæsitant, illi tempore opportuno me adeant, suaque dubia proponant: laborabo quo evidentiorem & simpliciorem ipsis suppeditem conceptum. Quicunque vero aversantur quaslibet modestas correctiones, illi non habent quo odium in me effundant, si opportunas applicationes morales, quas non raro meis discursibus immisceo, exaudire recusaverint. Non enim virescentis studiosæ juventutis opes, quam illius commoda & salubritatem urgeo, quæro & intendo. Assiduos diligo, pios foveo, doctos desidero: & licet eruditi in hodierno tempore scateant & turgeant, est tamen eruditio multiplex, una certa, vera, utilis, necessaria, ingenua, altera affectata, inutilis, imaginaria &c. effectus interim & fructus de ipsa re testari debent. Superficiaria medicinæ cognitio & turpis & noxia est. Quod exoticas linguas concernit, quibus addiscendis operam dare possunt Medicinæ tyrones, seligo potius præ orientalibus, occidentales, Gallicam & Italicam, quo adhuc Anglicam refero: græci enim & Arabes scriptores medici, quantum sufficit & proficit per idoneos interpretes prostant: priores vero lingvæ eo magis utilitatem suam exhibebunt, quo magis medicis usu receptum est, has nationes visitare. Et dum imprimis in Theoria medica necesse est, quo morborum Historia rite innotescat, ita *Lomii observationes medicinales* pro hoc labore & studio collaudo, licet sub reliqua sedula Stahlianorum scriptorum lectura solida & sincera morborum indoles & historia inclarescet. Rebus seriis intermiscere licet botanica exercitia, quæ ita tractet medicinæ tyro, ne digniora magisque necessaria negligat. Hæc sunt, quæ in compendio exarare volui, in com-

modum illorum, qui modo Medicum ſtudium aggrediuntur: unde hanc admonitionem præmiſi parti Theoreticæ Medicinæ; illis enim qui jam Theoriam medicam comprehenderunt, & ſufficienter intelligunt, adeoque ad altiores medicinæ partes adſcendunt, alia conſilia ſuppeditanda ſunt, quare præſens mea adhortatio non ultra ſuam juſtam ſphæram extendenda erit. Huic itaque conſilio quicunque auſcultabunt, habebunt quod per integrum annum tractent, & de juſta theoriam medicam tractandi ratione gaudeant: quare Veſtrum erit commodum, Auditores, ſi in decenti ordine ſtudium medicum tractabitis: non eſt quo hac vice plura addam: Deus annuat noſtris laboribus, quo ad vota noſtra ſuccedant.

FUNDAMENTA MEDICINÆ THEORETICÆ.



I.

Uemadmodum Medicina, â benignissimo Creatore, originem suam & primævam institutionem ducit, ita & religiose & conscientiose tractari debet, omisso nimiæ & propriæ confidentiæ præjudicio, quin rectius superiores concursus atque vires attendendo, exorando & expectando.

Conf. Stahlii Disp. de Deo veræ medicinæ autore.

II. Dum enim Medicina proprie Artem conservandi & sanandi complectitur, Therapia vero sani corporis Cynosura est Therapiæ artificialis, illa subinde a natura humana dependet, quam corpori indidit, & viribus hisce instruxit & beavit Deus: ita methodi medendi auctor est Deus.

Conf. Stahlii Disp. de Therapia sani corporis.

III. Sicuti itaque ortus Medicinæ tam divinus & celebris est, ita maxime refert hoc studium sine ludicris & otiosis phantasiis & figmentis tractare, neque talia immiscere, quæ ordinem Dei perturbant, aut plane obliterant, præprimis vero interest abstinere a temerariis & negligentibus studii Medici tractationibus.

IV. Ut ut porro Medicina proprie Ars est, i. e. habitus cum recta ratione effectivus, ita necessario eo requiritur usus rectæ Rationis, uti vulgo Ratio & Experientia pro fulcris essentialibus Medicinæ recte reputantur & commendantur.

V. Si enim Medicina sine ratione procedit, cœca & nude empirica, variis tentationibus & temeritatibus immersa, quin potius perniciosa, quam fructuosa est.

VI. Sollicite itaque eadem cum ratione est combinanda & exercenda, ne-

que ad Hippocratis monitum, a ratione discedendum est, modo eadem sit ingenua, integra, tranquilla, neque præjudiciis favens & intenta.

VII. Hinc duplex est Medicina, Theoretica una, altera Practica, utraque vero bene, sincere, perspicue & proxime cohærere debet, ita ut una alteram confirmet & augeat.

Conf. Stahlii Progr. Quis bonus Theoreticus, malus Practicus.

VIII. Etenim pessimus Medicinæ Character est, si exclamatio percipitur, quasi Theoria medica adhuc sit incerta, imperfecta ac dubia, qualis illis est, qui certiorem neque agnoscunt neque admittunt, aut suam tantum pro certa & infallibili æstimant.

IX. Maximopere vero sit Medicina vacua a vana opinione & conjectura: utraque enim de incertitudine Medicinæ constans testimonium perhibet.

Conf. Stahlii Progr. de Opinionibus Medicis.
Tract. meus de Pædantismo Medico. de Opinionibus Medicis. cap. 4.

X. Eo magis expedit conjecturas evitare, quia hoc vulgare opprobrium Medicinæ existit, quod sit studium conjecturarum sive conjecturandi, ex quo certitudo & veritas Medicis denegatur, quia corpus introspicere, & quid in illo occurrat, perspicere nequeant: inde proverbium innotuit: Mentiris ut Medicus.

Conf. Progr. Stahlii de Medico Stochasmo.
de Autoritate & Veritate Medica.
de certitudine artis medicæ. & de antiqua veritate artis medicæ.

XI. Operatur itaque Medicina rationalis per Rationem, quando historiam Vitæ, sanitatis & morborum apprehendit, eamque per causas suas enucleat, & exhaurit.

XII. Ratio vero perpetuo nititur Experientia, sin secus contingit, evadit speculatio.

XIII. Quare Experientia suppeditat documenta sive speciem facti, quam explicat, illustrat, connectit & applicat ratio.

XIV. Ratio communiter promittit Theoriam: & Theoria medica evadit fundamentum Praxeos Medicæ, sine illa enim, hæc nuda & temeraria Empiria est, & solum per experimenta & mortes aliorum vadit & discit.

Conf. Progr. Stahlii de Empiria.

XV. Experientia contra nititur Ratione, dum Experimentum nondum Experientia existit, & illud nondum per viam rationis decurrit, sed in nudo tentamine & exploratione aut observatione primi effectus consistit.

XVI. Est enim experientia multiplex & diuturna observatio practica, de diverso, maxime vero salutari, progressu morborum, ex parte etiam remediorum, morbis oppositorum, aut consiliorum.

XVII.

XVII. Experimentum vero eſt unus vel alter auſus practicus, nihil certi, conſtantis fidique declarans, ſed in ambiguo adhuc oberrans.

Conf. Stahlii Progr. de Experimento fallaci.

XVIII. Dum itaque Ratio principale fulcrum Medicinæ eſt: ita in Medicina comprehendenda, primario ſtudio opera danda eſt, ut Theoria Medica innoteſcat.

XIX. Eſt vero Theoria Medica certa, fida & conſtans cognitio rerum de homine, tam ſano quam ægrotante, per cauſas veras, ſimplices & evidentes, connectendarum & applicandarum.

Conf. Stahlii Diſp. de fundamentis Theoriæ medicæ.

XX. Requiritur ad Theoriam Medicam Cognitio rerum, quæ fiunt & occurrunt in ſtatu vitalitatis ſive integræ, ſive periclitantis.

XXI. Hæc audit Hiſtoria medica, quæ verſatur circa res facti, minime vero circa res poſſibiles.

Conf. Stahlii Progr. de Hiſtoria medica practica.

XXII. Nihil enim magis Medicinam confundit & impedit, quam occupatio circa res quæ fieri poſſunt, & non quæ fieri ſolent.

XXIII. Et in eo differt etiam Hiſtoria ſimplex ab Obſervationibus hodiernis vulgaribus, quæ communiter rara, curioſa, ſpecioſa & admiranda commendant.

Conf. Stahlii Diſp. de fundamentis emendandæ Hiſtoriæ clinicæ.
Progr. de Criterio Hiſtoriæ morborum.

XXIV. Quo reſpectu obſervationes Veterum nihil aliud ſunt, quam indagationes hiſtoriæ morborum ſimplicioris, Neotericorum vero obſervationes magis inſolitos & mutatos morborum ortus & progreſſus concernunt.

XXV. Deinde pertinet ad Theoriam Medicam, cognitio cauſarum proximarum, ſimplicium, perſpicuarum, non ſcrupuloſarum aut univerſalium, aut e diverſo foro corroſarum.

XXVI. Sunt vero ſpecimina ejusmodi cauſarum univerſalium accuſatio Naturæ (quatenus nuda vox eſt) archæi, Spiritus vitalis, virium motricium, inæqualis motus ſpirituum, certæ diſpoſitionis corporis, æternarum legum motuum, & quomodocunque aliter exprimatur, Obſtructionum, Scorbuti, malignitatis, acrimoniæ ſangvinis, Cacochymiæ Scorbuticæ, ſalium nocivorum & ſylveſtrium, virtutis archæalis, mumialis, magneticæ, fermentationis, efferveſcentiæ, conſenſus generis nervoſi, dyſcraſiæ acidæ, alcalinæ, muriaticæ, ſaponariæ, gratæ & ingratæ ſpirituum ſenſationis &c.

XXVII. Cauſarum cognitio generice dicitur Ætiologia, & in morborum perluſtratione, Pathologia, quæ ſimul comprehendit juſtam & ingeniuam connexionem

xionem earundem causarum, tum inter se invicem, tum in relatione ad statum morbi & symptomatum.

XXVIII. E tali Theoria redundant in Praxin Medicam proximæ indicationes, ut videlicet rationabiliter constet, quid in sanitate & morbis tractandis committi aut omitti debeat.

XXIX. Dum vero Theoriæ Medicæ necessitas, utilitas & indoles hactenus commendata fuit: ita mox perquirenda erit totius Medicinæ forma & character.

XXX. Minime enim genium & essentiam Medicinæ exhauriunt Veterum definitiones, tum Medicorum tum Philosophorum, quæ vel nimis superficiales, vel confusæ existunt, quando asseritur, quod sit notitia morborum, tam quoad suas causas, quam quoad suas curas: aut, ut definivit Galenus, quod sit cognitio rerum salubrium & insalubrium, aut juxta Hippocratem, ablatio eorum, quæ excedunt, & additio illorum, quæ deficiunt.

XXXI. Quicquid enim in harum & similium antiquarum & certe obsoletarum definitionum honorem allegatur, illud per latos circulos errat, & crinibus, ut ajunt, huc trahitur, dum Medicina simpliciori veritate edisserendo, imprimis involvat objecti sui, nimirum corporis, statum vitalitatis, hujusque ordinem, media & requisita, quæ non nisi improprio & remoto, imo late comparando sensu ad salubria vel insalubria trahi possunt.

XXXII. Est potius Medicina Ars, vera cognitione corporis humani vivi, tam in ordinario sanitatis, quam in extraordinario ægrotationis statu, constituti nitens, ejusque conservationi, præservationi, & salvationi, per secura efficacia & probata consilia & auxilia intenta.

Conf. Progr. Stahlii de arte longa.

XXXIII. Non est quoad genus suum prudentia, nam plus involvit, quam prudentiam: licet ars hanc includat, quo nimirum res suas, prudenter, i. e. providenter, aut circumspecte gerat & exerceat.

XXXIV. Unde est habitus practicus, cum recta ratione conjunctus, & ubique juxta ductum rationis sanæ, integræ & nihil præjudicantis, operans, totam suam intentionem, non ad nudam prudentiam, sed ad exercitium practicum, prudenter tamen administrandum, dirigens.

XXXV. Hæc in rationali theoretica sua tractatione versatur circa corpus, & quidem hominis, in quantum illud est vivum & non mortuum, cujus statum sanitatis & ægrotationis nosse debet.

XXVI. Sicuti vero Medicina ars est, ita operam suam exercet conservatoriis, præservatoriis & restitutoriis actibus & occupationibus, e quibus prior, dignissimam, posteriores vero priori subministrantem operationem constituunt.

XXXVII. Et quanquam in nuda potestate Medicinæ non hæreat, ut hos actus

ctus per se administret, attamen mediante methodo & proportione vitali eosdem committit, quoad hos scopos feriunt.

Conf. Stahlii Disp. de Ministerio artis naturæ salutariter adhibendo,
mea Disput: de Motibus Naturæ cynosura medici.
Stahlii Disp. de Potestate artis medicæ.
mea Epistola de Naturæ & artis commercio therapeutico.

XXXVIII. Et hoc perficit mediis certis & subsidiis, sive consiliis sive auxiliis, quæ tamen debent esse experta, fida & utilia, ne per lubrica & fallacia experimenta & tentamina cœcis progressibus Medicina vagetur.

Conf. Stahlii Disp. de Consilio Medico.
de attentione Medico-Practica.

XXXIX. Subjectum vero Medicinæ est homo, in quantum adhuc vita præditus est, quando enim desinit vivere, excidit genuinam & propriam artis medicæ spartam.

XL. Objectum primarium est vita hominis, cuius conservationi attenta & intenta est: secundarium sanitas existit & ægrotatio, cum qua versatur, vel confirmando illam vel præservando & violatam hanc restituendo.

XLI. Quando itaque genuinum subjectum est homo, in quantum vivus est: ita minus proprie ad medicum scopum quadrat corpus exanimatum.

XLII. Falsa enim est assertio & argumentatio: quia corpus animale est corpus naturale, aut quia Physica tractat de materia & motu, in homine vero motus & materia etiam adsunt, ergo Medicina est physica specialissima.

XLIII. Notanda maxime est hoc loco differentia inter corpus humanum quatenus est physicum, & quatenus est vivum: licet uterque corporis status hodienum valde confundatur.

Conf. Stahlii Tract: de differentia vivi & mixti.

XLIV. Quamprimum enim corpus anima & vita privatum est, ex eo tempore cessat & desinit officium medici, circa illud corpus.

XLV. Inde fluit studium Anatomicum, quod solum circa corpus vita destitutum versatur, improprie ad Medicinam Practicam referri, licet ad Medicinam addiscendam, nunquam rejiciatur.

Conf Disp. de Medicina Medicinæ curiosæ
Tract: meus de Pædantismo Medico, cap. 5.

XLVI. Quamquam enim Anatomia corporis notitiam conciliet, quoad suam magnitudinem, figuram, partes, nexum, situm &c. tamen id minime indicat, quod medico practico usui proximius quadrat, aut essentialem medicinæ considerationem vitæ & vivendi.

XLVII. Etenim nuda partium cognitio non suppeditat subsidia, ad

ad cognoſcendam formalitatem vitæ & ad corporis conſervationem & reſtitutionem pertinentia, quæ e longo alio foro trahenda ſunt.

XLVIII. Neque Scrutinium corporis ſub certis morbis perempti, anatomicum, tanta ſubminiſtrat adminicula, quibuscum impoſterum ſimilibus afflictionibus, inprimis vero abſconditis, quas indagatione tali detegere ſtudet artifex, medicam opem ferre liceat: ſed indicat in qua parte radix mali hæſerit, & quomodo cum eodem affectu conſtitutum fuerit: nullo tamen propterea modo hæc ſolertia medicorum contemnitur.

XLIX. Similiter Physicum ſtudium ut plurimum circa materialia corporis occupatur, videlicet circa principia conſtitutiva, mixtionem, texturam & ſtructuram corporis, formam vero & indolem vitæ non exhaurit.

Conf. Diſp. de Medicina Medicinæ curioſæ.

L. Et licet effectus, qui per corpora naturalia exſeruntur, commendet, haud tamen convenit inadæquatas applicationes inſtituere & per metaphoras aut allegorias concludere.

LI. Et quid dicam de experimentis Phyſicis curioſis, in ſua ſphæra egregiis, ſed interdum etiam per operoſam artem extortis, in quantum vero baculus ad angulum, in tantum illa ad ſtatum vitæ & vere medicam ætiologiam concludunt.

LII. Neque etiam hæc Phyſica cognito veram rationem motuum vitalium ſuppeditat: ſed de motibus fortuitis magis, quam ad directum, & ſalutarem ſcopum deſtinatis, diſſerit, licet plenis buccis, vim motricem exclamare ſoleat.

LIII. Unde Phyſices cognitio tantum uſum Medicinæ non præbet, quantus vulgo de eadem promittitur, & cum admiratione imo indignatione declamatur: ſola enim cognitio corporis, quoad affectiones materiales & quoad effectus fortuitos longe minimam partem Medicinæ abſoluit, quippe quæ longe digniores & nobiliores animadverſiones de corpore hominis commendat.

LIV. Ut enim uno tantum exemplo amphiboliam Phyſicæ utilitatis in medicina monſtrem, notandum eſt, quod principium ita dictum aqueum illud ſit ſine quo homo fieri, eſſe, & exiſtere non poteſt, ſed quod & illud ſit per quod homo ad interitum ſuum ruit: diſpoſitio vero & directio hujus principii in negotio vitali neque ex affectione corporis, neque ex efficacia motus Phyſici, neque ex ipſa ſubſtantia principii fluit: unde inter ſpeculationes Phyſicas & tractationes medicas magna intercedit differentia.

LV. Neque in eo Medicinæ ſuppetias fert Phyſica, quaſi remediorum principia & vires expiſcetur: quippe quæ inquiſitio nimis ominoſa, fallax & dubia exiſtit, prout ad vulgarem Phyſicorum modum & morem inſtituitur.

LVI. Et ſi in perquirendis remediorum principiis non aberret aut conjecturet, tamen applicatio hujus ſcientiæ ad medicinam ut plurimum erit vana & inutilis.

LVII.

LVII. Quod porro de neceſſitate CHYMIÆ pro Medicina diſſeritur, illud ex eodem fonte fluit: videlicet quod Chymia magis ad phyſicam perſcrutationem pertineat, ſecundum quam diverſa producta ſubminiſtrat, quæ a Medicina demum aſſumuntur, & ad uſus ſalutares applicantur.

Conf. Diſp. de Med. Med. cur.

LVIII. Ut ut enim Chymica ars diverſorum experimentorum & productorum mater & nutrix exiſtit, tamen neque omnes Chymiæ fœtus maturi & neceſſarii ſunt, neque in ſe ſpectati ullo modo Medicinam, imprimis practicam emendant & adjuvant.

LIX. Idem valet de vulgato BOTANICES ſtudio, quod ſolum Corticem tractat, & nucleum omittit, dum vulgo circa ſcrupuloſam analyſin & barbaram ſæpe, atque futuræ oblivioni conſecrandam denominationem ſpecierum ſimplicium occupatur, qui labor Medicinam, qua talem non adjuvat, proptereaque Phyſicus magis quam Medicus eſt.

Conf. Diſp. de Med. Med. cur.

LX. Interea & hæc occupatio ad ornamentum magis medicinæ, quam emolumentum pertinet: quid enim medicinæ vel theoreticæ vel practicæ, imo quid phyſicæ rationali unquam profecerit cognitio an flos ſit regularis vel irregularis, monopetalus, dipetalus, tripetalus, polypetalus, barbatus, galeatus &c. dijudicet ille qui ſcientias utiles amat & otioſas fugit.

LXI. Quod deinde de MECHANICO Medicinam tractandi modo valet, illud prioribus cenſuris annumerandum eſt, non excludentes mechanicas ſimplices & proxime cohærentes rationes: ſed evitantes nimis generales deductiones aut ſteriles aſſimilationes & allegoricas tractationes, in quo ſtudium Medicum Mechanicum nimium quantum culpandum eſt.

Conf. Obſervatio mea in Appendice Obſ. Hallenſ. de uſu & abuſu mechanismi in corporibus animantibus.

Diſp. de Med. Med. cur.

LXII. Vulgaris enim methodus Mechanica deducit animum a rebus ſeriis & fructuoſis ad inutiles, dum ſublimia affectat, negligit illa, quæ ante pedes ſunt, & ex homine vivo mera automata extorquet.

LXIII. De reliquo & phyſica & anatomia & mechanica quædam ſuppeditant principia quæ tamen alio quam vulgari modo ad medicum ſcopum ducenda & applicanda ſunt.

LXIV. Incipit vero Theoria Medica a Notitia hominis vivi & ſani, cujus ſtatum & modum vivendi & ſanitatem poſſidendi exponit & inquirit, quæ tractatio vulgo appellatur PHYSIOLOGIA.

Conf. Stahlii Diſp. Sciagraphia Phyſiologiæ veræ medicæ.

LXV. Hæc Phyſiologia eſt doctrina de Natura humana in corpus ſubſtra-

tum, juſtis motibus et proportionibus, ad vitam & ſanitatem conſervandam & tuendam deſtinatis, operoſa.

LXVI. Diſcrepat a Phyſica, quod ſolum circa Naturam humanam verſetur: Phyſica vero in Naturam Univerſi pernoſcendam evagatur.

LXVII. A potiori vero incipit Phyſiologia, & ſuæ denominationi ſatis facit, dum ſermo eſt aut diſcurſus de Natura.

LXVIII. Hanc Naturam non in abſtracto, ſed in corpore humano contemplatur, ejusdemque vires i. e. Energiam & Synergiam obſervat, & ad corpus humanum ejusdemque vitam & ſanitatem ita applicat, ut motus, modos, ordines, effectus, ſucceſſus, tempora, ſcopos Naturæ commendet & illuſtret.

Conf. Progr. Stahlii de Synergia Naturæ in medendo.
mea Diſſ. de Energia Naturæ &c.

LXIX. Unde etiam Media perpendit, per quæ in corpus ſubſtratum eſt activa, nec non tale corpus in habilitate ſua materiali explicat, inquirit & fructus ſuæ activitatis, nimirum vitam & ſanitatem, & quæ cum hiſce conexa ſunt, tractat.

LXX. Cum itaque a potiori ſubjecto incipit, ita dignior eſt præ reliquis, tractatio de Natura, tanquam de cauſa ſuperiori agente & dirigente.

CAPUT I.

DE NATURA.

I.

A potiori ſubjecto exordimur tractationem phyſiologicam, quando de NATURA ſermonem inſtituimus, & Etymo Phyſiologiæ ſatis facere ſtudemus.

II. Eſt vero Naturæ conſideratio eo dignior magisque neceſſaria, quia in Theoria circa illius ſenſum communiter magnæ confuſiones occurrunt.

III. Dum enim Medicus Naturæ miniſter eſt, intereſt, quo non modo principem ſuum, ſed & ejus indolem, energiam & ordinem agendi recte pernoſcat.

IV. Naturæ accuſatio vero & notio eſt antiquiſſima: in generaliori vero acceptione, a corpore & materia aliena, proptereaque altius quid & nobilius indicare debet.

V. Siquidem ſecundum antiquiſſimum ſenſum, vel principium alicujus corporis, non tamen materiale, vel qualitatem ſingularem alicujus ſubjecti corporei Naturæ appellatio comprehendit.

VI. Communis vero & generica juxta veterum Philoſophorum & Medicorum mentem ſententia per naturam annotavit cauſam moventem aut principum alicujus ſubjecti movens.

VII. Propterea φύσις audit aut Natura, de qua nativitas, ortus & prima initia

tia alicujus ſubjecti pendent, & quæ principium nativitatis, geneſeos aut productionis exiſtit.

VIII. Ob id itidem diſtinctio invaluit, inter Naturam naturantem, [a qua omnes ſubordinatæ Naturæ & res, ſuam nativitatem & originem habent] & Naturam naturatam, quæ inferiorum ſubjectorum cauſa ſuperior eſt, & a naturante tam quoad eſſentiam, quam Energiam ſuam pendet.

IX. Si itaquæ Natura principium nativitatis eſt, & generationis, erit etiam ſine dubio principium conſervationis, exiſtentiæ & durationis.

X. Itaque denominatio Naturæ ipſam rem indicat denotatque quod hæc cauſa ſit corpore dignior & ſuperior, & ſicuti vulgo vocatur, principium.

XI. Antiquitus itaque natura pro cauſa movente habita & æſtimata fuit, quanquam circa ſpeciem ſubjecti varia hæſitatio occurrat.

XII. Ex quorundam antiquorum conſenſu & ſenſu, Natura etiam de complexione corporis prædicabatur & ad peculiares affectiones extendebatur.

XIII. Quando ob ſimplicitatem diſſerendi de natura corporum inter veteres æque ac recentiores ſermo occurrit, tunc diverſitas implicita inter naturam & inter corpus, & corporis naturam indicatur.

XIV. Sicut porro Naturæ appellatio nimis generalis fuit, ita ab omni tempore allaborarunt Philoſophi & Medici, quo ſpecialius indicent, quæ ſit Natura.

XV. Ex officio tamen & principaliori charactere Naturæ recte ſenſerunt priſci, quando per Naturam principium movens & non motum, tanquam actum principii, neque corpus tanquam ſubjectum principii, cui inhæret, intellexerunt.

XVI. Unde inter reliquos tam antiquiores quam recentiores illi maxime contra veram indolem Naturæ impingunt, qui motus vitales aut eorundem ſucceſſum, effectum aut eventum, cum principio vitali confundunt, quippe qui tam contra logicum connectendi & concludendi modum, quam contra phyſicam rationem procedunt.

XVII. Eſt vero ſpecialior Naturæ acceptio multiplex in omnibus ævis nota, ſecundum quarumlibet facultatum ſenſum & conceptum diſcreta.

XVIII. Plurimæ vero harum acceptionum a materia & materialibus affectionibus alienæ ſunt, & ſublimiorem, ſubtiliorem & digniorem cauſam indicant.

XIX. Omiſſa vero diffuſiori harum acceptionum commemoratione placet antiquiſſimam illam ſeligere & recenſere, qua pro meliori & ſpecialiori conceptu formando, anima vocata fuit.

XX. Errant itaque illi, qui hanc naturæ appellationem ſcho' ſticis imputare audent, quando pro colorandis ſuis figmentis hunc naturæ ſenſum exoticum reddere, & ſcholaſticis ignorantiis annumerare non verentur.

XXI. In antiquiſſimis itaque temporibus anima φυσιχὴ quaſi ἔχων τὸ φύειν dicebatur, inde probabiliter per corruptionem & tranſpoſitionem literarum denique φυσχὴ & tandem ψυχὴ vocabatur, ut anima atque natura pro uno eodemque ſubjecto haberentur.

Conf. Stahlii Tr. de Mechanismi & organiſmi differentia p. 41.

XXII. Sed præſtat etiam confuſiones veterum circa acceptionem naturæ curatius noſſe, & evitare, cum illi, pro ſimplicitate temporum, de Natura animatarum & inanimatarum rerum, de incorporea & corporis natura differant: principaliorem vero naturæ aceeptionem nobilioribus cauſis adſignant.

XXIII. Unde imprimis Hippocrates tam egregia prædicata de natura paſſim profert, quod ſit prudens, quod ſibi ipſi vias ſeligat, quod a nemine edocta tamen agat, quæ conveniunt, quod eo tendat, quo ducitur, quod artis peritis monſtret quæ facienda ſunt, quod malum ſentiat, quod natura ſit ſagax, quod naturæ arcani motus non ſatis nobis perſpecti ſint, quod natura provida veriſſima hominum medicatrix ſit, quod repugnante natura omnia vana ſint, quod natura ad optima quæque viam monſtret. &c.

Conf. Stahlii Progr. περὶ φύσεως ἀνακλήσεως.

XXIV. Et quæ non vulgo adhuc prædicata, benignæ, tranquillæ, placidæ, iratæ, ludentis, errantis &c: naturæ fluctuant: unde ſingulares etiam effectus, qui nullo modo ex phyſicis cauſis derivari poſſunt, naturæ benignitati, tanquam abſconditæ, ſuperiori tamen, cauſæ adſcribuntur.

XXV. Sicut vero antiquis illis temporibus tantum de una & rationali anima differebatur, ita per naturam intelligebatur anima illa ſola rationalis ſive intellectualis.

XXVI. Impugnarunt poſtea quidam ſpeculatores hanc acceptionem, dum vel concipere vel credere recuſarunt & pro abſurdo æſtimaverunt, quando de aliis ſubjectis, ut brutis & plantis, quæ tamen Natura prædita ſunt, aſſerere deberent, quod anima rationali inſtructa ſint.

XXVII. Quanquam vero ſemper hæc ſubjecta ad diſcretionem maiorum, vitalitate deſtitutorum, animata dicta fuerant, cum reliqua inanimata appellabantur.

XXVIII. Noluerunt tamen ob perſpicuitatem conceptus, ſpeculatores illi, ab acceptione animæ pro natura penitus diſcedere.

XXIX. Unde excogitarunt & ſuppoſuerunt tres animas, quas principalioribus actibus, in ſubjectis animatis occurrentibus, præpoſuerunt & impoſuerunt.

XXX. Ejusmodi actus erant Ratio, Senſatio & Vegetatio, quibus quoad formalitatem juxta hypotheſin diſcretis, peculiares cauſas efficientes imputarunt.

XXXI. Supponebantur itaque anima Rationalis, Senſitiva & Vegetativa:

an

an vero binæ posteriores & quodnam principium existant, non nisi per petitionem principii explicabatur.

XXXII. Nam dicere animam sensitivam & vegetativam esse principium sive causam sensationis & vegetationis, nondum quæstioni satisfacit, sed per circulum vagatur.

XXXIII. Homini ut dignissimo subjecto tres illas animas concesserunt, quia in illo tres prædictæ functiones evidenter occurrunt.

XXXIV. Brutis vero ob operationes sensationis & accrementi naturalis, Vegetativam & sensitivam animam adscripserunt.

XXXV. Plantis denique, quia ne quicquam sensationis & rationis monstrent, unicam animam & Vegetativam quidem administrarunt.

XXXVI. Atque ita pro frivolo lubitu e nuda sua superstitione & præjudicioſa opinione animas multiplicarunt, & multiplicatas distribuerunt, remanente perpetua ignorantia elenchi circa existentiam & veritatem effictarum & per præjudicium excogitatarum animarum.

XXXVII. Singulare horum speculatorum argumentum fuit, quod hæc Entia præter necessitatem multiplicata, peculiaribus actibus præmissa sint, & quod anima rationalis non possit triplicem & distinctum actum administrare.

XXXVIII. Simplicius contra concludimus, si sola anima rationalis, de qua certi sumus quod existat & quod operetur, triplicem illum actum rationis, sensationis & vegetationis administrare potest, tunc opus non est cum pluribus fictiis principiis animum & Theoriam torquere & confundere.

XXXIX. Quod anima rationalis principium rationis sit, vnanimi fere consensu asseritur & conceditur, illa enim ut incorporea actum talem abstractivum simpliciter exercere & ideas puras atque simplices ad rationis actum absolute necessarias formare potest.

XL. Quod sit principium sensationis præcipue ex illo mutuo commercio atque vinculo rationis & sensationis eluceſcit, & quod proprie sensatio per apprehensionem certam & specificam formetur.

XLI. Tanto magis vero cum sensus & animæ & corporis vsui inserviant, & sine rationis perpetuo ministerio atque directorio perpetrari non queant.

XLII. Quod denique rationalis anima vegetationis principium existat, demonstrari potest ex eo, quia Vegetatio per motum tanquam rem incorpoream administratur, & generatio atque structura corporis non confusa sed exquisita & ordinata est operatio, & quia alacritas & tranquillitas, aut viciſſim perturbatio animi actum Vegetationis in homine vel promovet, vel alterat.

XLIII. Quanquam itaque per Naturam animam rationalem hominis intelligamus, cognitum tamen est, quod veteres Philosophi & Medici communiter de-

finitionem Naturæ omiserint & occultaverint, nisi inter veteres Aristoteles definitionem talem proposuerit.

XLIV. Est hæc: Natura est principium motus & quietis, in quo est primo per se & non per accidens.

XLV. Hæc definitio est admodum corrupta & confusa, & videtur propterea, quod Aristotelem non pro primo inventore & Autore agnoscat.

Conf. Stahlii Opuscula Chymica. p. 197. seq.

XLVI. Hæret præcipue hæc corruptio & confusio in eo, quod de Natura prædicatum videatur, quasi tunc sit principium motus & quietis, quando alicui subjecto primo, per se & non per accidens inexistit, quasi scilicet tale principium etiam secundario alicui subjecto inesse possit.

XLVII. Male itaque illud ὑπάρχειν ad naturam applicatur, quod potius de motu & quiete valet: adeoque sinister sensus est: quasi natura sit principium motus & quietis, in quo subjecto ipsa primo, per se & non per accidens inest.

XLVIII. Unde potius hæc definitio ita emendari debet, quod natura sit principium motus & quietis, in illo subjecto existens, in quo motus & quies inest, primo, per se & non per accidens.

XLIX. Sed quia definitio magis differit, ubi Natura sit, aut in quo loco inquiri debeat, nempe ubi motus primo, per se & non per accidens sunt, non vero satis exquisite, quid Natura sit, aut quid possit, indicat, propterea magis adæquata Naturæ definitio desideratur, imprimis talis, quæ etiam medico nostro scopo magis quadrat.

L. Unde verius & sincerius definiri potest Natura: quod sit principium reale, incorporeum, corpori, mechanica dispositione prædito inexistens, idque motibus, tanquam incorporeo medio, rationabiliter instruens, & organica ratione conservans, præservans, & e periculis vitæ & sanitatis educens.

LI. Quando itaque anima rationalis principium vitale esse asseveratur, tunc eidem in corpore duplex character & præcipuum officium competit, videlicet Ratio & corporis sic dicenda vivificatio, sive vitalis commotio.

LII. In quantum digniorem & præstantiorem illum actum rationis administrat, in tantum a potiori vocatur anima rationalis: dum vero corpus movet, generat, conservat & defendit, Natura appellari meretur.

LIII. Sunt itaque natura & corpus animale correlata, & subordinata; illa principium vitale activum, hoc principium passivum, quod a natura formatur, conservatur, & salvatur.

LIV. Anima vero & Natura sunt unum idemque principium: & appellatio Naturæ humanæ involvit activitatem animæ humanæ per motus vitales in conservationem corporis efficacem.

LIII. Quan-

LV. Quanquam vero anima ſit rationalis, tamen non cum ratione corpus movet; & quanquam motus vitales non ſint motus rationis, tamen iidem non irrationabiliter adminiſtrantur.

LVI. Sed exercentur ſecundum rationem, in juſto ordine, ſub congrua intentione & proportione ad ſalutarem finem exeunte.

LVII. Hæc ut in Theſi liquent, ita in Hypotheſi ſequentes rationes percipiendæ ſunt, quæ comprobant, animam rationalem eſſe naturam.

LVIII. *Prima* harum rationum fluit ex indole motus, tanquam illius cauſæ mediatæ, per quam illud principium, quod natura dicitur, corpus ſuum afficere, regere, vivificare, & a damnis & periculis vindicare debet.

LIX. Hic motus vero eſt, quoad eſſentiam ſuam, incorporeus, veluti actus, cujus cauſa efficiens de effectu, & vice verſa effectus de ſua cauſa teſtari debet; unde ſequitur primam hujus motus cauſam non aliam eſſe, quam incopoream, qualem in corpore humano non aliam deprehendimus ineſſe, quam animam rationalem.

LX. Etenim motus vitales non ſunt peregrini, adventitii & ab extra corpori inſultantes, unde a cauſis fortuitis admodum ſeparati, quorum ſcopi propterea inſeparabiliter & perpetuo ſalubritatem corporis proſequuntur, licet non ſemper aſſequantur: ex quo innotuit differentia inter Naturæ intentionem, inventionem, executionem & finium propoſitorum impetrationem.

LXI. *Secunda* ratio petita eſt ex ipſius animæ rationalis generica capacitate, quæ recte vocatur Energia, quæ conſiſtit in operatione; ſeu quod animæ rationalis principalior habilitas conſiſtat in exercitio motuum, & quod ipſa ſit principium ἐνεργάμενον.

LXII. Unde concludo, corpus animale ſi vivum eſſe debet, motu indiget, Natura vero dicitur, principium Motus in animali corpore: ineſt vero corpori anima rationalis, cujus ſuperior & plane eſſentialis capacitas eſt, quod moveat: unde hanc prærogante & eminente jure naturæ titulum tenere aſſero.

LXIII. Cujuscunque enim principii & exiſtentia & capacitas evidens & indubia eſt, de illo potiori jure reliquas ſubordinatas & ſpeciales operationes prædico, quam de aliis cauſis imaginariis, ſuppoſitis & per multas aſſimilationes applicatis.

LXIV. *Tertia* ratio commendat horum motuum vitalium fines, ſive ſcopos, qui non ſunt alii, quam vita & ſanitas: ratio vero & forma finium non fluit ex affectionibus corporis, ſed principii rationalis.

LXV. Si itaque finis formatur a cauſa rationali, & illius impetratio huic cauſæ proficit, hinc vitam & ſanitatem non eſſe propter corpus, ſed propter animam, quatenus eſt principium rationale.

LXIV. Imo

LXVI. Imo ſimplicius concludo: Si natura ad certos fines operatur, ſequitur, quod natura debeat eſſe principium rationale, id eſt anima, quia fines ex rationali principio fluunt.

LXVII. *Quarto*, indicat adhuc ipſa conſtitutio corporis animalis, quæ certa diſpoſitione mechanica prædita eſt, ſecundum quam corpus ſe ipſum, ita, ut decet, movere non poteſt, neque etiam per aliquam neceſſitatem debet, ſed ut inſtrumentum a cauſa altiori & digniori aſſumi & regi debet, & quidem tali, cui ineſt notitia de ſuo corpore in genere, & hac ejus mechanica diſpoſitione ſeorſim.

LXVIII. Nam valde præcipitata eſt argumentatio: quia corpus diſpoſitione mechanica gaudet, ergo ſe ipſum movere & dirigere debet; abſolutum enim & eſſentiale requiſitum rationum mechanicarum non eſt, ut motus illiusque directio ex ipſo ſubjecto corporeo dependeat.

LXIX. *Quinta* ratio eſt: cum anima atque corpus potiantur ſtrictiſſimo illo vinculo, ſecundum quod neutrum ſubjectum ſine altero, quantum quidem concipimus, in hac phyſica rerum univerſitate eſſe & ſubſiſtere poteſt, neque anima ſine corpore, neque corpus ſine anima; ita dum corpus, in quantum vivum eſſe debet, motibus indiget, anima vero per capacitatem ſuam energeticam nihil aliud quam movere, iterumque a motibus ceſſare poteſt, ſed ſimul propter corpus eſt, ideo animam corpus movere concludo.

LXX. Anima quidem in naturali hoc ſtatu corpore indiget, ut primario eſſentiales ſuas operationes excolat, & rationem ſimplicem in ratiotinationem transferat, ſicut inter λόγον & λογισμὸν conſtans intercedit differentia: hinc, dum ad actum rationis, cogitationis, imaginationis, non niſi per uſum ſenſuum externorum pertingere poteſt, organa vero ſenſoria corpori inſunt, pro hoc fine utitur abſolute anima corpore.

Conf. Stahlii Progr. de differentia Rationis & Ratiocinationis.

LXXI. Utitur deinde etiam anima corpore ad diverſos alios ſcopos externos per motus voluntarios acquirendos, quo ſeſe diverſis gratis & jucundis objectis admovere, & contra ab adverſis & alienis removere queat.

LXXII. Neque corpus eſſe poteſt ſine anima; quandoquidem rotunde magis theſin ediſſerendo, corpus ſine anima neque fieri, neque eſſe, neque exiſtere poteſt, ſed ubique præſentiam activam animæ requirit, tum in egregia & exquiſita illa formatione, tum legitima & congrua conſervatione.

LXXIII. *Sexto*, animam naturam ſive principium vitale eſſe comprobat ipſa illa divina animæ inauguratio, quando benigniſſimus creator ordine primo corpus quoad ſingula ſua requiſita corporea fabricavit, & poſtea indidit halitum ſive ſpiraculum vitarum, tam ſpiritualis, quam naturalis, ex quo homo factus fuit ani-

ma viva sive vivificans, per quam unicam solam animam, & ratio & vita corpori accessit, unde illa sola anima principium & rationale & vitale existit.

LXXIV. Et ita ipsa divina revelatio indicat, quod homo non maturius vivus aut vita præditus fuerit, nisi posteaquam ipsi spiraculum illud vitarum inditum fuit, & ita factus erat homo Anima viva; antea enim erat corpus proportionate a Deo ex gleba terræ formatum.

LXXV. Minime itaque convenit hos respectus confundere, cum ante inspirationem hujus principii vitarum homo nondum vivus fuerit, alias ipsi spiraculum vitarum non necesse fuisset, & tantum spiraculum vitæ, videlicet spiritualis sufficerit.

LXXVI. *Septimo* hoc assertum confirmat, quod corpus animale moveri possit ad nutum, arbitrium, & voluntatem animæ rationalis, qui motus transeunt in diversas partes corporis musculosas, membranaceas, ligamentosas, tendinosas aliasque: cum itaque anima tam evidentibus motibus suum corpus afficere & instruere potest, quid impedit, quo minus singulares corporis partes motibus idoneis regere & afficere queat, quanquam non ubique hi motus juxta voluntatem exerceri queant & debeant.

LXXVII. Si enim anima in voluntariis motibus corpus sine adminiculo intermediæ causæ supposititicæ agitare potest, quid obstat, quo minus cor movere possit, cum musculum temporalem moveat.

LXXVIII. Admodum enim ἀλογιστικῶς concluditur, quia anima non omnes motus voluntario exercet, ergo reliquos motus non administrat, quod idem esset, ac quia anima non in omnibus actionibus idealibus aut moralibus cogitationem aut judicium rationale discretivum habet, ergo illas actiones non administrat.

LXXIX. Nihil enim necessitat, quod omnes actiones anima voluntario exerceat, cum vel multas actiones involuntario perficiat, quales sunt consuetudines morales, insomnia, præcipitationes, deliria, nocturnæ mictiones &c. vel cum ad quarundam functionum exercitium concursus voluntatis non requiratur, dum alius ordo in iisdem servandus est.

LXXX. *Octavo* confirmat animam naturam esse, consideratio tot alterationum in ordine vitali indies occurrentium, quoad motuum sanitati nihil præjudicantium progressus, sed sua sponte in justum ordinem atque gradum transeuntium, quæ directio & dispositio corpori ut machinæ non imputanda est, sed ab altiori principio pendet.

LXXXI. Exserunt sese ejusmodi alterationes sub laboribus & exercitiis, sub diversis compressionibus, ligaturis corporis &c.

LXXXII. Im-

LXXXII. Imprimis *Nono* hoc noſtrum aſſertum defendit illa luculenta convenientia inter motus animi patheticos & alterationes vitales occurſans, ubi α) notari debet, quomodo uno eodemque momento ſimul etiam pathemata animi, & alterationes motuum vitalium obtingant, unde liquet, quî hæ ab illis pendeant, β) ſciendum etiam eſt, quî motus vitales alterati, quoad eſſentiales & ſimul finales ſuos reſpectus, amuſſim & exquiſite cum motibus patheticis conveniant, neque penitus tumultuarii exiſtant.

Conf. Stahlii Progr. Anomalias motuum vitalium Patheticas, non eſſe tumultuarias.

LXXXIII. Sic *Decimo* confirmat idem aſſertum, conſpiratio illa quotidianis exemplis comprobata inter motus vitales & morales, & quidem quando poſteriores intenſius & operoſius exercentur, quomodo propterea vitales actiones negligentius & minus convenienter adminiſtrentur.

Conf. Diſput. mea de Amethodia naturæ.

LXXXIV. Inde innotuit, quod infantes præmature prudentes adultam ætatem non aſſequantur, & quod profundiores meditationes corpus debilitent.

LXXXV. Accedit *Undecimo*, quod, dum cum prima animæ immiſſione intra corpus, & ratio & vita ſeſe ſimul manifeſtavit; ita remota anima, vita etiam removeatur; ex quo colligere licet, quod vita ab eadem anima pendeat, a qua ratio evenit, non ſolum quoad eſſentiam ſuam in corpore præſente, ſed & per activitatem peculiarem corpus afficiente.

LXXXVI. Præterea *duodecimo* animam naturam eſſe, indicat illa circumſtantia, quî mores & particulares individuorum inclinationes conveniant cum ſpecialiſſima corporis conſtitutione, ſive ſic dicto Temperamento, adeo, ut, quales gradus atque ordines in vitalibus officiis ſervantur, tales etiam in moralibus operationibus adminiſtrentur.

LXXXVII. Ex qua exacta harmonia & quaſi reactione (ut vulgo quidem dicitur) corporis in animam eluceſcit, quod viciſſim anima per res corporeas affici poſſit, aut quod inter corporeum & incorporeum detur commercium ſine intercedente contactu phyſico, ſiquidem corpus neque per ſe, neque per fictitios illos ſpiritus animam contingere poteſt.

LXXXVIII. Nec non *decimo tertio* noſtrum aſſertum tuetur atque defendit hæc ratio, quoniam corpus humanum, ſine anima ſtrui & formari non poteſt, ita actus conſervatorius eidem animæ competit; ſiquidem actus generationis, longe dignior eſt, quam conſervationis, ut ita eadem anima, indigniorem actum adhuc facilius, quam digniorem, in & cum corpore adminiſtrare queat: juxta illum canonem, qui poteſt nobilius, poterit etiam ignobilius: quod vero corpus a principio ratione prædito generetur & ſtruatur, multiplicibus demonſtrationibus certiorari poteſt.

LXXXIX. Similiter *decimo quarto* in actu generationis tantum valet Energia animæ, ut secundum imaginationes firmiores suas, corpus denuo deformare, & alienum plane ordinem cum corpore servare soleat: ita nihil præjudicat, quo minus eadem anima, justum ordinem in struendo corpore teneat ac sequatur.

XC. Accedit *decimo quinto*, quod corpus infantis tam formose & exquisite, quoad figuram externam & conspectum, parentibus assimiletur, qui actus tam elegantis assimilationis non nititur primis lineamentis in semine præsuppositis, quæ non nisi confusa esset delineatio, cum contra elaboratio & tam elegans assimilatio longe principaliorem influxum inferat.

XCI. Notandum est *decimo sexto*, quod repentinæ consternationes & confusiones animæ rationalis ad repentinas alterationes, imo amissiones plenarias motuum vitalium contribuant, dum homines ex repentino gaudio, ira & terrore confestim extincti observantur; ubi frustraneum erit per irritas ambages spiritibus hanc privationem adscribere, tanquam non entibus, quorum nulla sunt prædicata.

XCII. Neque *decimo septimo* aliud principium in toto systemate mundano de vita & sanitate animali magis sollicitum & anxium est, quam eadem anima rationalis, ut exinde liqueat, quî vita sit propter animam, & anima propter vitam atque unum cum altero connectat, aut ab altero pendeat: quam primum enim vita periclitatur, ex eo infallibiliter anima trepidat, & vicissim animæ tranquillitas longævitatem promittit.

XCIII. Ita *decimo octavo* in historia practica tum vitæ & sanitatis, tum mortis & morborum innotescit, quod anima singularia & notatu digna præsagia de vita atque morte ferre queat, quæ formare non posset, si non active circa vitam, nimirum per motus vitales, occupata esset.

XCIV. Præterea adhuc *decimo nono* divinæ revelationis est, quod homo ex anima rationali & corpore constet, illa est activa, hoc per se non movetur, sed ab illa nobilitatur: quo ipso vero unum immateriale, alterum vero materiale hominis principium indicatur: illud agens, hoc patiens, quod posterius cum sine motu esse & existere nequeat a priori nobiliori principio motus suos suscipit.

XCV. Denique *vigesimo* spontanea morborum expugnatio & exquisita motuum in extraordinariis casibus directio, ratione materiæ, temporis, ordinis, necessitatis, mensuræ, gradus & similium affectionum commonstrat, quod principium vitale sive natura non obscurum, confusum aut imaginarium, sed rationale principium esse debeat: & talis est, sine ullo contorto aut metaphorico & allegorico sensu, Natura morborum medicatrix.

XCVI. Et hæ sunt generaliores rationes sive argumenta, quibus animam rationalem ut naturam hominis physico & medico sensu accipiendam demonstro:

quæ generica argumenta ad multiplices ſpecialiores demonſtrationes & rationes per totum medicinæ ſtudium & ſtadium commode, rationabiliter & ingenue applicari poſſunt.

XCVII. Quemadmodum vero hæ rationes nulla ſuppoſitione nituntur, ſed ex ipſis effectibus in homine vivo depromptæ ſunt, ita laborabo, quo hanc aſſertionem per contrarium magis demonſtrem & illuſtrem.

XCVIII. Excipit itaque antithetica hujus aſſerti, quod anima rationalis natura ſit, tractatio & commendatio, quo nervum objectionum contra hanc Theoriam vulgo proponi ſolitarum, magis intelligamus, & oblocutiones tales convenienter diluamus.

XCIX. Inter has objectiones *Prima* eſt, quaſi nimis craſſe & minus adæquate de anima prædicetur, quod immediatum commercium cum corpore habeat; animam enim eſſe ſpiritum incorporeum & ens nobiliſſimum atque præſtantiſſimum; corpus contra craſſam & rudem eſſe ſubſtantiam materialem, unde impingere contra animæ dignitatem & autoritatem, ſi aſſeritur, quod ipſa corpus moveat.

C. Aſt papalis & ſuperſtitioſa hæc animæ humanæ veneratio nihil concludit, quo minus eadem cum corpore congrediatur: licet enim illa immaterialis ſit, & corpus materiale, minime tamen hæc animadverſio utriusque concurſum activum & paſſivum deſtruit: imprimis cum quotidianis exemplis liqueat, quomodo per intenſiones motuum moralium, aut per animi pathemata vitales functiones alterentur: quin denique in vituperium animæ cedet, ſi corpus ſuum, in quo eſſentialiter exiſtit, & ſine quo ſubſiſtere non poteſt, non moveret, & hoc directorium incognitæ & obſcuræ aut ſuppoſitæ alicui vicariæ cauſæ concederet, & concrederet.

Conf. Stahlii Diſp. de Paſſionibus animi corpus varie alterantibus.

CI. *Secundo* objicitur, quod anima humana non poſſit contrarios actus exercere; ſi enim Natura eſſet, & moraliter & vitaliter movere deberet, ſed cum non poſſit neve debeat per contraria operari, ſequi exinde quod non poſſit eſſe Natura.

CII. In hac objectione falſo aſſeritur, 1) quod Natura non poſſit per contraria movere, 2) quod actus morales & vitales ſint abſolute contrarii, cum potius notandum ſit, quomodo hi actus quoad principaliſſima congruant, ratione eſſentiæ, cum ſint motus, ratione formæ & methodi, cum proportionate decurrant, ratione effectuum, quia conveniunt cum prima intentione, & ratione finis, qui cedit in commodum animæ.

CIII. *Tertium* dubium, quod moveri poteſt & ſolet contra præſentem ſententiam de Natura, eſt, quoniam concipi non poteſt, quomodo anima ut principium

cipium

cipium immateriale, corpus, tanquam extenſum quid, moveat, aut movere poſſit, propterea animam vices naturæ ſubire & tenere non poſſe concluditur.

CIV. In hoc dubio argumentantur adverſarii ex ignorantia modi fiendi ad negationem rei, qui modus argumentandi principiis Logicis admodum repugnat, cum connexio deficiat in illa enunciatione: quia concipere non poſſumus, quomodo anima moveat corpus, ergo anima non movet illud.

CV. Hac ratione in multis phænomenis nos modus fiendi latet, v. g. quomodo motus conveniat aut cohæreat cum materia, quomodo ſub verticilari rotatoria commotione principiorum inflammabilium ignis & flamma concitetur, quomodo magnes ferrum ad ſe trahat, quomodo motus e corpore in corpus transcendat, quomodo inter acidum & alcali efferveſcentia contingat &c. ubi omnino temerarium eſſet, motum, ignem & magnetis vim negare velle.

CVI. *Quarta* objectio eſt, quia eſſentiam animæ non intelligimus, ergo de anima non poſſumus prædicare quod corpus moveat: in quo dubio argumentatio inſtituitur ex ignorantia eſſentiæ rei ad negationem exiſtentiæ, qualitatum & effectuum.

CVII. Quanquam enim in multis aliis effectibus ſubjectorum eſſentiæ nobis incognitæ ſint, tamen ex eo nullo rationabili jure affectiones negamus; v. g. motus & materiæ eſſentiæ ſunt incognitæ, ergo motus non movet aut materia non movetur; quæ falſa eſſet concluſio, cum exquiſita ſubjectorum cognitio, quoad ſuam eſſentiam non neceſſaria ſit pro notitia qualitatum.

CVIII. *Quinto* objicitur Theoriæ de Natura, quod anima corpus movere aut motibus afficere non queat, quia incorporea eſt; nam propagationem motuum ex uno principio in alterum requirere mutuum contactum & extenſionem utriusque; animam vero ob incorporeitatem ſuam cum corpore contingere non poſſe, unde materiale cum immateriali commercium habere conſtanter negant.

CIX. Sed falſo ſupponitur, quod omnes motus tranſeuntes requirant contactum phyſicum ſubjectorum, tum agentis, tum patientis, neque demonſtrari & confirmari poteſt, quod præter motuum progreſſus phyſicos non dentur alii, cum progreſſus motuum animi patheticorum in officia vitalia non ſit phyſicus, adeoque omnis contactus ſuppoſiti expers.

CX. Hinc variat modus circa progreſſus motuum ſimpliciter phyſicos ex materia in materiam, & circa progreſſus motuum ex immateriali in materiale ſubjectum.

CXI. Evidens exemplum progreſſus talis occurrit in moralibus & patheticis motibus, cum vitalibus ſucceſſibus connectentibus; deinde vero manifeſtum eſt documentum, quomodo motus, ut immateriale quid commercium habeat &

cohæreat cum corpore ut materia: nam motum appellare velle vim aut niſum materiæ, idem eſt ac obſcurum per æque obſcurum illuſtrare.

CXII. Ex hac falſa ſuppoſitione ortum traxit famoſa illa ſententia de Spiritibus, dum animæ ut incorporeæ cauſæ cum corpore immediatum commercium ex falſa hypotheſi denegatur; ſed cum corpus ab animi motibus multum & quotidie alterari conſpiciatur, ita excogitarunt medium connectendi animam cum corpore.

CXIII. Hoc vero medium, quo canoni fundamentali reſpondeat, non debet eſſe incorporeum, neque craſſe corporeum: Unde excogitatæ ſunt ejusmodi ſubtilitates materiales, æthereæ, elaſticæ, celerrime mobiles, & in maxima inviſibili tenuitate conſtitutæ, quas inventores & ſpeculatores vocarunt in favorem animæ Spiritus.

CXIV. De hisce prædicarunt, quod anima illos primum movere & impellere poſſit, imo debeat, quia ſubtilitate ſua eſſentiæ animæ quantiſper accedunt: deinde quod per hos, ut corporeos, tamen anima corpus contingere & motibus afficere poſſit.

CXV. Quanquam vero fundamentum hujus aſſerti nitatur nudo figmento & præjudicio: ipſa tamen præſens explicatio & excogitatio craſſe offendit fundamentum totius ſententiæ, quia inter animam incorpoream & ſpiritus corporeos nullum commercium intercedere poteſt, cum nervus canonis, fundamenti loco ſuppoſiti, eſſentialia & non accidentalia requiſita, i. e. qualitatem & non quantitatem concernat.

CXVI. Neque facile veritati ingenuæ conſonum eſt, quod Spiritus vel per ſe movere poſſint, vel ab anima primos impulſus excipere & ſecundum animæ voluntatem ac beneplacitum motus propagare aut impoſterum eosdem motus recte dirigere queant, ita quidem ut rationem temporis, gradus, loci, ſucceſſus & ordinis exquiſite ſervent.

CXVII. Ubi impium & blaſphemum mihi videtur hunc fœdum fœtum petulantis rationis & ludicræ ſuperſtitionis cum ſanctiſſima Dei voluntate exornare, & dicere velle: Deus ita voluit, quo ſpiritus ut materiales per ſe moveant, ſentiant, intelligant, diſcernant &c.

CXVIII. Quamdiu enim ſpiritus materiales ſupponuntur, tamdiu illius capacitatis non ſunt, ut per ſe moveant, aut motus dirigant, aut juxta animæ arbitrium operentur, niſi illud & modo indicatum aſylum ad nauſeam percipere liceat, Deus ita voluit: ita concluditur ex præjudicio ad effectus & ex effectibus iterum ad præjudicium.

CXIX. Secundum prædictas vero qualitates neceſſe eſſet, quo effecti tales ſpiritus ratione aut intelligentia præditi ſint, quam tamen primi hypotheſeos fautores

tores ſpiritibus non conceſſerunt, interea ne plane ſtupidi exiſtant, certam γνῶσιν illis aſſignarunt: ſed quanti acuminis & valoris ſit hoc ſuppoſitum, facile colligere eſt, ad minimum illud eluceſcit, quomodo figmentum per figmentum augeatur.

CXX. Ejusmodi acuminis eſt illud aſſertum, quod Spiritus quidem non rationem habeant, tamen ſenſationem, ſecundum quam gratum & ingratum dijudicare & diſcernere poſſint: an vero ſenſatio ſine ratione adminiſtrari poſſit, res facillimæ deciſionis eſt, quo loco prudentes Philoſophi cavere ſciunt, ne actum & formam illius, cum requiſitis ejusdem confundant.

CXXI. In quo negotio contra logicum concludendi & connectendi modum eſt, ex effectibus ſpiritus defendere, cum hi non ſimpliciter aut directe ad talem cauſam reſpiciant, v. g. in corpore occurrunt operationes, quæ interna quadam ſenſatione nituntur, ergo dantur ſpiritus, quos Deus ſenſu affecit.

CXXII. Præterea incertitudinem & fragilitatem hujus ſententiæ confirmat reliqua hujus Theoriæ agitatio inter ſpeculatores, quando non modo tot ſpecies Spirituum naturalium, vitalium, animalium, genitalium in genere ſuppoſitæ fuerant, ſed & pro lubitu & phantaſia quædam harum ſpecierum exploſæ & relegatæ, aliæ vero denuo obtruſæ & renovatæ obſervantur.

CXXIII. Accedit illa ulterior exercitatio phantaſiæ, qua variæ & ridiculæ qualitates de Spiritibus prædicantur & ultro ſupponuntur vel influi, vel inquilini & inſiti, vel domeſtici, vel ſylveſtres, vel luminoſi, vel tenebricoſi, vel hirſuti, vel glabri, & adhuc plures, quorum recitatio meram fabulam olet.

CXXIV. Et quanquam ingenuo & veritatis ſtudioſo animo hæ narratiunculæ effictæ & ridiculæ mox compareant, quin e tali vulgari ſpirituum explicatione falſitas exiſtentiæ illorum liqueat; tamen in patrocinium horum ſpirituum argumenta quædam proferuntur, quibus quidam exiſtentiam eorundem demonſtrare contendunt.

CXXV. Sunt vero talia argumenta primo, quod cerebrum pars ſit, cujus uſus ſpecialior nondum ſatis innoteſcat, cum vero in illo humor tenuis ſecernatur & intra illud nervi radicentur, unde ſpiritus exiſtere, qui per nervos fluunt, concludere quidam audent.

CXXVI. Eſt vero hæc probatio admodum vana & logicæ connectendi rationi aliena, quia ab ignorantia uſus cerebri aut præſentia liquoris limpidi in cerebro, aut radicatione nervorum intra cerebrum ad exiſtentiam ſpirituum non valet conſequentia, niſi hic petitionem principii admittere & præjudiciis favere velimus; interim alii adhuc evidentiores cerebri uſus commonſtrari poterunt.

CXXVII. Alterum argumentum probans eſſe debet: quia in nervis conſpicitur humor limpidus, ſubtilis & ab aliis humoribus diſtinctus: ergo hic humor

mor ſupponitur eſſe vehiculum ſpirituum, propterea ſeorſim ſuccus nerveus aut liquidum nerveum vocatur, hinc ſpirituum exiſtentiam infallibilem facere laborant.

CXXVIII. Eſt vero hæc ratio ejusdem valoris, mediante qua non probatur exiſtentia generica ſpirituum, quæ per petitionem principii ſupponitur, ſed tantum indicatur exiſtentia ſpirituum in nervis, manet itaque adhuc generice demonſtranda ſpirituum exiſtentia.

CXXIX. Neque a limpida cerebri humiditate ad exiſtentiam ſpirituum valet conſequentia, cum illius humoris demonſtrativus magis & non ſuppoſititius aut fictus occurrat uſus.

CXXX. Deinde fruſtra concluditur, quia nervi continent limpidum liquorem, ergo dantur ſpiritus, cum liquor hic non ſit propter ſpiritus, ſed propter nervos, & cum nervi indigeant partim nutrimento, partim humore humectante, quo conſtantem ſuam flexilitatem contineant, ita longe ſimpliciores & evidentiores uſus habet ille liquor in nervis.

CXXXI. Tertio loco profertur ratio ejusdem dignitatis, quia videlicet nervi cavi ſunt, ergo per hanc cavitatem fluunt ſpiritus, & ſi fluunt, ſunt etiam ſpiritus.

CXXXII. Hic fluor vero non niſi per petitionem principii ſupponitur, deinde cavitas fingitur, aut ſi talis cavitas, vere ſic dicenda, actu adeſſet, per idem præjudicium ad tranſitum & influxum ſpirituum indeque deductam exiſtentiam eorundem concluditur.

CXXXIII. Et quantæ dignitatis ſit illa excuſatio, quod in nervis adſit inviſibilis cavitas, ſicuti in foliis plantarum, dijudicet qui a præjudicio liber eſt: etenim in hisce tales tubuloſæ cavitates & reliquæ poroſitates obſervatæ ſunt & neceſſario adeſſe debent, cum ſuccus nutritius mediantibus illis ad partes, regiones, harumque extremitates transferatur; an vero per analogiam in nervis abſolute ejusmodi cavitates adeſſe debeant, non aliter niſi ex primo præjudicio demonſtrari poteſt, quia ſpiritus ſupponuntur reales, & per nervos currere dicuntur.

CXXXIV. Quarto aſſeritur probationis loco, quia nervi ligati intumeſcunt, ergo dantur ſpiritus, qui ob denegatum ſuum tranſitum nervos inflant.

CXXXV. Suppoſitum vero hoc experimentum a veritate penitus alienum eſt, neque ſpiritus ob ætheream ſuam teneritudinem ſuppoſitam illius aptitudinis eſſent, quo inflationem talem cauſentur, cum in nullo loco contineri & concentrari queant; quod ſi etiam inflatio talis occurreret, deficit tamen adhuc medium connexionis inter ſpiritus & effectum hujus inturgeſcentiæ.

CXXXVI.

CXXXVI. Quinto ſpirituum exiſtentiam ex eo demonſtrare contendunt, quia nervo læſo, ligato, inciſo aut diſciſſo, motus perit; perire vero dicitur motus propter denegatum influxum ſpirituum, ergo dantur ſpiritus.

CXXXVII. Levidenſe hoc argumentum nihil probat, quod probare deberet: quanquam enim verum ſit, quod motus deficiat, ſi tale quid cum nervis commiſſum fuit, deficit vero vis connexionis, quod propter denegatum ſpirituum influxum deficiat, & valor ejusdem argumenti eſt Petitio principii.

CXXXVIII. Simplicior eſt demonſtratio: nervi ſunt proximum inſtrumentum motus, ſi itaque inſtrumentum offenditur aut læditur, motus & effectus idonei per illud produci non poſſunt: haud vero ob denegatum ſpirituum influxum, ſed ob læſionem cauſæ inſtrumentalis, & illius aptitudinis ad effectum neceſſariæ.

CXXXIX. Aliud eſt argumentum, quod ſpirituum exiſtentiam rigoroſe demonſtrare debet, nimirum quia dantur morbi ſpirituum, Ergo dantur ſpiritus, ſunt vero morbi ſpirituum, Epilepſia, Lipothymia, Apoplexia, Paralyſis, Mania, Melancholia &c.

CXL. Hoc vero aſſertum adhuc magna indiget ratione & demonſtratione, priusquam ad ſpirituum exiſtentiam adhiberi poteſt: nam ſi non dantur ſpiritus, etiam morbi ſpirituum pertinent ad non entia.

CXLI. Qui optime ſibi conſulere videntur, confugiunt ad revelationem divinam, & ſanctiſſimo Deo imputare audent hanc ex figmento, phantaſia, præjudicio & ſuperſtitione ortam hypotheſin.

CXLII. Concludere volunt ex eo, quia bruta actiones habent cum hominibus communes, quibus vero brutis creator omnipotens non ſpiritum vitarum aut ſpiraculum vitarum indidit, ſed tantum נֶפֶשׁ חַיָּה animam vivam, & non נִשְׁמַת חַיִּים, ita bruta per ſpiritus animales, ut æthereo principio, ſenſu prædito (quia bruta ſentiunt) moveri & dirigi: hominem vero per animam rationalem & ſpiritus ſimul moveri, quia ſpiraculum vitarum aut vivorum vel viventium, non unius vitæ obtinuit.

CXLIII. An vero ex hac declaratione integre & ingenue ad exiſtentiam ſpirituum argumentari liceat, facile liquet, cum de ſpiraculo vitarum, aut viventium adhuc demonſtrari debeat, quod una vita ad animam rationalem, altera ad ſpiritus vitales ſeu animales collineet & concludat, imprimis cum illud חַיִּים non æque principia vitarum, quam ipſum actum, nimirum vitas indicet.

CXLIV. Et cum ſpiritus ſibi relicti tantas operationes adminiſtrare non poſſint, ſed ſuperius directorium expectarent, ut juxta receptam opinionem anima rationalis eosdem impellere & dirigere deberet, ita irritum eſt entia præter neceſſi-

neceſſitatem multiplicare, per ambages philoſophari, & in negotio ad certitudinem tendente, animum cum figmentis aggravare.

CXLV. Proxime & *ſexto* adhuc Hypotheſi de anima rationali ut Natura objicitur: ſi illa anima eſſet Natura, poſſet ſubinde etiam de ſuis actionibus & corporis partibus cogitare; nunc vero liquere, quod anima non habeat poteſtatem de ſuo corpore cogitandi, Ergo concludunt aliqui animam naturam eſſe non poſſe.

CXLVI. Quanquam vero anima rationalis etiam cogitativa ſit, tamen non ſequitur, quod in omnibus operationibus cogitatione & imaginatione activa eſſe debeat, cum ipſa experientia doceat, quomodo in moralibus ſuis negotiis rationabiliter operetur, diverſa objecta æſtimet, dijudicet, fugiat, comparet, & tamen de multis non cogitet; unde ex impotentia imaginandi & cogitandi male denegatur animæ tota reliqua activitas, aut concurſus activus.

CXLVII. Neque etiam ulla neceſſitas aut utilitas exinde expectanda & indicanda eſt, etiamſi anima de œconomia vitali cogitationes aut imaginationes formare poſſet; neque denique tales cogitationes de internis ſui corporis formare poteſt, ob defectum applicationis ſenſuum neceſſariorum ad & intra ſuum corpus, per quos actum cogitationis formare queat.

CXLVIII. Ita anima voluntarios motus exercet in & cum ſuo corpore, & tamen nihil cogitat de partibus movendis, muſculoſis, tendinoſis, membranaceis, aliisque.

CXLIX. Specioſa adhuc *ſeptimo* hæc eſt objectio, ſed non eximii valoris: ſi anima eſſet natura, poſſet in corpore pro ſuo lubitu, arbitrio, & voluntate motus ſuſcipere, alterare & dirigere: nunc vero conſtat, quod in vitalibus negotiis anima non poſſit ſecundum ſuam voluntatem operari, Ergo illam naturam non eſſe.

CL. In hac objectione fruſtra attribuitur animæ abſoluta poteſtas movendi ſecundum voluntatem, quam poteſtatem repugnantia intellectus & voluntatis multum & quotidianis exemplis hebetat & infringit.

CLI. Deinde habent actiones morales & vitales ſuos limites, quos transgredi neque licet, neque decet, ita ut ordines vitales per ludicram aliquam voluntatem ſupervenientem turbari non debeant.

CLII. Habent etiam ſuos juſtos fines, contra quos nihil committi debet, qualis finium fruſtratio vero obtingeret, ſi petulans voluntas humana ſeſe vitalibus negotiis intermiſcere poſſet, quæ combinatio voluntatis cum motibus ſic dictis voluntariis & moralibus & vitalibus reſpectibus finalibus reſiſteret.

CLIII. Neque etiam pro ordine vitalium functionum voluntatis imperium & directorium neceſſarium eſt, quod potius ad motus locales moralibus reſpectibus

ctibus inſervientes requiritur, unde hi motus etiam vocantur voluntarii: in prioribus vero peculiaris ordo atque methodus, ſecundum quam actiones adminiſtrandæ ſunt, ſervari debet.

CLIV. Indicari itidem poteſt, quod benigniſſimus creator juxta perfectiſſimam ſuam ſapientiam animæ non conceſſerit, quo prava ſua voluntate in officia vitalia ſeſe immiſceat, quia facile & cito per illam totus curſus vitæ immutabitur & annihilabitur.

CLV. Neque valet conſequentia, quicunque actus anima non volente ſuccedunt, illi non ſunt animæ actus: ſi quis enim aſſerere vellet, deliria, inſomnia, pravas cogitationes, conſvetudinales mores &c. non animæ actus eſſe, quia nolente illa contingunt, is admodum hæſitabit.

CLVI. Ita alia *octavo* oblocutio occurrit, quod anima non ſit principium vitale ſive natura; hanc enim nimirum naturam obtemperare arti & medicum agere & operari in illam: cum vero anima immaterialis exiſtat, nulla in illam operari poſſe medicamenta, neque medicum commercium habere cum anima aut cum corpore.

CLVII. Sed cum rationalis anima in hoc mundano ſyſtemate plurimum commercium cum rebus corporeis habet, ita ab iisdem in tantum afficitur, in quantum hæc ipſi accepta aut adverſa ſunt, ſecundum quam ſenſationem & perceptionem eadem motus ſuos ſuſcipit & dirigit: & hoc reſpectu afficiunt objecta materialia, immaterialem animam & in tantum medicus in animam operatur, non quaſi per remedia illius eſſentiam attingat, ſed illius ſenſum in corpore humano obvium afficit: quo pertinent vulgares illæ locutiones, irritationis, vellicationis, ſtimulationis, quæ prædicata minime de nudo corpore valent.

CLVIII. Sentit vero omnino anima per corpus, unde per objecta corporea intra corpus oblata illius ſenſus in corpore quotidie afficitur, quo reſpectu agunt medicamenta in animam, & hæc ſubjacet miniſterio artis medicæ.

CLIX. Denique *Nono* contra Theoriam de anima objiciunt aliqui, quod ſi anima rationalis natura eſſet, omnino etiam brutis & plantis principium rationale adſcribi deberet; quod quidam reputant eſſe paradoxum imo heterodoxum aſſertum, quia mox concludunt: Ergo illud principium eſt immateriale, ergo incorruptibile, ergo immortale, ergo vel æternæ damnationi vel ſalvationi ſubjectum.

CLX. Quo huic objectioni ſatisfaciamus: habent omnino bruta principium rationale, neque ſunt in actionibus ſuis perluſtrata, nuda illa αὐτόματα Carteſiana, cum actiones ipſæ ſub certis intentionibus, moderationibus & finalibus directionibus exerceantur.

CLXI. Habent etiam bruta mores & certas inclinationes, nec non affectus ſive pathemata animi, ut iram, terrorem, invidiam, gaudium, timorem, deſiderium, anxietatem, negligentiam, averſionem: porro habent ſenſus internos, reminiſcuntur, judicant, diſcernunt, phantaſias formant, & in ſingulis hisce actionibus monſtrant rationem.

CLXII. Propterea vero non ſequitur quod brutorum ratio nulla ſit, quia non tanta eſt ut hominum, cum inter homines activitas rationis diſcrepet, eſt enim inter homines ratio expeditior & firmior, & brutorum ratio ſeſe non extendit ultra neceſſitatem ſuarum operationum ad vitam & ſanitatem brutis competentem pertinentium.

CLXIII. Neque convenit mox concludere, quia bruta habent principium ratione præditum, ergo cum anima humana illud unum idemque eſt: ſicuti ſupra noſtrum captum eſt concludere velle, quia angeli habent principium rationale, ergo cum anima humana eſt unum idemque.

CLXIV. Quod vero attinet conſequentias, quæ e rationabilitate animæ brutorum ducuntur, circa æternitatem imprimis ejusdem occupatas; tunc eædem non ſunt tanti valoris, quia revelatio ad easdem nos haud ducit; interim conſecutiones tales de immortalitate, pœna & judicio animam humanam plurimum concernunt: de reliquo ſecundum indefinitam omnipotentiam divinam æque facile brutorum animæ annihilari poſſunt, ut e nihilo creatæ ſunt.

CLXV. Unde tantum de præſenti, non vero de futuro ſtatu ejusmodi ſubjectorum diſſerimus, nam circa futura non licet argumentari ab anima hominis ad principium brutorum, quia divina revelatio magis occupata eſt circa animam hominis.

CLXVI. Minime itaque illa antea allegata conſequentia valet, ergo anima rationalis hominis & bruti principium rationale ſunt unum idemque, quaſi vero benigniſſimus Creator non diſcretis principiis immaterialibus, quoad dignitatem diverſis, uti angeli & animæ hominum diſcrepant, analogam ſed per gradus differentem activitatem ſuppeditare potuerit. Aut quaſi omnipotens Deus non uni principio æternitatem concedere, alteri vero immateriali principio eandem ſubtrahere potuerit: Et cum propterea ejusmodi conſecutiones ambiguis imo dubiis concluſionibus ſubjectæ ſunt, nihil ex iisdem demonſtrare poſſumus: & ob id rem tractamus, uti eſt, non uti videtur, aut in futurum eſſe debeat.

CLXVII. Habent de reliquo bruta ſuam peculiarem loquelam, qua rationis ſuæ ſenſum ſibi invicem exponunt, & ex qua ſe invicem intelligunt, imo juxta quam actiones ſuas ordinant, imo habent vim imaginationis in actu generationis, quali homines prædiți ſunt.

CLXVIII. Refugium illud ad consuetudines admodum est æquivocum & debile: nam consuetudo non est affectio materiæ, neque certa dispositio corporis, sed rationis: id quod est pro nostro asserto circa rationabilitatem brutorum.

CLXIX. An denique plantæ ratione præditæ sint difficilior erit & intricatior quæstio: quantum vero ex effectibus regularibus & a causis mechanicis & absolute physicis discrepantibus observamus, non penitus iisdem rationem denegare possumus, sensus enim externi non absolute, semper & indiscretim ad rationis præsentiam pertinent, neque plantarum œconomia singulorum sensuum usui dicata observatur, unde rationem, si non ex omnibus sensibus aut loquela, tamen ex aliis adhuc operationibus commonstramus.

CLXX. Ejusmodi operationes vero sunt exquisitæ, ordinatæ, & proportionatæ, mutilato & læso etiam mechanismo, tamen eadem regularitate procedentes, quoad elegantem suam structuram, distributionem & colorationem, usum & concursum rationis non excludentes.

CLXXI. Sunt interim concursus solis & caloris, terræ, pluviæ &c. causæ externæ, quibus utuntur plantæ ad generationem suam & augmentationem, æque ac cibus, potus atque calor hominem non vivificant, sed solum subsidia & externa adminicula ad vitam necessaria præbent; totus enim actus eleganti & exquisita structura nititur, quam non perficiunt causæ externæ, neque præsuppositus & nihil demonstrabilis mechanismus committit, aut absolvit. Unde aliæ traditiones de seminiis, de utriculis, ductibus, tubulis & motibus mere physicis, sunt fœtus cerebri otiosi, lusus phantasiæ & mere speculationes.

CLXXII. Et in tantum commode evitare possumus ignominiam scholasticæ Philosophiæ, quæ ad obscuras solum tales causas confugit & nihil demonstravit: uti potiori jure classem scholasticorum incidunt, qui obscurum per æque obscurum & sub reliqua Philosophiæ larva crassas petitiones principii committunt.

CLXXIII. Neque ulla necessitas cogit, quod absconditos Archæos aut peculiares organorum vitalium Reges & Directores, cujusmodi etiam nominis fuerint, effingamus, cum de eo satis certi & convicti simus, quod homo ex anima immateriali & corpore constet.

CLXXIV. Quibus ipsis tractationem de Natura tam in Thesi quam Hypothesi & Antithesi per plures observationes commendatam obsignamus.

CAPUT II.

DE

GENERATIONE.

I.

QVando anima hominis Natura dicitur, in quantum cum corpore ſuo, vitale habet commercium, in illud operatur, idque conſervat & pro uſibus ſuis adhibet, ita primus actus animæ hujus in corpus ſuum eluceſcit maxime in negotio *Generationis*, quando hæc anima ſibi corpus aut domicilium ſtruit aut fabricat.

II. Agitur propterea hoc ordine de Generatione; quæ tractatio quidem proprie ad medicum ſcopum non pertinet, cum neque cauſæ primariæ, neque poteſtates artificiales ad hoc negotium ſpectantes directe e Medicina fluant; quaniam vero in Theoria medica de homine agitur & vita, ut & de animæ poteſtate & energia in ſubſtratum ſuum corpus, propterea hoc negotium, quod alias ad phyſicum forum pertinet in Theoria medica quadantenus attingo & commendo.

III. Sed ingredior Augiæ ſtabulum, quando Generationis negotium perquirere animus eſt, dum juxta vulgares conceptus mirificæ opiniones, ſpeculationes & traditiones de formatione fœtus paſſim proſtent.

IV. Quando vero tam hiſtoriam, quam cauſas hujus negotii recte perpendere volumus, præſtat, quo ſubtiles & incomprehenſibiles disquiſitiones evitemus, quæ potius in opinionibus & otioſis quæſtionibus verſantur, quam ullas ſolidas demonſtrationes ſuppeditant.

V. Ad generationem hominis requiritur duplex Sexus: fruſtra enim eſt arceſſere, quaſi fœminæ per imaginationem impregnari aut concipere queant; quin potius ordo divinus neceſſitatem utriusque ſexus ad hoc negotium infert, ubi in qualibet ſpecie viventis & generantis ſubjecti, maſculinum & fœmininum ſubjectum creatum & conjunctum obſervatur.

VI. In negotio generationis omnium primo & principaliſſime circumſpiciendum eſſe judico de principio generante, formante, & actum hunc efficienter perpetrante: cum nimis cruda ſit illa Philoſophia, qua aſſeritur, quod corpus ex neceſſitate quadam ita concidat, figuretur & formetur.

VII. Hoc principium formans ordine & dignitate ſuperius eſt, quam corpus formatum, unde ordine, primo de illo differendum erit, quo recte comprehen-

hendamus indolem architecti, ordinem atque modum generationis & quicquid ex eodem principio pendet atque fluit.

VIII. Et hæc causa formans sive corpus struens principalis in actu generationis ordine primo adesse debet; incipit enim eadem a primo puncto hanc formationem, & deducit illam usque ad suum complementum.

IX. Et circa hujus principii explorationem omnis ferme ætas studii & stadii Medici occupata fuit: veneranda quidem antiquitas in illa persvasione hæsit, quasi in spermate masculi lateat occulta vis prolifica, mediante materiali suâ constitutione fœtum formans, quæ e reliqua a matre suppeditata alimentosa materia, denique totum fœtus corpus struat & elaboret.

X. Quoniam vero hæc assertio plurimum circa materiales respectus versatur & in formante principio adhuc hæsitat & cæcutit, ita alii e posteris allaborarunt, quo expiscentur principium illud formans, qui tamen in eodem negotio perpetuam difficultatem invenerant, & ne nihil egisse videantur, asseverarunt, quod vis Blastica sit principium illud generans, in qua declaratione vero aperta hæret petitio principii.

XI. Hæc sententia circa explicationem principii formantis occupata, varie mutata fuit, dum alii accusare sciunt famosum illud sperma deciduum, de quo mira prædicare solent, & magis supponere, quam demonstrare: & si suppositum tale sperma in rerum natura esset, deficit tamen nihilominus nobilius illud principium struens & hoc sperma augmentans atque configurans.

XII. Similem defectum continet sententia, de aura genitali, qualis partim supponitur, partim cum prædicatis ad negotium generationis spectantibus exornatur; sed quæ cum in materiali tantum causa consistat & obscurum per æque obscurum contineat, haud supplet defectum desiderii in prioribus sententiis.

XIII. Proinde spiritus genitales ad figmenta & phantasias pertinent, quorum existentia nulla est, & licet tales spiritus in rerum natura essent, ardua erit demonstratio, quod illi facultate formandi & generandi polleant.

XIV. Religiosa quidem, pia & ingenua est meditatio, quando asseritur, quod Deus struat & formet fœtum in utero, sed hæc sententia adeo absoluta non est, interim proximum illud principium generans a Deo facultate tali generandi instructum est, immediate vero ipse Deus non struit fœtum.

XV. Quod vero quis per aliud facit, ipse fecisse putandus est, unde causa illa naturali ordine fœtum generans, a benignissimo Deo hac capacitate vere mystica & subtili instructa, quæ quicquid in hoc negotio potest, per divinam concessionem potest, unde etiam hæc energia in generatione hominis occurrens, non nisi in perpetuum honorem omnipotentis Dei cedit.

XVI. Quo

XVI. Quo ſenſu etiam accipiendæ ſunt illæ in ſacro codice occurrentes enunciationes, quibus Deo adſcribitur, quod hominem in utero matris formaverit & ex eodem eduxerit: quos enim Spiritus Dei inhabitat, illi omnem capacitatem, facultatem & honorem in ſolum Deum effundunt, quo valet illud Apoſtolicum: gratia Dei ſum, id quod ſum.

XVII. Eo minus vero convenit formationem hominis in utero immediato concurſui divino adſcribere, cum corpus hominis adeo fragile & imperfectum, & actus formationis tot erroneis ſucceſſibus ſubjectus ſit: cum per ludicras & flagitioſas phantaſias animæ humanæ confundatur, & cum monſtroſæ generationes frequenter ſub illo actu occurrant, quæ circumſtantiæ una cum aliis pluribus & ſimilibus Deo, utpote Enti perfectiſſimo, citra Blaſphemiam imputari non poſſunt.

XVIII. Commemorat adhuc Galenus, quod actum generationis adminiſtret anima, qualem vero non aliam niſi vegetativam intelligit, aut juxta alios ſpiritus vitales: cum vero anima vegetativa non ſit peculiare principium, ita non Entium nulla dantur prædicata.

Conf. Stahlii Programma Lectionum in Opuſc. Chym. p. 55.

XIX. Neque rationi & veritati convenit illa aſſertio, quod calidum innatum fœtum in utero formet, cum nuda qualitas non ejus habilitatis & efficaciæ exiſtat, quo actum aliquem in genere, tanto minus tam ſingularem & exquiſitum abſolvat, itaque neque calor neque calidum in poteſtate habet aliquid conſtruendi, juſto & certo quodam ordine movendi, quia calor & calidum non ſunt certæ motus ſpecies (licet certi motus conſectarium) nedum quidem cauſa agens.

XX. Fœtus phantaſiæ eſt, quando aſſeritur, quod in ſemine lateant & involuti hæreant homunciones, pygmæi humani, ſive juxta Paracelſi imaginationem primæ ideæ & fundamentalia lineamenta ad corpus hominis ſpectantia, quo macro micrologorum & microſcoporum viſiones, ſcotomias & phantaſias ſive philoſophicos Enthuſiaſmos referimus.

XXI. Exinde ejusmodi viſitatores & ſpeculatores generationis prima elementa & principia obtrudere contendunt; licet multum phantaſiæ & imaginationi in eodem aſſerto indulgendum & connivendum ſit; & quamvis quisquam concedere velit, dari ejusmodi ideas corporis humani materiales, ſeminales aut primitiales, attamen eædem in futuro exquiſitæ conformationis actu peculiari adhuc principio diſponente, dirigente aut ſtruente indigebunt.

XXII. Recentior curioſitas nudis ferme mechanicis rationibus intenta, in præſenti negotio generationis uteri mechaniſmum accuſare & exinde hominis formationem neceſſitare audet.

XXIII. Eſt

XXIII. Eſt vero hæc ſententia indemonſtrabilis & hæret in otioſa ſuppoſitione, imprimis cum experientia confirmet, quam monſtroſæ & perverſæ generationes contingant, unde ad neceſſitatem hujus formationis in utero argumentari haud licet; imprimis ſi adhuc conciliatur efficacia imaginationis ad lædendum talem ſuppoſitum mechaniſmum, omiſſis pluribus deſideriis in hac opinione formandis.

XXIV. Neque etiam ullo ſane jure ad ejusmodi mechanicam rationem confugere licebat, cum in utero ne minima quidem relatio ad externam corporis figuram monſtrari queat, ut nihil de interna adhuc exquiſitiori organorum configuratione & connexione dicam.

XXV. Teſtatur proh dolor experientia vitæ humanæ, in quantum poſt deplorandum lapſum homines degeneraverint, ut citra ullam faſcinationis culpam ipſa petulans & erronea imaginatio ad deformationes brutinis corporibus ſimiles, & a ſuppoſito uteri mechaniſmo totidem alienas, ſæpius concurrat.

XXVI. Dum vero has opiniones removeo, ita pono & aſſero, quod principium formans debeat eſſe rationale, quoniam actus generationis nulla neceſſitate materiali nititur, ſed ſecundum diverſos reſpectus rationales & ideales adminiſtrari debet.

XXVII. Sunt vero ejusmodi circumſtantiæ de rationabilitate principii generantis teſtantes, inter multas alias, 1) quod formatio ſit actio, ſive motus: motus vero in corpore vivo producendi & ordine primo communicandi, ſunt qualitas principii immaterialis, 2) ipſa ſtructura ſecundum diverſitatem numeri, nexus, figuræ, magnitudinis, proportionis, relationis, conſiſtentiæ, principiorum conſtitutivorum, mutui uſus &c. neceſſarium concurſum rationis involvit. 3) ratio temporis in quo corpus formatur, 4) poteſtas imaginationis, 5) aſſimilatio infantum ad mores & corpus parentum &c. quæ de principio rationali formante ſatis evidens teſtimonium perhibent, uti in poſterioribus plures demonſtrationes hoc aſſertum confirmabunt.

XXVIII. Tale principium in homine non aliud deprehenditur niſi anima rationalis, cui itaque, rotunda quadam aſſertione adſcribimus capacitatem ſtruendi & formandi corpus, in quo hæret & operatur.

XXIX. In tantum vero etiam hoc loco de hac conſideratione tractamus, in quantum ad hoc præſens negotium ſpectat; & licet hæc animadverſio non directe ad Medicinam pertineat, quod etiam mox in initio indicavimus, tamen non valet conſequentia, quod propterea medicus in hanc notitiam inquirere non debeat: habet enim hæc conſideratio illum certum uſum, quod totam Theoriam de homine, in quantum hic formatur, conſervatur, & ſalvatur, integram & completam reddat, ubi una obſervatio & tractatio alteram confirmat & illuſtrat; ob

id disquisitionem & tractationem de generatione mox subjecimus Theoriæ de natura philosophico-medicæ.

XXX. Quod vero anima rationalis corpus formet & struat, variæ attestantur rationes, quarum *prima* est, quod anima & corpus inter se invicem arctum & in hac vita indissolubile vinculum & necessariam relationem habeant, dum anima sine corpore & corpus sine anima existere non possunt; haud vero ob abstractivam aliquam connexionem, sed ob necessariam activitatem in corpus exercendam & a corpore recipiendam sive admittendam.

XXXI. Quod anima rationalis opus generationis administret, *secundo* ex eo eluceſcit, quia hoc negotium motu unice absolvitur: hic motus vero ut actus & immateriale quid a causa immateriali, qualis in corpore anima est, pendet, ut effectus de sua causa testetur.

XXXII. Sic anima *tertio* corpus movet & conservat, quod ex capite de natura eluceſcit; formatio vero est primus accessus ad futuram conservationem, quin confirmatio & augmentatio corporis est continuata formatio, ita sequitur rationalem animam corpus etiam struere.

XXXIII. Imprimis vero assertum hoc confirmatur, *quarto* quoniam generatio actus est exquisite proportionatus, ordinatus, regularis, consistens in distinguendis regionibus, partibus, locis, figuris, magnitudinibus, relationibus ad mutua officia atque affabre applicandis, complicandis & coordinandis diversis materiis, qualia requisita a causis corporeis deduci haud possunt.

XXXIV. Proinde *quinto* futurus usus corporis animalis, tam ad operationes voluntatis, quam vitalitatis dirigendus, requirit principium generationis non irrationale, sed quod corpus ita formare & struere potest, prout usibus illis competit, unde refert, quo illud principium de talibus usibus non modo habeat præscientiam, sed etiam de relatione corporis struendi, ad eosdem usus, notitiam.

XXXV. Hinc etiam *sexto* negotium generationis per animi pathemata valde alterari & proxime offendi potest, luculento testimonio connexionis animæ cum hoc negotio.

XXXVI. Deinde illustrat & confirmat assertum de anima, tanquam principio formante, *septimo* illud quotidianum phænomenon, quomodo imaginationes, aut mentales fictiones in deformationem fœtus corporis frequentissime cedant: iterum manifesto documento, quod anima cum actu generationis congrediatur.

XXXVII. Similiter *octavo* ex historia generationis constat, quomodo sub reliqua tranquillitate animæ & continentia actus generationis longe expeditius succedat & vice versa, quæ ratio cum prioribus connexa valorem suum satis superque defendit, ne exceptio illa obtrudatur quasi tranquillitas animæ reliquos motus

vel

vel mechanicos vel phyſicos, vel aliunde provenientes non turbet & impediat: quæ tamen valde obſcura & a diſtincto conceptu aliena eſt.

XXXVIII. Quantum enim tranquillitas animæ in moralibus negotiis dextre adminiſtrandis poſitive conferat, exempla quotidiana comprobant, unde privativum illius uſum in ſubſtrata tractatione non agnoſco, ſed poſitivum ejusdem concurſum activum, vi hujus connexionis, merito urgeo.

XXXIX. Ita etiam evenit *nono*, ut, ſi fœtus aliqua ægritudine aut quodam incommodo laborat, anima matris extemplo alteretur & angatur: novo quodam teſtimonio, quod in qualibet circumſtantia generationis, anima rationalis occupetur atque laboret aut communicet.

XL. Et quo magis *decimo* ſub generatione animā in qualemcunque alacritatem, moderationem, & continentiam converti & promoveri poteſt, eo magis eoque facilius imo accuratius actus generationis procedit.

XLI. Sic porro contingit *undecimo*, ut, quo magis animæ inter parentes conſentiunt, & moribus & inclinationibus ſuis bene conveniunt, eo magis actus generationis promoveatur & vice verſa.

XLII. Præterea *duodecimo* phænomenon quotidianæ experientiæ eſt, quomodo infantes aſſimilentur ſuis parentibus, quæ conformatio & aſſimilatio ſine concurſu rationis informante & dirigente aut conſtanter diſponente fieri haud poteſt.

XLIII. Confirmat *decimo tertio* ulterius aſſertum noſtrum, quod ſi fœtui ſub actu generationis qualecunque impedimentum accidit, exinde mox anima matris perturbetur, uti contra ſi anima matris confunditur, actus generationis reciproce exinde non exiguam perturbationem ſuſcipit: ita, ut ubique anima rationalis in hoc negotio activa obſervetur.

XLIV. Et quando *decimo quarto* perpendo, quam exquiſito tempore & regulari periodo negotium generationis circumſcriptum ſit, judicare aliter haud poſſum, quam ut hujus negotii principium ſit rationale, quod ſecundum certas diſtantias temporum operatur, cum nulla corporis diſpoſitio, aut ſingularis conſtitutio uteri hanc circumſtantiam neceſſitet.

XLV. Porro *decimo quinto* luculentum eſt teſtimonium hujus ſententiæ: ſi fœtus in utero anima privatur, ceſſat ſimul continuatio generationis, ita ut in hoc ſtatu natura & generatio correlata exiſtant.

XLVI. Nec non *decimo ſexto* communicatio habitus corporis ſive temperamenti in infantes juxta temperamentum parentum atteſtatur, quod principium formans notitiam habere debeat de temperie parentum & de eodem temperamento propagando & in novo ſubjecto producendo.

XLVII. Porro *decimo ſeptimo* formoſitas infantum a parentibus formoſis genitorum teſtimonium eſt de principio rationabili formante, cum formoſitas non nitatur nudis materiarum qualitatibus, ſed ſubtili & proportionata materiarum compage, quemadmodum ex materia ſubtili & humoribus tenuibus æque facile deforme ac formoſum corpus generari poteſt: ut adeo culpa non in materia inquirenda ſit.

XLVIII. Quo *decimo octavo* refero ſpecialiſſimas illas aſſimilationes, quando parentes ruffi, claudi, excedentium digitorum, certis nævis præditi generant ſimiles infantes: qualia phænomena horumque cauſæ non niſi contorto & violento ſtylo & ſenſu materialibus qualitatibus adſcribuntur.

XLIX. Accenſeo adhuc *decimo nono* illas ſingulares aſſimilationes infantum, non quoad parentes, ſed quoad certas effigies pictas humanas, ubi neque lineamenta primigenia in ſemine, neque uteri qualiscunque diſpoſitio, neque alia materialis ratio & qualitas excogitari & applicari poteſt.

L. Denique *vigeſimo* ſingularem conſiderationem meretur circumſtantia hæreditariæ diſpoſitionis, quæ non nititur communione materialis principii, dum propagationes morum & certorum graduum motuum non materiæ imprimi queunt, ſed ad energiam principii rationalis moventis, & juxta prægreſſum gradum & ſtatum, cujus adhuc reminiſcitur, operantis ſpectant, quare ex ſingulis circumſtantiis & documentis concludo, quod principium formans ſit anima rationalis.

LI. Quemadmodum itaque jam conſtat, quod principium formans ſive fœtum in utero ſtruens, ratione præditum eſſe debeat, in ordine diſquirendum & differendum nunc erit, unde nam illud principium proveniat, an a parentibus an immediate a Deo.

LII. Duplex enim hac aſſertio vulgo inter eruditos agitata & recepta eſt, ex quibus aliqui ſtatuunt, quod Deus animam demum infundat, quando corpus plurima parte conſtructum eſt, & qui tale quid aſſerunt infuſiani vocari ſveverunt.

LIII. Qua ſententia nititur etiam illud aſſertum, quod partim vulgo circumfertur, partim juris conſultis uſu receptum eſt, quaſi medio geſtationis tempore fœtus uti vivus redditus, ita cum anima inſtructus cenſendus ſit: ex quo aſſerto materiam de abortu decidere ſolent.

Conf. Diſp. mea de abortus noxia & nefanda promotione.

LIV. Equidem vero ob diverſas rationes hanc ſententiam non tueor, dum anima rationalis adeſſe debet mox in primis generationis initiis; de reliquo ſupponendum eſſet, quod hæc anima vel jam creata & in certo loco aſſervata, demum transmitteretur intra corpus, vel modo a Deo crearetur & utero matris immitteretur,

retur, de quo asserto tamen nullum fundamentum sive in revelatione sive in ratione constat.

LV. Quid quod pugnat cum veritate assertum illud, quod anima a Deo integra & incorrupta corpori infusa, demum a corpore imperfecto depravetur; aut suppositum illud quod in ejusmodi animas separatas sive recenter creatas depravatio ex lapsu protoplastorum redundaverit.

LVI. Neque congruit huic phænomeno, quod infusa talis anima adeo constanter mores parentum amplectatur, quale quid in qualibet generatione occurrere solet, quæ nuda suppositio esset hypothesi suæ conformis.

LVII. Altera assertio, quam præ priori amplector, est, quod anima rationalis propagetur & communicetur per parentes, quem modum communionis appellant traductionem, quippe quæ ordini generationis magis congruit, & cum negotio inter homines decurrente magis correspondet, quin divinæ legi magis convenit, qua crescite illud & multiplicamini rectius implebitur.

LVIII. Affirmo itaque, quod anima, tanquam principium formans, propagetur per parentes, ubi iterum nova hæc quæstio intercidit, undenam anima illa proveniat? an a patre? an a matre, an ab utrisque simul propagetur.

LIX. Duplicatum a Patre & Matre provenientem propagationem supponere, necesse non est, cum sufficerit anima unica aut patris aut matris, reliqua enim multiplicatio superflua est, præprimis cum actus formationis sit unus idemque, adeoque duplicato concursu activo non indigeat.

LX. Unde assevero, quod in negotio generationis Pater suppeditet principium formans sive animam; Mater vero reliquis requisitis ad generationem spectantibus diversimode prospiciat.

LXI. Id ipsum commonstro 1) quia ad actum generationis formaliter præstandum unum tantum principium requiritur & sufficit, minime vero duplicatum, 2) quia masculinum dignius est fœminino, aut Pater dignitate antecedit sexum sequiorem: 3) quia Mater principium formans suppeditare neque debet, neque certo respectu potest, quoniam reliqua requisita subministrat, nimirum alimentum & locum, sive officinam generationis, si enim eadem simul hoc principium formans subministraret, nihil huic negotio deficeret: 4) quia Pater ad actum generationis proxime & directe nihil materiale contribuit, cum conceptio plurimum fiat, etiam si sperma non retineatur, & in diversis animalium præprimis volatilium speciebus, plane nullum sperma reperiatur, præter exiguum limpidum liquorem, qui officinam generationis non penetrat: 5) quia sine patre nulla conceptio fit, & in genere gallinarum in ovo quidem materia pro generatione necessaria adest, nullus vero in eodem pullus formatur, si congressus galli gallinacei ut masculi deficit: 6) quia anima matris sibi relicta, non nisi deforme fructum,

quod vulgo molam vocare ſolent, & non regulare corpus fabricat: 7) quia almus creator principium movens pro corpore Evæ e principio maſculi ſumſit & corpori Evæ indidit, non vero novum tale principium creavit: 8) quia profuſio ſpermatis in ſacro Codice ſingulari nota deſignatur, & ſub peculiari præcepto ſtat: unde concludere licet, quod dignior hic reſpectus, quam ſolius materiæ adſit: & denique 9) quia copioſa ſpermatis amiſſio, animum hebetat, & fatuitatem inducit; quibus ſingulis collectis denique concludo, quod anima propagetur per Patrem & non per Matrem.

LXII. Quando vero hoc principium rationale cauſa formans eſſe dicitur, ita ultro perpendendum eſt, quomodo illud nunc circa objectum corporeum verſetur, videlicet circa corpus ſtruendum, quo indiget mediis materialibus; deinde quomodo anima e corpore in corpus tranſire debeat; propterea hæc propagatio & hic tranſitus non ita abſtractivus & immediatus eſt, ſed propagatur anima mediante vehiculo corporeo quod ſperma exiſtit, cui ſeſe jungit, ſubtili modo, & per illud e corpore Patris in corpus Matris progreditur.

LXIII. Unde per ſperma, aut liquorem in maſculis volatilibus ſpermatis vices ſupplentem, communicatur hoc principium generans ſive ſtruens.

LXIV. Principalis vero aſſertionem præſentem premit difficultas, quod vi hujus aſſerti, anima, tanquam incorporeum principium, ſupponi deberet diviſibilis, inde enim fluere, quod anima habeat partes extra partes, & quod diviſa non amplius ſit integra, ſed mutilata, quæ opinio ſanæ rationi repugnaret.

LXV. Circa declinationem & compoſitionem hujus difficultatis, minime confundenda eſt diviſio materiæ ſeu phyſica cum diviſione ſpiritus ſive pnevmatica: neque demonſtrari poteſt, quod præter diviſionem phyſicam nulla detur alia.

LXVI. Quare diviſio incorporei ſubjecti non eſt confundenda cum qualitatibus diviſionis phyſicæ; ſiquidem proinde peculiaris illa proprietas prioris diviſionis in quantum maxime a poſteriori elucelcit, annotanda eſt, quod diviſum tamen ſemper ſit totum, licet diviſio phyſica longe alias affectiones involvat.

LXVII. Analogum exemplum diviſionis in ſubjecto incorporeo & quod diviſum non ſit pars, ſed eſſentialiter totum, occurrit in motu, qui ex uno in plures diſtribui poteſt, & qui in ſua pluralitate etiam ſemper eſt totus motus, cui quoad eſſentialia nihil deficit.

LXVIII. Quod vero anima a parente propagata in novo ſuo ergaſtulo, nimirum corpore non iisdem ſtatim viribus & capacitatibus prædita ſit, quibus pater excel-

excellebat, ratio eſt quod denuo quaſi revivere, & in novo corpore, novam capacitatem acquirere debeat.

LXIX. In negotio generationis requiritur & obſervatur præterea inter animam fœtus & animam matris accuratus conſenſus: diſſentiente enim anima matris, neque conceptio contingit, neque fœtus continetur, ſed iterum per abortum ejicitur.

LXX. Unde hujus conſenſus per totum actum & tempus geſtationis multa exempla & documenta occurrunt, quo conſenſu nititur diſtinctio fœtus, quoad ſexum, mores & numerum, ut exinde rationes ſuppeditari poſſint, cur fœtus aliquando vel corpore vel animo ſive patri ſive matri aſſimiletur.

LXXI. Ob id in ſexu, ſimilitudine & moribus diſtinguendis multum valet ſub cohabitatione prævalens in parentibus major animi intenſio & ad actum illum potentior, ſenſibilior & intimior attentio.

LXXII. Quando itaque hucusque ſermo fuit de principio formante, ita in ordine exponenda erit Hiſtoria generationis, quomodo videlicet fœtus formetur in utero.

LXXIII. Quando hoc principium formans a Patre communicatum fuit, proxime ſuccedit conceptio, dum ex ovulo generatio incipit: fœcundat itaque & amplectitur hoc principium formans ovulum, in quo non æque exquiſita maturitas adeſſe debet, qualis vulgo vel fingitur vel ſupponitur.

LXXIV. Prodit ſeſe in fœminis certis quibusdam ſignis facta conceptio, quæ tamen etiam mirifice variant.

LXXV. A tempore geſtationis menſes ceſſant, quamvis hæc obſervatio etiam in multis fœminis variet, ut videlicet quædam poſt conceptionem ſemel aut bis adhuc menſtruum fluxum experiantur.

LXXVI. Fallit itaque interdum hoc ſignum, quando ab hac menſium ceſſatione conceptionis tempus computare & ad partus tempus calculare volunt fœminæ.

LXXVII. Ovulum tale imprægnatur in ovario, ex quo ad uterum poſtea transfertur, quicquid enim de ovulis in utero inter recentiores diſſeritur, non ſufficienter rationi conſonat.

LXXVIII. Ovulum in ovario fœcundatum avellitur cum petiolo ſuo per motus ſtrictorios a natura matris, & ab eadem mediantibus & continuantibus illis motibus per Fallopianam tubam transprimitur & transfertur intra uterum.

LXXIX. Interdum etiam præmature generatio poſt conceptionem incipit, & dantur propterea conceptus Tubarii, quorum paſſim autores reminiſcuntur.

LXXX. Tale

LXXX. Tale ovulum conſtat ex duplicata tunica, quæ conſtituit Amnion & Chorion, & ex petiolo, qui funiculum umbilicalem præbet; in Meditullio vero continetur limpidus liquor, tanquam prima materia ad generanda vaſa advehentia & revehentia aptus.

LXXXI. In ovis volatilium plurimum deprehenditur vitellus & albumen, quorum ille ſangvini & partibus ſangviferis producendis, hoc vero oſſeis, membranaceis, tendinoſis & exſangvibus partibus formandis inſervit.

LXXXII. Quando ovulum intra uterum delatum eſt, tunc cum petiolo accreſcit utero, & proxime formatur placenta uterina, non a fœtu, ſed a matre.

LXXXIII. Hæc placenta, quæ alias hepar uterinum vocatur, & nomine ſecundinarum venit, eſt pars glanduloſa & vaſculoſa, in quam ſangvis e corpore matris tranſit, quo fœtui communicetur, & in quam ſangvis a fœtu iterum revehitur.

LXXXIV. Hanc placentam uterinam non format fœtus, ſed anima matris, quæ eandem regenerat, etiam abſente fœtu; nam hæc pars magis inſervit pro officio matris in negotio generationis.

LXXXV. Incipit actus formationis in texendis vaſibus, quibuscum alimentum advehi & ſangvis revehi debet, quæ vaſa in funiculum umbilicalem convolvuntur.

LXXXVI. Deinde pergit ille actus in cerebro, medulla ſpinali & nervis conficiendis, adeo, ut cor ſive punctum ſaliens in homine non ſit prima pars, quæ formatur.

LXXXVII. Hinc neque juxta Philoſophi opinionem cor primum movens & ultimum moriens eſt.

LXXXVIII. Eodem tempore organorum ſenſoriorum fundamenta materialia formantur, poſtmodum vero Cor, & ita ſucceſſive totum reliquum corpus.

LXXXIX. Per funiculum umbilicalem ſangvis & cum illo alimentoſa ſubſtantia circulatur per uterum & fœtum.

XC. Conſtat ille funiculus ex vena, quæ umbilicalis eſt, & communiter in Venam Portæ fœtus inſinuatur, vel ſimplici aut bifurcato ramo, quo in hepar aut in alium ramum Venæ Portæ per ſic dictum luſum Naturæ dimittitur.

XCI. Adſunt etiam in funiculo umbilicali duæ arteriæ ex iliacis internis fœtûs exeuntes & ſangvinem iterum in placentam uterinam effundentes.

XCII. Concurrit unà Urachus pars ſemi tendinoſa, non cava neque transmittendæ urinæ dicata, ſed pro fulcimento & erectorio Veſicæ Urinariæ inſerviens.

XCIII. Qui-

XCIII. Quidam ſub anatomico ſcrutinio obſervarunt vas lymphaticum per funiculum umbilicalem diſcurrens, præcipue in animalibus brutis.

XCIV. Singula hæc vaſa peculiari tunica denſa & tendinoſa involvuntur, ne facile lædantur, quoniam motus fœtus vim illis inferre poteſt.

XCV. Formatur ita fœtus tacite usque in medium geſtationis tempus, a quo tempore locali quodam motu ſeſe prodere ſolet, primis temporibus leniori & ſubtiliori, proximis vero manifeſtiori.

XCVI. Hi motus vero non ſunt indicium, quaſi nunc demum anima rationalis fœtui communicata ſit, quæ potius in primis generationis initiis adfuit.

XCVII. Inſervit præcipue hic motus ad promotionem ſangvinis per partes molles, teneras & flaccidas, & ad flexilitatem neceſſariam partibus mollibus conciliandam.

XCVIII. Continuat partium integrantium ſtructura usque in exitum ſeptimi menſis, quo tempore fœtus quoad partes integrantes perfectus eſt.

XCIX. Per reliquos vero menſes obfirmatur fœtus robore, corporis ſolidi-tate & conſiſtentia, quo externis regiminibus ſubeundis habilis fiat.

C. Poteſt itaque fœtus ſeptimo & octavo menſe per partum excludi, qualis præmature excluſus fœtus tamen ungvibus & pilis caret, atque reliquo corpore valde mollis eſt.

CI. Partus vero undecimeſtris & duodecimeſtris valde ſuſpectus & multis dubiis circumſtantiis expoſitus eſt.

CII. Per octavum menſem deprehenditur fœtus in utero tranquillior & quietior, quod fruſtra quidam ex Hippocratis perſvaſione ægrotationi fœtus aut horrido influxui ſiderum, imprimis Saturni adſcribunt Theoretici.

CIII. Quin potius quies hæc congruit cum meliori confirmatione fœtui inducenda, hoc tempore ſuccedente.

CIV. Comprehenſus eſt Embryo in Utero in ſuis involucris, in quibus commodius formatio ſuccedere poteſt, quæ involucra vero neque intrinſecus corpori fœtus, neque extrinſecus uteri texturæ accreta ſunt, niſi per funiculum umbilicalem fœtus cum placenta uterina connexus ſit.

CV. Ambit fœtum in hisce tunicis aqua mucilaginoſa ſalina turbida, qua embryo non per os nutritur, quia excrementitia eſt, quæ ex ſuperficie corporis fœtus ſucceſſive transſudat.

CVI. Neque hoc alimento indiget fœtus cum ſufficienter materia alimentoſa cum ſangvine materno advehatur, ex quo interdum plane ſuperflua obſervatur: interim recrementitia materia in inteſtinis fœtus hærens, per ſucceſſivam internam ſecretionem intra inteſtina factam, generatur, neque ex hujus aquæ ſuctione deducenda eſt.

CVII. Neque fœtus in utero reſpirat, quod quidem frequenter aſſeritur, ſed ob diverſas rationes veritati repugnat.

CVIII. Imprimis huic ſententiæ contrariatur peculiaris ſtructura, quæ circa cor fœtus obſervatur: dum enim reſpiratio eo imprimis inſervit, quo ſangvis ex uno cordis ventriculo in alterum profluat, obſervantur in embryone foramen ovale & ductus arterioſus, per quas vias optime circa cor circulari poteſt, ut ſuperfluum tunc eſſet, pulmones per reſpirationem elevare & expandere.

CIX. Aſſervatur fœtus in utero per novem completos menſes, quo tempore partus inſtat, qui etiam circa exitum noni aut initio decimi menſis occurrit.

CX. Aliquot diebus ante partum, mutat fœtus priſtinum ſuum ſitum, & ſeſe invertit, aut ad partum accingit idoneo quodam ſitu.

CXI. Omne animal commode paritur primum capite; alius vero ſitus difficilem partum reddit.

CXII. Proximius ante partum vehementiori motu fœtus in utero involucra ſua & membranas disrumpit & ab iisdem ſeſe liberat, unde aqua extra uterum profluere incipit; quod quidem legitime ſuccedit, licet interdum ſub partu demum hæc præparatio & aquæ emanatio contingat.

CXIII. Mox ſequuntur motus ad partum ſpectantes, qui ſunt ſpaſtici a lumbis ad ingvina tranſeuntes.

CXIV. Nulla interim phyſica ratio neceſſitat legitimum partum, quo videlicet juſto ſuo tempore eveniat: nam inturgeſcentia uteri, magnitudo fœtus, & ſuppoſitus defectus nutrimenti, nihil probant.

CXV. Dirigitur interim partus, quoad rationem juſti temporis, a principio rationali, in cujus capacitate omnino hæret diſcretio temporis & notitia fœtus jam perfecti: corpori enim non ineſt illa neceſſitas, quod nono menſe fœtum extrudat: quo loco obſervationem abortus commendamus, quæ hanc ſuppoſitam neceſſitatem phyſicam admodum infringit.

CXVI. Fœtus ſub partu magis obſervatur quietus, adeoque Mater fœtum hucusque retentum propriis motibus exprimit.

CXVII. Aliæ vero circumſtantiæ occurrunt, quando mater mortua eſt, & fœtus vivus ſua ſponte uterum egreditur.

CXVIII. Unde ſententia illa, quod fœtus activo concurſu partum ſuum adjuvet, non ſatis firma eſt; ſiquidem plurimum in excluſione extra uterum embryo paſſivum ſe tenet.

CXIX. Requiritur itidem ad partum, quo internum uteri orificium tempeſtive aperiatur; deinde magis continuant ſpaſmi illi in utero, qui pro facilitando partu levantur motibus voluntariis puerperæ expreſſoriis & auxiliatricibus obſtetricis manibus.

CXX. Sic fœtus cum capite prædictum orificium non modo intrat, quod vocatur, fœtum jam inſtare, ſed & per illud magis tranſit, quod dicitur fœtum jam perrumpere; donec ipſe tandem penitus matris corpus egrediatur.

CXXI. Sanus infans cum clamore & vegeto ejulatu in lucem editur: debilis vero vel ſilet vel debiliter ejulat.

CXXII. Utplurimum mature liberatur natus infans a funiculo umbilicali, congrua deligatione & abſciſſione.

CXXIII. Deinde abluendus eſt ab adhærentibus ſordibus mucidis, ne exareſcant in ſuperficie corporis, proxime vero quieti, & debito regimini concedendus eſt.

CXXIV. Poſt fœtum, ex utero mediantibus ſpaſticis commotionibus continuantibus ſecundinæ eliduntur, quæ primum ab utero, cui hucusque adhæſerant, avelluntur, deinde vero penitus exprimuntur.

CXXV. Magna interim parit incommoda & ominoſa conſectaria, ſi ſecundinæ diutius remanent in utero.

CXXVI. Ita variæ ſteriles circumferuntur traditiones effœminatæ, de firmiori concretione ſecundinarum cum utero.

CXXVII. Et quando ſecundinæ ab utero avelluntur, magna tunc ſuccedit in utero dilaceratio & vulneratio, quare Hippocrates puerperas ut graviter vulneratas tractandas eſſe monuit.

CXXVIII. Effluit propterea ex utero magna quantitas ſangvinis, præſertim in primis tribus diebus, qui fluxus ſangvinis Lochiorum nomen obtinuit, & conſultius eſt, ſi largius ſangvis profluit quam parcius, periculum enim portendit ſi vel inminuitur, vel plane ſupprimitur.

CXXIX. Quando maturius ſangvis ex utero effluit priusquam fœtus excluſus eſt, non boni ominis hoc ſignum eſſe ſolet.

CXXX. Succeſſive repurgatur & conſolidatur interna uteri dilaceratio, ut denique Lochia inſtar loturæ carnium effluant, & poſthac penitus ceſſent.

CXXXI. Poſt excluſionem ſecundinarum intereſt, quo puerperis cum lata faſcia abdomen colligetur, ut flacceſcens venter, eo facilius iterum obrigeſcat & internis flatulentiis non ſubjiciatur.

CXXXII. Propterea cavendum eſt, ne puerperæ refrigeriis vel internis, vel externis exponantur, aliàs legitimo lochiorum ſucceſſui impedimentum accidit.

CXXXIII. Animi pathemata & diætæ vitia puerperis pernicioſa ſunt.

CXXXIV. Poſt partum uno vel altero die in puerperis Lac efficacius ſecerni incipit, quanquam jam in gravidis, & communiter circa medium geſtationis tempus, hoc negotium ſecernendi Lactis anticipet.

CXXXV. In aliquibus fœmellis ſecretio lactis facile, in aliis cum ſpaſmis, in quibusdam vero cum febrilibus commotionibus incipit.

CXXXVI. Primum Lac, quod poſt partum effluit eſt aquoſum, tenue & ſalſuginoſum, & dicitur Coloſtrum.

CXXXVII. Poſtea vero Lac magis ſaturatum & pingve redditur, atque ab infante tam exſugitur, quam aliquando ſponte mediantibus ſubtilibus mammarum ſtricturis exprimitur.

CXXXVIII. Patiuntur fœminæ lactantes ſæpe multa incommoda & graves dolores in mammis, imprimis vero in papillis, quæ ob ſuctionem facile excoriantur, tanto magis vero ſi adhuc profundius in mammis hæreant & multa opera exſugi debeant.

CXXXIX. Infans vero mox poſt partum excernit collectas in inteſtinis feces, quæ ob aliquam ſimilitudinem Mœconium vocantur.

CXL. Talis excretio ſit interdum ſponte, quandoque adjuvatur per ingeſtionem Coloſtri, aut artificialia adjumenta.

CXLI. In futurum infans in moderato regimine conſervari debet, non nimis æſtuoſo neque refrigerante.

CXLII. Poſt aliquot hebdomadas excreſcunt dentes, communiter primum inciſores, deinde canini & molares.

CXLIII. Hæc dentitio communiter certas alterationes infert, vel catarrhales afflictiones, vel alvi fluxus, vel motus febriles, vel plane convulſiones.

CXLIV. Ultimi dentes, qui hominibus excreſcunt, ſunt intimiores poſtremi molares, dicti dentes ſapientiæ, qui in confiniis vigeſimi primi anni, & communiter circa periodos ſeptenarii annorum proveniunt.

CXLV. Septimo anno in ſubjectis dentes ſucceſſive excidere, & usque in undecimum annum ſucceſſive iterum recreſcere ſolent.

CXLVI. Servat enim Natura humana hunc morem, quantum quidem obſervare licuit, ut ſingulares & notabiles actiones in ſuo corpore juxta ſeptenarium numerum vel annorum vel menſium vel dierum ſuſcipiat & ordinet.

CXLVII. Et hæ ſunt plurimæ notatu maxime dignæ obſervationes & circumſtantiæ in Generationis tractatione tenendæ.

CAP. III.

CAPUT III.

THEORIA CORPORIS HUMANI PHYSICA.

I.

POsteaquam in præcedentibus Theoria de Natura & Generatione ſuppeditata fuit, ita proximum eſt, ut illud ſubjectum perpendam, quod Natura aſſumit atque format, per quod impoſterum operatur & cui inhabitat.

II. Eſt illud corpus animale, reſpectu materialis ſuæ conſtitutionis, certa mixtione, textura, ſtructura, connexione, configuratione & proportione præditum, cujus materialis talis conditio antea cognita eſſe debet, priusquam perſpiciam, quomodo illud corpus a ſuo principio vivum reddatur, ſive integrum conſervetur: unde primo loco conſideratio corporis phyſica commendanda erit, priusquam Medica, ſive preſſius Phyſiologica enucleetur.

III. Differt enim corpus mixtum ſive ſimpliciter phyſicum a corpore vivo, & medicis reſpectibus directe & proprie ſubjecto, variis modis.

Conf. Stahlii Tr. de differentia mixti & vivi.

IV. In hac phyſica corporis explicatione ſynthetica methodus ſeligenda erit, ut in primis principiis & primis actionibus combinationis inchoem, & ad craſſiores aggregationes progrediar.

V. Eſt etiam hic ordo & ſucceſſus in formando corpore, ut a teneris elaboretur, & in firmiorem conſiſtentiam ſucceſſive convertatur, quam methodum ſervat Natura, dum a ſubtilioribus incipit & in craſſioribus deſinit: ſecus plurimum operatur ars.

VI. Dicuntur vero principia corporum ſimplicia primæ, homogeneæ & individuæ materiæ, extra ullum combinationis ſtatum conſtitutæ, certis tamen figuris præditæ, ex quibus corpus fit & in quas iterum redit.

Conf. Stahlii Speciminis Becheriani principia Part. I. Sect. I. Membr. I.

VII. Vocabantur hæc Philoſophis Ariſtotelicis Elementa: Democriteis vero Atomi, ſive inſectilia aut individua, quæ ſunt in ſe ſpectata Ens ſimplex & unum extra omnem cohæſionem, quo colludit materia primi elementi Carteſiana.

VIII. Et talia prima principia differunt ſpecie, numero, & figura, quanquam ita accurate eorundem figura deſcribi non queat, comprehenſibiliter tamen illis figura ineſt.

IX. Hæc principia non cadunt in ſenſus externos, ſed ob ſubtilitatem ſuam

ſummam, mente tantum concipiuntur, absque tamen illa abſtruſa confuſa & metaphyſica Peripateticorum diviſione in infinitum.

X. Ejusmodi prima principia materialia ſunt ſumme mobilia, ob ſummam ſuam ſubtilitatem, ob id etiam ad combinationem ſubeundam admodum habilia, licet quoad eſſentiam ſpecialem, quædam illarum bene conveniant, alia vero minus; ſimplici teſtimonio principiorum aquoſorum & pingvium.

XI. Primus actus phyſicus combinandorum principiorum dicitur Mixtio, in qua principia quædam ſimplicia ſpecie diverſa primum conveniunt, & ſi inter ſe arcte conveniunt, etiam ita cohærent, ut tam facile ſe invicem haud deſerant.

Conf. Stahlii Specimen Becherianum l. c.
Opuſcula Chymica &c. p. 226. ſeqq.

XII. Et id quidem, quo magis conveniunt ratione eſſentiæ ſuæ, ubi non excludimus convenientiam materiarum quoad ſuas figuras & ſuperficies.

XIII. Inde contingit, ut quo magis materiæ ſe invicem tota ſuperficie exacte contingunt, non vero exiguis tantum punctis, eo firmius contineant & cohæreant.

XIV. Quapropter tale corpus mixtum non ita facile aut cito reſolvitur, niſi principia conſtitutiva maxime diſcrepent.

XV. Quod interim in mixtione ſubtili & intima faciliorem reſolutionem reſpuit, illud ex continuata motuum applicatione & inſtrumentorum reſolventium attenuatione ſuppletur.

XVI. Quanquam vero mixtum conſtet ex principiis ſimplicioribus numero pluribus & ſpecie diverſis, imo quanquam pro uno deinde moveantur, tamen quælibet principia priſtinam ſuam eſſentiam non mutant.

XVII. Falſa itaque eſt Ariſtotelis ſententia de mixtione, quod ſit privatio priſtinæ & inductio novæ formæ.

XVIII. Manent potius in corpore mixto principia eadem, attamen priſtina libertate non fruuntur, quia jam in aliqua unione & connexione ſtant, ergo novas qualitates induunt.

XIX. Eo difficilius vero corpus mixtum diſſolvi aut diffindi poteſt, quia intimius & ſubtilius cohæret, adeoque inſtrumenta materialia ad conciliandam divulſionem neceſſaria tenues illius commiſſuras non facile ingrediuntur.

XX. Dicitur hic actus diffiſſio phyſica, quæ tardius & ægrius ſuccedit, cum diviſio mentalis promtius & citius fiat.

Conf. Stahlii Opuſcula Chymica &c. p. 237. ſeqq.

XXI. Quare ſpeculatores dividentes citius ſe expediunt, quam artifices diffindentes; & facile inde liquet diverſitas inter ſpeculatores & artifices; hinc artifici magis in ſua arte credendum.

XXII. Pro-

XXII. Proinde mixtio in universitate rerum triplex occurrit, videlicet Mineralis, Vegetabilis & Animalis.

XXIII. Prior superat firmitate & durabilitate omnes reliquas, quoniam de oleosis & aquosis principiis non participat, utpote quæ principia ad perpetuum divortium inclinant.

XXIV. Constat potius ex principiis terreis diversæ speciei & indolis, quales terrarum species Becherus commendat, ad mineralogiam admodum sufficientes.

Conf. Stahlii Specim. Becher. p. 87. seqq.

XXV. Vegetabilis mixtio ratione durabilitatis medium locum tenet, quia facilius, quam mineralis, tardius quam animalis corruit & corrumpit.

XXVI. Facilius quam mineralis corrumpit, ob principii aquosi & pinguis præsentiam: difficilius quam animalis ob connexionem muci tenacioris & salini principii, quod reliquas materias magis connectit.

XXVII. Animalis vero Mixtio maxime infirma & summe corruptibilis est, ob principii aquei & pingvis largiorem concursum.

XXVIII. Constat animalis mixtio e copiosa quantitate principiorum aquosorum, non pauca copia pingvium ut & terreorum, & ex hisce posterioribus constantium mucilaginosorum.

XXIX. Quia vero aquositas & pingvedo non bene inter se conveniunt, ita animalis mixtio valde corruptibilis est, quæ in actu vitali plurimum operæ requirit, quo a corruptione defendatur.

XXX. Utraque hæc principia vel aquosa vel sulphurea ad concitandam corruptionem admodum efficacia sunt. Illud aquosum proxime motum intestinum excipit & communicat, hoc sulphureum vero facile eundem impulsum suscipit & propagat, & in tota reliqua compage divulsionem committit.

Conf. Stahlii Opuscula Chymica: & quidem fundamenta Zymotechniæ p. 100. seq.

XXXI. Sicut aqua instrumentum motus fermentativi est, quod imprimis valet de fluido aqueo principio, quod non formaliter sed materiali concursu ad resolutionem mixtionum concurrit.

XXXII. Ita sulphureum principium in fermentatione non absolute activum, sed etiam passivum est, quod vel in corpore mixto, ex sale, sulphure, & terra constante, continetur & simul movetur; vel ab aqueo principio primum impulsum assumit, si liberatum est, deinde vero alias mixtiones dissolvere adjuvat, per communionem motus quem primum subiit; adeoque hæc passio & reciproca activitas respectiva est.

XXXIII. Simplicior mixtio occurrit in humoribus diversis corporis animalis: reliquæ partes magis aggregatæ existunt.

XXXIV.

XXXIV. Obtinetur hæc mixtio humorum ſub diverſis motibus, vel fermentationis ſub concoctione, vel ſangvificationis, vel ſecretionis, vel diverſæ depuratoriæ tractationis, quemadmodum alias diacriſis & ſyncriſis ſibi invicem ſubſerviunt.

XXXV. Interim non aliam quam ſumme corruptibilem ſibi format mixtionem natura animalis; quod teſtimonium deplorandi lapſus eſt.

XXXVI. Alter actus qui mixtionem excipit in phyſico ordine, vocatur Compoſitio, quando e pluribus mixtis corpuſculis novum quoddam corpus prodit.

Conf. Stahlii Specimen Becher. l. c. Membr. I.

XXXVII. E compoſitis denique generantur aggregata, quæ conſiſtunt vel in fruſto i. e. in irregulari congerie: vel in ſtructo, i. e. quod conſtituit ordinatam, figuratam & proportionatam materiam, certis uſibus & finibus applicandam.

Conf. Stahlii Opuſc. Chym. p. 226. ſeqq.

XXXVIII. Eſt itaque animale corpus aggregatum quoddam, ſed omnino ſtructum, cum ſingulæ partes exquiſita materiali diſpoſitione & proportione fruantur.

XXXIX. Diſtingvitur corpus in partes ſolidas & fluidas: Solidæ, uti proprie ſtructæ ſunt, ita aggregatio illarum conſiſtit vel in textura vel in ſtructura.

XL. Textura eſt tenerior & ſubtilior coalitio materiarum tenuiorum, ordinata tamen ut productum pro diverſis effectibus edendis & impetrandis habile inſtrumentum ſubminiſtret: ſicuti textæ partes ſunt membranæ, vaſa, ductus, perioſtia &c.

XLI. Structura vero infert firmiorem & robuſtiorem conſiſtentiam in ſuo ſubjecto e craſſioribus materiis inductam, unde ſtructæ dicuntur partes oſſeæ, muſculoſæ, ligamentoſæ, cartilaginoſæ &c.

XLII. Structæ partes ſunt vel flexiles & mobiles, vel immobiles, ſolidæ & firmæ, quæ poſteriores oſſeæ ſunt, priores vero reliquæ.

XLIII. Struuntur partes pro diverſitate ſuæ conſiſtentiæ, per ſelectas & habiles materias, quæ fluidis inexiſtunt, quales ſunt ſive terreæ, quæ in ſoliditatem converti poſſunt, ſive mucilaginoſæ, quæ ad conſiſtentiam conciliandam contribuunt, ſive reliquæ teneriores.

XLIV. Sunt vero ſolidæ partes propterea, ut vel ipſum corpus animale ſyſtematicum aut firmum efficiant, vel quo partes fluidas debite circulent, & in ſuo fluore promoveant.

XLV. Haud vero ſolidæ partes juſtis & neceſſariis motibus tractari poſſent, ni aliquo fulcro aut fulcimento in ipſo reliquo corpore gauderent.

XLVI. Sunt

XLVI. Sunt itaque tale fulcimentum ossa, quæ inserviunt partim pro generica corporis firmitudine & fundamento, partim pro singulis partibus mobilibus, quæ plurimum ad ossa adfirmata sunt.

XLVII. Fluidæ vero partes dicuntur, quæ indesinenter progrediuntur motu undulante, unum locum deserente, novum vero occupante & recta linea cum mixtorum congerie procedente, & tales fluidæ partes sunt in corpore Humores.

XLVIII. Ex humoribus principalissimus est SANGVIS, qui in sua massa constat ex multis aliorum humorum speciebus; imprimis vero continet quantitatem aquositatis magnam, aliquam copiam pingvedinis & mucilaginis, non paucam etiam seri sic dicti, reliquum dicitur strictiori sensu Sangvis.

XLIX. Hic sangvis constat ex principio sulphureo & terreo calcareo, quorum utrorumque mixtio ruborem huic humori conciliat.

L. Excludimus itaqua phantasias illas nihil significantes de globulis sangvinis, aut vermiculis capitatis, aut ætherea aut fermentativa efficacia ad conciliandum ruborem vulgo accusari solita.

LI. Et hic sangvis juxta familiarem traditionem non est thesaurus vitæ, quæ hodiernum adhuc recepta persvasio ex credulitate Arabum emanavit.

LII. Et qui vulgo etiam de sangvinis spirituascentia formantur conceptus, illi nimis debiles & steriles sunt, & plus involvunt in opinione, quam solida & utili demonstratione: licet cæteroquin hæc sententia multum ministret anthropologiæ physicæ & famosæ imaginationi de spiritibus.

LIII. Est vero rectius æstimando, sangvis proximum corruptionis putridæ subjectum, quod quoad summam proclivitatem suam in putredinem, vix æquale agnoscit aliud subjectum.

LIV. Interim sangvis est instrumentum materiale ad vitam & sanitatem absolute necessarium, sine quo principalis motus vitalis administrari non potest.

LV. Unde infer animam & sangvinem arctum & constans occurrit commercium, quia sine sangvine illa ad vitam nihil condigni præstare potest.

Conf. Epistola mea de Commercio animæ cum sangvine.

LVI. Attamen anima & sangvis non confundi debent, siquidem vita & sangvis non unum idemque sunt, & indiget propterea sacer codex aliqua congrua interpretatione, quando dicit, quod sangvis brutorum sit eorum anima.

Conf. Præfatio Disputationis meæ de Hæmorrhagiis criticis.

LVII. Neque sangvis ex se vel vires dat vel vires auget, cur vero subtracto sangvine corpus debilitetur, magis ex illo commercio inter animam & sangvinem occurrente fluit, quam ex ratione physico mechanica.

LVIII. Differt ſangvis quoad temperamenta ratione craſeos & conſiſtentiæ: de reliquo vero ſangvis in ſe ſpectatus non eſt humor alimentoſus.

Conf. Stahlii Diſp. de Sangvinis temperie optima conſervanda & reſtauranda.
de Temperamentis.

LIX. Excipit alter humor, qui conſtituit SERUM, de quo priſca Medicina non multa, ad minimum non ſatis ſolida profert.

LX. In media vero Medicinæ ætate increbuit diſtinctio inter ſerum utile & excrementitium, per prius intelligebatur vel humor maſſam ſangvinis attenuans & diluens, vel nutritioni inſerviens, quem hodie lympham vocant.

LXI. Proprie vero & pro meliori diſtinctione Serum eſt humor heterogeneus, e principiis excrementitiis conſtans

LXII. Hæc ſunt, copioſum ſalinum, quod tam in ſudore quam in urina guſtui ſubjacet: non exiguum ſulphureum orgaſticum, quod ſeſe olido & oleaginoſo fœtore prodit: ut & terreum ſubtile; quæ omnia principia, uti in vehiculum aquoſum recepta, ita conſervando corpori non inſerviunt, quare in humore qui ſerum conſtituit, tanta copia, & per tot loca excernuntur.

LXIII. Generatur Serum vel ex ſangvine ipſo, quando reſolvitur & mixtionem ſuam perdit; ſiquidem principia pro Sero conſtituendo ex parte etiam ſangvini inexiſtunt.

LXIV. Et poteſt propterea Serum appellari ſangvis diſſolutus: deinde vero provenit Serum ex alimentis & potulentis, quibus ſub diverſis ſaporibus eadem principia commixta ſunt.

LXV. Denique ab extra adhuc cum aëre inquinato ſimilia principia pro conſtituendo Sero apta communicantur, magno & luculento teſtimonio navigationum, ad Scorbuti geneſin conciliantium.

LXVI. Talis vero Salſedo proprie mixtionem animalem non ingreditur; licet ex terrea illius ſubſtantia alterata & attenuata produci queat.

LXVII. Et hoc ſerum per totum humorum latifundium, imo univerſum reliquum corpus diſperſum eſt, & ob ſubtilitatem ſuam omnes partes ingreditur.

LXVIII. Hinc etiam utilibus humoribus communiter adhæret, uti eſt Lac atque Lympha.

LXIX. Proximus humor LYMPHA eſt, cujus conſiſtentia fluida, gelatinoſa, tamen pingvis & pellucida, exiſtit, qui humor & craſi & conſiſtentia tali ſe ſufficienter commendat.

LXX. Conſtat ex principiis pingvibus, tenuibus, mucilaginoſis, terreis & aquoſis, quæ principia libere fluctuant in hoc humore, neque ſibi invicem connexa ſunt, unde conſiſtentia Lymphæ eſt pellucida & tenuis.

LXXI. De-

LXXI. Derivari poteſt itaque a limpiditate, quia Lympha limpidus humor eſt, adeoque a quibusdam per tropum rhetoricum Ros & Aura Vitalis vocatur.

LXXII. Antiquioribus humor hic Lymphæ nomine non innotuit, qui per ſerum utile ſimilem humorem denotarunt.

LXXIII. Differt hæc lympha in ſubjectis quoad quantitatem & qualitatem ratione ætatis, temperamenti, ſexus, & diætæ.

LXXIV. Prodit eadem ex Chylo, tranſit ex parte in ſangvinem, & hic fatiſcit denique in Serum, ita ut inter hos humores luculenta quædam affinitas compareat, & intercedat.

LXXV. Dum vero Lymphæ conſiſtentia pingvis & gelatinoſa eſt, ita ſubjicitur diverſis inquinationibus ab humoribus impuris, qui ſe eidem innectunt, proptereaque ad diverſas morbidas afflictiones ita videlicet alterata diſponit.

LXXVI. Eſt vero Lympha pura proximus humor pro nutritione adminiſtranda neceſſarius atque utilis adeoque minime excrementitius.

LXXVII. Sicut vero hic humor gelatinoſus eſt, ita nimium calorem, aut contra, refrigerationem, non perfert.

LXXVIII. Ex hoc humore tam partes nutriuntur, quam ſangvis reparatur, unde illius utilitas in negotio vitali ſeſe abunde commendat.

LXXIX. Ad humores & fluidas partes ſpectat etiam CHYLUS, qui proxime ex alimentis extrahitur, & eſt illa materia, e qua poſtea Lympha fieri ſolet, eſt hic Chylus humor lacteus.

LXXX. Continet ob id eadem principia, quæ Lympham conſtituunt, ſub illa tamen differentia, quod in Chylo hæc principia ſint connexa & magis mixta, unde conſiſtentia Chyli ſpiſſior minusque pellucida eſt.

LXXXI. Deinde etiam adhuc continet præ Lympha muciditatem paulo ſpiſſiorem, quæ tamen ab eodem ſegregatur, quam primum in Lympham convertitur.

LXXXII. Per accidens vero alia principia aſſumit, quæ tamen ad ejus eſſentiam non ſpectant, & propterea Chylum magis inquinant, ut ſunt Salina, bilioſa, feculenta, fermentativa.

LXXXIII. Tanto magis Chylus ejusmodi inquinationibus expoſitus eſt, quia partim ex maſſa excrementitia ſegregatur, & quia per primas regiones transfluit, quæ communiter cum impuritatibus refertæ ſunt.

LXXXIV. Sequitur LAC, de cujus eſſentia & formatione Phyſiologi varia ſpeculantur, quamvis Lac nihil aliud quam Chylus ſit.

LXXXV. Unde Lacti eadem ſunt principia & eædem qualitates materiales, quæ Chylo ſunt, niſi adhuc Lac facilius quam Chylus aceſcat.

LXXXVI. Connectuntur & communicantur hæc aceſcentia principia e diuturniori commercio & commeatu cum ſangvine, cui ſalina hæc principia inſunt,

LXXXVII. Alioquin vero Lac extra ordinem ingrediuntur e diverſis cauſis & occaſionibus alia principia, ut bilioſa & orgaſtica, quæ tamen ad ejus eſſentiam non ſpectant, & quæ in infantibus multas afflictiones cauſantur.

LXXXVIII. Habet interea Lac ratione uſus & applicationis relationem ad infantem teneriorem, qui adhuc craſſiori alimento nutriri & ſuſtentari non poteſt, unde hoc liquore pingui & pro Lympha conſtituenda apto fruuntur.

LXXXIX. Eſt propterea Lac index vel expectandi vel præſentis infantis, qui hoc nutrimento indiget.

XC. Ad humores ſpectat etiam BILIS, cujus fluiditas ordinaria ſatis evidens & oleaginoſæ conſiſtentiæ ſimilis eſt, licet extra ordinem in tophaceam conſiſtentiam & duritiem tranſeat.

XCI. Fruſtra vero Bili aſſignantur virtutes balſamicæ, cum contrarietas hujus prædicati in ipſo effectu eluceſcat.

XCII. Principia Bilis ſunt copioſa ſulphurea, ſalina tenuia, mucilaginoſa & ſubtilia terreſtria, quæ diverſis experimentis comprobari poſſunt.

XCIII. Illa vero inter Phyſiologos & Anatomicos vulgaris & intricata eſt diſceptatio, qualenam ſal Bilis contineat, an acidum, an alcali?

XCIV. Plurimi affirmant, quod Bilis Sal alcalinum contineat, cur? quia eſt amara, quanquam amarities non ſit eſſentialis & ſolus character Salis alcali.

XCV. Gaudet vero Bilis de principio Salino, Acido, teſtantibus variis argumentis & experimentis.

XCVI. Quod vero Bilis amara ſit, provenit a connubio principii acidi cum pingui; ſiquidem ex diverſis amaris ſpeciebus penetrans acidum produci poteſt.

XCVII. Eſt itaque Bilis humor excrementitius, licet ante excretionem ſuam adhuc utilitatem aliquam exſerat.

XCVIII. Excipit SALIVA, humor valde limpidus & fluidus quantitate ſalis notabili occurrens, & ſeorſim ſecerni ſolitus.

XCIX. Conſtat e principio ſubtili acido-ſalino, temperato tamen, & cum multa tenui aquoſitate involuto.

C. Unde illius effectus materialis eſt fermentativus, quem in partes reſolvendas exercet.

CI. Non vero propterea humor excrementitius eſt, licet intra fauces exprimatur, cum poſthac juxta ordinem vitalem deglutiri debeat.

CII. Alius humor, qui a ſalivali nihil diſcrepat, niſi nomine & loco, ubi ſecernitur, eſt, qui vocatur PANCREATICUS SUCCUS.

CIII. Hic induſtriæ & inventioni poſteritatis adſcribendus eſt, quanquam adhuc inventores litigent de gloria ex invento reportanda.

CIV. De-

CIV. Deinde etiam multiplex disceptatio inter Physiologos & Anatomicos occurrit circa hunc succum, an Lympha, Chylus, Succus nerveus, resolutus sangvis, vel alius humor existat: quid quod an acidus, salsus, dulcis vel insipidus sit.

CV. Est vero hic humor non alius, quam salivalis, & convenit cum Saliva respectu principiorum, consistentiæ, coloris, effectus physici, applicationis in œconomia vitali, & organi sui secretorii.

CVI. Fluidis partibus annumeratur SPERMA, cujus analysis inter Medicos satis intricata & confusa existit.

CVII. Quicquid enim sententias Paracelsi, de idæis humanis spermati inexistentibus, aliorumque Medicorum de spermate deciduo, & recentiorum de Vermiculis qualitercunque figuratis, opinionem attinet, tunc hæc adhuc multis paralogismis est subjecta.

CVIII. Est vero Sperma humor mixtus e salivali & lymphatica substantia constans.

CIX. Et hoc assertum probant varia argumenta, quæ tam ex ordinario sanitatis statu, quam extraordinaria morborum conditione fluunt.

CX. Sed participat etiam Sperma de tenui aquositate, quæ successive ab eodem transpirat, ut reliquus humor vel liquor consistentiam spissiorem nanciscatur.

CXI. Ejusmodi constitutionis est LIQUOR GENITALIS fœminarum, licet hic non ad eosdem usus applicetur, quo Sperma masculinum pertinet.

CXII. Ultimus ex humoribus in homine vivo occurrens est MUCILAGO, cujus consistentia, uti præ reliquis humoribus spissior est, ita tamen spissitudine discrepat, & dantur in humoribus tenaciores, & tenuiores muciditates.

CXIII. Interim fluidior Mucus, quando tenuem humidam substantiam amittit, in spissiorem consistentiam degenerat, & contra spissior mucus, cum tenui humiditate dilutus & emollitus fluidior reddi potest.

CXIV. Sicut itaque Muci consistentia est paulo firmior, ita hæc mucilago est quasi gluten reliqui corporis, per quod subtiliora principia connectuntur, & corpus inde redditur densum, solidum & ex parte crassum: quemadmodum imprimis hic mucus pro osseis partibus formandis, firmandis & confirmandis inservit.

CXV. Constat vero Mucus e terreo-limoso-calcarea cum humiditate permixta substantia: quare ablata hac humiditate, Mucus ille terteam, spissam & friabilem consistentiam inducit.

CAPUT IV.

THEORIA CORPORIS HUMANI MEDICA.

I.

QUando de corpore humano, in quantum uſui medico ſubjacet & inſervit, ſermo inſtituitur, tunc proprie agitur de corpore vivo.

II. Hæc qualitas vitalitatis corpori ut corpori non eſt propria, ſed aliunde ipſi accidit.

III. Licet enim corpus ex certis principiis conſtet, & mixtum & aggregatum ſive textum ſive ſtructum ſit, eapropter vero non ſtatim vivum eſt.

IV. Nam diſpoſitio materialis ad diverſos motus & effectus ſic dicta phyſico-mechanica non ſtatim neceſſitat corpus ut vivum reddatur.

V. Unde ratio vivi ſupervenit corpori mixto & phyſico, & differentia eſt luculenta inter corpus phyſicum & medicum, aut inter rationem vivi & mixti.

VI. Ex hac genuina & non affectata vivi cognitione fluit vera differentia Mechaniſmi & organiſmi, aut rationis mechanicæ & organicæ.

Conf. Stahlii Schediaſma de differentia Mechaniſmi & Organiſmi.

VII. Et in hac medica imprimis corporis tractatione maximo ſtudio evolvenda eſt vera ratio vivi & vitæ, quo nimirum Medicus ſuum ſubjectum in illo ſtatu recte pernoſcat, in quo illud arti medicæ ſubjicitur.

VIII. Diverſis enim modis differt Theoria & tractatio de mixto a tractatione & diſquiſitione vivi.

IX. Quanquam vero vita in communi ſenſu de diverſis ſubjectis dicatur, & ſigillatim vel Deo, vel animæ, vel corpori adſcribatur, tamen ſenſu medico ſumta vita requirit duo ſubjecta, unum activum, quod principium vitale eſt, & ſecundum aſſertionem noſtram Anima hominis, alterum paſſivum, nimirum corpus.

Conf. Stahlii Schediaſma de differentia mixti & vivi.

X. Eſt itaque vita juxta formalem & veram ſuam rationem & æſtimationem conſervatio mixtionis animalis valde corruptibilis corporis humani a principio incorporeo, corpori tamen inexiſtente, per actum incorporeum, nimirum motum in genere, per Se- & Excretiones vero in ſpecie, cum idoneis organis, ſub concurſu confirmationis corporis & adminiculorum neceſſariorum corporis exiſtentiam ſuſtentantium & proportionati motuum progreſſus impetrata.

Conf. Stahlii Diſp. de Vita.

XI. In hac vitæ definitione hærent omnes illæ tractationes, circa quas Physiologia medica versatur.

XII. Quo spectat consideratio de Natura (quam modo præmisimus) & implicite de primo hujus concursu cum corpore sub actu generationis, de corpore quoad materialem suam constitutionem, de vita, per quam corpus hoc fit subjectum genuinum medicinæ, de motibus vitalibus horumque consectariis, de se & excretionibus, de constitutione & usu partium, de nutritione, de rebus non-naturalibus, & de Temperamentis.

XIII. Exprimit vero hæc definitio veram & simplicem formam atque indolem vitæ, & declinat confusionem mediorum sive causarum mediatarum ad vitam pertinentium.

XIV. Etenim definitio exhaurire debet indolem & formam sui definiti, ne confusio causarum suboriatur.

XV. Vocamus vitam conservationem mixtionis; in hac enim hæret & consistit status integritatis animalis & per consequens etiam hæc vitæ puræ, simplicis & veræ genuina forma est, quando corpus a corruptione indesinenter arcetur, & ita in illo statu servatur, quo exclusis & interceptis heterogeneis & perniciosis causis & materiis reliqua mixtio salva maneat, & a dissolutione libera.

XVI. Et hæc conservatio ita comparata esse debet, prout usibus hominis in œconomia vitali competit, & in quantum cum mixtione animali, quatenus hæc in correlatione cum vita stat, congruit.

XVII. Quo loco præstat evitare confusionem illam, qua conservatio corporum quorundam mere physica cum conservatione usibus humanis vitalibus quadrante, ludicre commiscetur; quo respectu etiam corpus animale per mere physica adminicula conservari potest, sed citra respectum aut relationem ad usus vitales.

XVIII. Et si motus vitales, tanquam media ad acquirendam vitam absolute necessaria recte decurrunt, tunc ex iisdem per bonam consequentiam fluit, ut corpus sit salvum & a læsione immune: quæ conservatio, dum excipit efficaciam motuum vitalium, propterea cum ipsis motibus confundi non debet.

XIX. Est itaque aperta confusio, quando hæc media & subsidia ad obtinendam vitam idonea pro ipsa vita declarantur, cum inter formam rei & causas mediatas ad rem illam spectantes simplex & perpetua sit differentia.

XX. Propterea vita est conservatio, non actus conservans, sed ille status, qui actum excipit.

XXI. Præcipue versatur hæc conservatio circa mixtionem; cum in corpore animali primo nihil magis corruptibile sit, quam mixtio, secundo cum hac

mixtione

mixtione nitatur tota reliqua corporis compages & ſtructura, ut fatiſcente mixtione ſimul corruat ſtructura.

XXII. Maxime vero ad mixtionis inverſionem contribuit principium ſulphureum, valde ſubtile & valde mobile, cui recte tractando in œconomia vitali opera danda eſt.

XXIII. Si itaque hoc principium, quod jam in corpore fluctuat, tempeſtive & ſufficienter eliminatur, tunc reliqua mixtio manet ſalva, neque expoſita eſt talibus invaſionibus a principio tam ſubtili expectandis diſſolutoriis.

XXIV. Hujus vitæ in corpore humano principium eſt anima hominis, quæ a benigno creatore hac notitia ita prædita eſt, ſecundum quam corpus ſuum fragile, cui inhabitat, ad futuros ſuos uſus conſervat.

XXV. Quæ aſſertio, quod videlicet Anima hominis, & illa quidem rationalis, principium vitale ſit, diverſis confirmari poteſt ſpecialioribus argumentis.

XXVI. Unde non admittimus ſententiam, qua aſſeveratur, vitam eſſe balſamicam corporis qualitatem, cum potius materialis talis corporis qualitas a vita maxime diſcrepet & diſcedat, & corpus illud ipſum ſubjectum ſit, cujus proprium in quarto modo a balſamica hac efficacia maxime alienum eſt, & perpetuam corruptibilitatem continet.

XXVII. Ob id poſt lapſum inſeparabilis hæc eſt corporis qualitas perpetua, quod corpus ſit extreme corruptibile.

XXVIII. Adeoque ſtatus vitalitatis hanc corruptibilitatem ita coercet, ne e potentia ſua in actum i. e. corruptionem ruat.

XXIX. Proinde indoli vitæ non congruit aſſertio, quod vita ſit vinculum animæ cum corpore, cum nuda hæc & abſtracta communio nondum vitam abſolvat.

XXX. Tanto minus hæc aſſertio veritati congruit, quando juxta vulgarem ſententiam Animæ denegatur jus & capacitas movendi, vel motibus inſtruendi corpus ſuum ſubjectum: vita vero animalis unice hujus corporis integritatem concernit.

XXXI. Abludit a veritate, quando aſſeritur, vitam conſiſtere in motu, cum illud coſiſtere nimis obſcuram interpretationem involvat; motus enim in ſe ſpectatus nondum continet aut per aliquam neceſſitatem ex ſe ſuppeditat corpori exiſtentiam, ſiquidem etiam vita, diſtincte rem edifferendo longe aliud quid eſt, quam nudus motus.

XXXII. Neque genuinæ vitæ indoli ſignificandæ ſatisfacit illa ſententia, qua progreſſivus ſangvinis motus per partes, certa diſpoſitione materiali inſtructas, ſuccedens, cum vero vitæ conceptu combinatur.

XXXIII.

XXXIII. Illud enim quod ex hoc motu & reliquis vitalium motuum ſpeciebus profluit, & logico, & phyſico & medico ſenſu magis meretur appellari vita: ad evitandam enim omnem confuſionem & commendandam diſtinctam rei definitionem, formam aut formalitatem per proximiores effectus vitam explico.

XXXIV. Adeoque inculco, quod vita per motus vitales ſic dictos in genere, & ita etiam per motum progreſſivum ſangvinis, per ſe- & excretiones vero ſpecialius perficiatur: propterea vero vita, tanquam ſtatus ille, qui hos motus & effectus conſequitur, aut proximum, directum & eſſentiale horum motuum & effectuum conſectarium & productum, non cum motibus illis aut effectibus confundi debet: alias æquali jure aſſerere liceret, quod ſe- & excretiones ſint vita; cur? quia ſine illis vita obtineri non poteſt; quod cor ſit vita! cur? quia ſine corde motus progreſſivus ſangvinis non celebratur, & ſine hoc homo vivus non eſt! quod prima elementa ſint vita! cur? quia cor ex illis conſtat, ſine corde motus progreſſivus non fit &c. & ſic in infinitum.

XXXV. Deinde chymica illa opinio de vita, quaſi ſit temperies humorum & ſalium, nimis tropica eſt, atque ſolida demonſtratione deſtituta.

XXXVI. Omnium maxime obſcurus & ſterilis eſt conceptus de vita, quod ſit legitimus ſpirituum motus, per juſtam humorum & corporis ſolidi temperiem, quæ definitio fœtum imaginationis, & metaphyſicum magis ſenſum prodit.

XXXVII. Quod reliquam oblocutionem attinet, quaſi vita non poſſit eſſe conſervatio mixtionis, cum abſente vita, mixtio tamen integra eſſe queat, v. g. in corporibus congelatis, aut perfumatis vel lixivio commiſſis vel balſamatis &c. tunc eadem ſimiliter confuſionem ex ſupra dictis demonſtrandam committit.

XXXVIII. Hæret enim in hac oblocutione grandis paralogiſmus, quo qualiscunque mixtionis integritas commiſcetur cum illa, quæ homini ad uſus animales convenit & competit.

XXXIX. Vitæ opponitur Mors, & ſicut vita conſervatio mixtionis quoad formalem ſuum conceptum eſt, ita mors eſt diſſolutio ſive deſtructio mixtionis.

XL. Et quemadmodum vita ſine motibus vitalibus concipi non poteſt, ita motuum vitalium abolitio mortem inducit.

XLI. Quam partem ſemel occupavit corruptio, illa abſolute mortua eſt, & naturali ordine & poteſtate vivificari non poteſt, ſed ſi poſſibile a reliquo vivo corpore tempeſtive removeri debet.

XLII. Ceſſantibus mediis, ceſſat effectus, & ceſſantibus motibus vitalibus, deſinit vita & occupat mors.

XLIII. Cum vero vita & ſanitas ſibi invicem inſerviant, ita Sanitatem voco convenientem actionum vitalium adminiſtrationem per partes organicas, integras & illæſas.

XLIV. Et hi ſunt potiores reſpectus generaliores ad medicam corporis theoriam pertinentes.

CAPUT V.

DE

MOTIBUS VITALIBUS.

I.

VIta animalis, in quantum eſt conſervatio mixtionis ſumme corruptibilis, non niſi per idoneos & proportionatos motus impetratur, qui propterea dicuntur vitales.

II. Vitales vocantur, ad differentiam aliorum motuum corpori humano ſupervenientium, magis phyſicorum, & ſine directo fine, ſalubritati corporis proſpiciente, decurrentium, quin proximius diverſa detrimenta corpori inferentium.

III. Et hi motus ſunt illæ actus, per quem anima humana ſuo corpori vitam & ſanitatem conciliat.

IV. Quid quod Motus ſunt illud ſimpliciſſimum vinculum & medium, per quod Natura commercium cum ſuo corpore habere ſolet.

V. Unde etiam ejusdem indolis & qualitatis ſunt, qua de principio vitali prædicari poſſunt.

VI. Sunt vero motus ejus etiam habilitatis, ut cum materia proxime conveniant, adeoque ſubjectum incorporeum cum corpore conjungant.

VII. Attamen motus non eſt materia, neque eſt materialis, ſed ſecundum ſimpliciſſimum conceptum alterius indolis, quam materia eſt.

VIII. Neque veritati convenit traditio illa vulgaris, quod motus ſit vis, qualitas aut niſus materiæ, quippe qui conceptus admodum obſcurus & hieroglyphicus eſt.

IX. Motus ſimpliciter conſideratus eſt actus, actum vero & materiam pro uno eodemque ſubjecto habere velle, ſanæ rationi repugnat.

X. Si vero actus non eſt materia, ſequitur quod motus non ſit materia; id quod etiam multiplicia documenta in phyſicis diſquiſitionibus comprobant, quæ ſatis evidentia ſunt; modo animus a præjudiciis & obſcuris Philoſophiis liber ſit.

XI. Motus eſt incorporeum quid, & tamen eſt aliquid reale, ſi enim materiæ ſupervenit, demonſtrat quod reſpectu materiæ Ens novum & aliud quam materia ſit.

XII. Non per se subsistit, neque propterea sensu physico sumendo substantia est, quia a causa movente provenit, neque nudum accidens est, sicuti respectu causæ suæ superioris moventis accidens esse non potest, cum sit essentialis illius qualitas: respectu vero materiæ & objecti cui immittitur & conjungitur, accidens evadit: unde motus singulares conditiones habet.

XIII. Frustra interim litigant, qui e motu, modo substantiam, modo accidens formare & extorquere operose contendunt, cum consultius & utilius sit Theoriam de motu a scholasticis disquisitionibus repurgare.

XIV. Hæc motus immaterialitas demonstrari potest, inter alias animadversiones de essentia motus instituendas, quod detur motus extra materiam, qui proxime in materiam transferri & communicari potest.

XV. Quare dantur motus in abstracto, & quidem reales, veri & in existentia sua indubii & confessi, nec non in concreto, qui cum subjecto materiali decurrunt, sed qui propterea non materiales existunt.

XVI. Interea constat illa Physicorum contumacia, qua motus extra materiam agnoscere acriter, audacter & austere repugnant, & hinc motus mere materiales supponunt atque fingunt, tanquam fœtum obsoleti præjudicii.

XVII. Si itaque motus est incorporeus, sequitur quod illius prima causa, sive principium, ex quo primum profluit, incorporeum esse debeat, quo effectus de sua causa testetur.

XVIII. Adeoque motus in tota rerum universitate pro suo primo principio agnoscit vel Deum, vel subordinatum Spiritum incorporeum vel animam.

XIX. Subjectum materiale non potest esse primum principium motus, quia immateriale a causa materiali primum provenire non potest.

XX. Interea neque confundendi sunt hi conceptus, quando motus per materias decurrit & communicatur, & quando a materia quasi generari dicitur, quod posterius constanter nego.

XXI. Materiæ motus non est proprius neque innatus, quid quod extra omnem sanam philosophiam est, quod motus in materia hæreat quietus aut inclusus.

XXII. Et quod vulgo quidem de impedimentis motuum removendis, de tendentia corporum ad centrum terræ ex se contingente, de voluntate Dei, quod materiæ essentialiter adsit & insit motus &c. peroratur, ad communia physica asyla optimo jure referri meretur.

XXIII. Motus est actus, progrediens e re ad rem, e termino ad terminum, e puncto ad punctum.

XXIV. Cum vero impræsentiarum non de motu in genere, sed de illo Motu seorsim sermo sit, qui ad corpus animale vivificandum spectat, ita sufficerit aliquid de indole motus indicasse, & prælibasse.

XXV. Motus vero vitales ſunt illi actus, qui per apta organa in corpore animali exercentur ad impetrandam vitam & ſanitatem neceſſarii.

XXVI. Tales motus, qui vel vitales audiunt, vel in vitali œconomia obſervantur, potiores ſunt 1) *Motus progreſſivus ſangvinis*, 2) *Motus Tonicus* partium vitalis, 3) *Motus voluntarius* corporis, 4) *Motus ſenſationis*, & 5) *Motus inteſtinus*; qui poſterior improprie vitalis eſt, ſed quia vitalibus motibus intercurrit, illius etiam mentionem injiciam; imprimis cum aliquales uſus vitalitati ſubſervientes exſerat, qui tamen ſub nullo proximo directorio, aut immediata deſtinatione ſtant.

XXVII. Principaliſſimus horum eſt *Motus progreſſivus ſangvinis*, qui vulgo vocatur *Circulus ſangvinis*.

Conf. Stahlii Schediaſma de Æſtu Maris Microcoſmici, & de Mechaniſmo motus progreſſivi ſangvinis.

XXVIII. Hic priſcis Medicis non fuit cognitus, ſed recentiorum induſtriæ & inventioni adſcribi debet.

XXIX. Eſt vero hic motus progrediens, neque in ulla corporis regione ſubſiſtens, ſed continuo per ſangvinem circumiens.

XXX. Propterea vocatur Circulus, quia ex uno puncto effluit, nimirum e Corde & in illud iterum influit.

XXXI. Unde ſubjectum hujus Motus eſſe debet fluidum & non ſolidum, uti ſangvis eſt: quam primum vero hic ſpiſſior redditur, tunc ad hunc progreſſum ineptior evadit, & lædit proportionem motus ad humores.

XXXII. Ordo vero hujus progreſſus eſt, ut e Corde ſangvis per Arterias propellatur, ex arteriis ad univerſum corpus tam ſurſum intra caput, quam deorſum in reliquum truncum, imprimis vero in organa cribroſa, aut partes poroſas effundatur, per has partes profluat, ex iisdem intra Venas transfluat, & per Venas ad Cor iterum refluat.

XXXIII. Particularis circuitus ſangvinis notandus eſt, quod e dextro Cordis ventriculo ſangvis intra pulmones per arteriam pulmonalem & per illos in venam pulmonalem, ex hac denique in ſiniſtrum cordis Ventriculum profluat.

XXXIV. Ob id progreſſui ſangvinis, uſus pulmonum per reſpirationem imprimis maximopere favet, cujus defectum in embryone peculiares viæ ſupplent.

XXXV. Dignitas hujus Motus inter alia momenta ex eo eluceſcit quod in œconomia vitali continuo duret, ſiquidem cordis Motus, nunquam ceſſat, ſed diu noctuque continuat.

XXXVI. Sangvis itaque ex ſiniſtro Cordis Ventriculo per Syſtolem in arterias propellitur & ad partes advehitur, qui quando rapide per arterias transfluit, easdem tunc momentanee extendit, cujus extenſionis aut elevationis perceptio Medicis Pulſus audit.

XXXVII. Pul-

XXXVII. Pulſus itaque non eſt motus arteriis proprius, qualis vulgo ſupponitur ſyſtalticus, ſiquidem ſenſitivæ perceptioni contrariatur, quod in Pulſu arteriæ non conſtringantur, ſed dilatentur, quæ dilatatio provenit a ſangvine momentanee arterias transeunte, & allidente, indeque diſtendente.

XXXVIII. Expellitur itaque ſangvis ex arteriis in partes poroſas & reliquas organicas cribroſas: dicuntur vero nobis pori, interſtitia fibrarum, quæ permeabilia ſunt.

XXXIX. Fibræ vero ſunt pars ſolida, flexilis tamen & conſiſtens, non vero cava aut pervia.

XL. Unde ſangvis non per fibras, quæ quandoque cavæ ſupponuntur, ſed per prædicta interſtitia ſive poros progreditur, cujus aſſerti diverſa proſtant argumenta.

XLI. Interea Motus Cordis ſyſtalticus tantum proficit, quo ſangvis ſingulas partes ingrediatur.

XLII. Arteriæ habent ſuas abſolutas extremitates quoad plurimas propagines e quibus ſangvis intra partes effluit.

XLIII. Et quo ipſe per poroſas imprimis partes progrediatur, non efficit, neque ſufficit Pulſus Cordis, ſed Tonus partium ſive Motus alternans conſtrictorius & relaxatorius.

XLIV. Huc contribuit fluiditas ſangvinis & Motus voluntarius corporis.

XLV. Sangvis enim, qui ex arteriis affluit, fluidior eſt, quam qui in Venis deprehenditur, quæ fluiditas & ſubtilitas ſangvini conciliatur, dum per pulmones progreditur, & e Ventriculo cordis pellitur.

XLVI. In partibus poroſis vero ſangvis adhuc magis attenuatur & fluidus redditur, dum per easdem transprimitur & in iisdem conquaſſatur.

XLVII. Quid quod in illis partibus magis concaleſcit, dum inter fibrillas atteritur & proprimitur.

XLVIII. Ita calor ſangvinis non a nudo motu inteſtino molecularum ſangvinearum, imprimis inflammabilium provenit, ſed ab illa alliſione, attritione, colliſione, appreſſione & transpreſſione in & per poros fibrillarum, tanquam per partes ſolidas.

XLIX. Hic tonus, qui ad promotionem ſangvinis per partes poroſas concurrit, proportionato ordine alternat cum pulſu: unde qualis pulſus, talis etiam eſt tonus: loquor vero de gradu & ordine.

L. Sangvinis reditum e capite promovent membranæ capitis, quibus vaſa ſangvifera intertexta ſunt: illæ enim ut nervoſæ continuo ſubtili conſtrictorio motu gaudent, & vaſa venoſa comprimentes, adjuvant refluxum ſangvinis ad cor.

LI. E partibus poroſis vero progreditur ſangvis in venas, harumque minutiſſima oſtiola ingreditur.

LII. Et quanquam hic ingreſſus difficilis eſſe ab adverſariis & anaſtomoſeos autoribus præſumatur, tamen ille per diverſa commoda adjuvatur & promovetur.

LIII. Etenim commemoratæ difficultates longe magis premunt ſuppoſitam totalem anaſtomoſin.

LIV. Per venas refluit ſangvis a partibus ad cor, niſi ſola Vena portæ excipiatur, per quam ſangvis a partibus ad partem iterum progreditur, interea tamen ad refluxum verſus cor omnino reſpicit.

LV. Hic progreſſus ſangvinis per Venas videtur adhuc majoribus difficultatibus premi, cum in toto ſpatioſo corporis humani Trunco per aſcenſionem profluat, propterea etiam eminenti & evidenti motu indigeat.

LVI. Interim ad promovendum hunc regreſſum ſangvinis diverſa adminicula contribuunt, inter quæ nominari etiam debent Valvulæ Venarum, quarum præſentia tam in corde, quam in venis Harveum permovit, quo circulum ſangvinis agnoſceret.

LVII. Quando in aliqua vena valvulæ tales deficiunt, tunc alia ſubſidia earundem defectum ſupplent, quod imprimis valet de Vena Portæ, & azygos.

LVIII. Sub hoc paulo tardiori refluxu ſangvinis per Venas ad Cor, ipſe ſangvis in ſpiſſiusculam conſiſtentiam redit.

LIX. In hac motus progreſſivi conſideratione phyſiologica, hodiernis ævis floret ſententia quædam inter Medicos, anatomicis imprimis ſubtilitatibus inhærentes, de Anaſtomoſi vaſorum ſangviferorum abſoluta.

LX. De hac anaſtomoſi traditur, quod ſangvis ex arteriis immediate in venas profluat, neque in partes vel poroſas vel cribroſas alias effluat.

LXI. Supponitur enim quod Arteriarum fines ſint Venarum initia, aut per interpoſitas valvulas in venas continuent, ex qua connexione & convolutione glandularum texturam & compagem credunt, fingunt & ſtatuunt.

LXII. Et qui vulgo Anaſtomoſi in Anatomicis & Theoreticis favent, mox a particulari ad univerſale argumentantur & totalem in corpore humano Anaſtomoſin ſupponunt.

LXIII. Licet vero ex mero, ſic dici ſolito, luſu Naturæ ob copiam vaſorum in aliquibus partibus, Anaſtomoſis occurrat, tamen eadem 1) non pertinet ad eſſentiam corporis, 2) neque abſoluta & univerſalis eſt.

Conf. Stahlius de Mechaniſmo motus progreſſivi ſangvinis theſ. 3.

LXIV. Hic motus, quem progreſſivum appellamus non eſt actus ſimpliciter mechanicus ex ſe pendens, aut a corpore & cauſis atque qualitatibus corporeis proveniens.

LXV. Sed eſt actus non alterius principii & cauſæ efficientis, quam ſolius Naturæ hominis, quod aſſertum variæ rationes comprobant.

LXVI. Præ-

LXVI. Præter ſangvinis circulum & progreſſum, differunt etiam Phyſiologi & Anatomici de Circulatione Lymphæ, quæ cum ſangvine effluit, per ductum thoracicum vero refluit in ſangvinem.

LXVII. Altera ſpecies motus vitalis eſt *Motus Tonicus* partium.

Conf. Stahlius de Motu Tonico Vitali, de Æſtu mar. micr.
de Mechaniſmo Mot. progr. ſang.
Diſputatio mea de Atonia.

LXVIII. Toni appellatio & notio antiqua quidem eſt, licet vera ſignificatio non niſi recentiſſimis temporibus magis exculta & commendata fuerit.

LXIX. Debemus veram, evidentem & utilem Toni commendationem Celeberrimo Stahlio, ante quem nemo tam dignis demonſtrationibus & applicationibus hanc motus ſpeciem explicavit.

LXX. Rem ipſam, quam tamen non condigne intellexerunt Veteres, per robur partium denotarunt, quid & quale vero tale ſit robur, non deſcripſerunt.

LXXI. Recentiores juxta captum phyſicum & mechanicum cum elatere partium allegorias ſuas inſtituerunt, quanquam talis elaſticitas partibus animalibus in negotio vitali non ita propria ſit, qualis eſſe deprehenditur diverſis aliis materiis, ita ut talis impropria locutio obſcura adhuc & manca ſit, prout aliæ hujus indolis, fori & ſcopi aſſimilationes paſſim eſſe ſolent.

LXXII. Tonicus motus a principaliori ſuo effectu eſt tenſorius, qui relationem ſuam habet ad alternantem relaxationem ſive remiſſionem.

LXXIII. Tenſio involvit conſtrictionem, compreſſionem, coarctationem, & ſubjuncta relaxatio infert apertionem & remollitionem partium.

LXXIV. Quare Tonicus Motus ſtrictorio & relaxatorio effectu ſe exſerit, cujus ſubjectæ partes tali textura præditæ eſſe debent, quo ſtringi & iterum remitti queant.

LXXV. Unde partes fibroſæ & filamentoſæ regulares Tonico Motui ſunt ſubjectæ; quarum vero partium textura quidem fibroſa ſed irregularis & decuſſatim poſita eſt, illæ partes ſpeciali hoc tono non gaudent, licet materiali quadam tenſione præditæ ſint.

Conf. Diſp. mea de Atonia.

LXXVI. Principalis itaque toni efficacia conſiſtit in moderata partium conſtrictione & relaxatione, quæ in ordinario ſtatu alternat, neque diutius vel in conſtrictorio effectu continuat, vel ſtricturam neceſſariam retardat.

LXXVII. Interim multiplices alii, tam generales, quam ſpeciales, tam ſimplices quam a contrario pendentes toni effectus in communi vita humana occurrunt, ut ſunt denſitas, aut mollities, rubor vel pallor, partis oppletio vel depletio vaſorum, calor vel frigus, flexilitas vel contractura &c.

LXVIII. Ne-

LXXVIII. Neque existentia Toni ullo modo denegari potest, cum multa phænomena, tam in ordinario, quam in extraordinario statu occurrentia, eandem comprobent.

LXXIX. Est vero hic Tonus actus Naturæ humanæ & non aëris (quoad efficaciam compressoriam) in corpora inanimata activi & operosi.

LXXX. Hic Tonus in ordinario suo statu & successu non cadit in crassam sensitivam perceptionem, tunc demum vero crassis sensationibus innotescit, quando magis magisque augetur.

LXXXI. Secundum hæc augmenta differunt etiam diversa phænomena in corpore vivo occurrentia, siquidem primus & mitior gradus hujus motus simpliciter Tonus audit, qui tamen adhuc per diversos gradus augescere potest.

LXXXII. Majus Toni augmentum constituit Spasmos, maximus denique Toni gradus efficit Convulsiones.

Conf. Stahlii Disp. de Motibus humorum spasmodicis.
de Spasmis.

LXXXIII. Appellamus hunc Tonum in legitimo suo successu Motum absolute Vitalem, quia ad singulos effectus, vitalitati subservientes, concurrit & contribuit.

LXXXIV. Sine hoc enim Motu nullus sangvinis & humorum reliquorum concipi potest progressus, quemadmodum per hunc motum sangvis ad partes admittitur & e partibus remittitur.

LXXXV. Et hic Tonus maxime subservit animi pathematibus, sub quibus momentanee alteratur, ita tamen ut intentionibus patheticarum commotionum conveniat.

LXXXVI. Proinde alteratio tonici motus ad alterationem reliqui progressus sangvinis evidenter contribuit.

LXXXVII. Datur etiam intensio & remissio Tonici motus in ordinario vitalitatis & sanitatis statu, testimonio refrigerationis & incalescentiæ.

LXXXVIII. Tonus & sensus inter se habent perpetuam harmoniam, & se invicem constanter comitantur.

LXXXIX. Tonicus motus maxime ad calorem contribuit, quem ordinarió augere & imminuere solet.

XC. Sine Tono se & excretorii actus absolvi non possunt.

XCI. Unde Toni usus vitalis multis documentis & phænomenis tam ad ordinarium quam extraordinarium vitæ statum pertinentibus demonstrari potest.

XCII. Tertia species Motus ad vitalitatem concurrentis est MOTUS VOLUNTARIUS corporis, qui alias vocatur motus Localis.

XCIII. A

XCIII. A voluntate hic ſuam appellationem habet, & quia juxta arbitrium & voluntatem animæ adminiſtrari poteſt.

XCIV. Et per hunc motum communiter corpus e loco in locum transfertur, proptereaque Localis audit.

XCV. Nititur hic motus, motu Tonico vitali, mediante quo adminiſtratur.

XCVI. Unde Tono alterato, hic ipſe Motus alteratur, propterea pro hoc Motu requiritur juſtus Toni gradus, in partibus maxime muſculoſis corporis exterioris.

XCVII. Eſt vero Motus hic Voluntarius luculentiſſimum exemplar activitatis Animæ in corpus, ita ut per hunc Motum Theſis illa verificetur, quod Anima poſſit movere corpus, quanquam vulgaris ſit oblocutio, quod inter immateriale & materiale nullum detur commercium.

XCVIII. Comicam enim explicationem olet, quando aſſeritur quod Anima non immediate corpus movere poſſit, ſed quod per liquidum nerveum ſive ſpiritus in illud operetur.

XCIX. Unde vi hujus fabulæ vulgo ſupponitur influxus ſpirituum per nervos in partes, & Motus a ſpiritibus in partibus productus juxta voluntatem animæ directus, cui figmento tamen multiplices rationes repugnant.

C. Arduum vero eſt fictitios illos ſpiritus ſive qualiacunque alia principia materialia activa, cujuscunque prædicati, ætherea ſive aerea, rationabiliter & ſine figmento connectere; videlicet quomodo poſſibile ſit ut materia operetur juxta arbitrium animæ: ni hoc loco illud aſylum interdum audiatur: Deus ita voluit, quod grande Medicorum theoreticorum crimen, blaſphemiæ nomine dignum, merito exhorreo & averſor.

CI. Quanquam vero Motus voluntarius proxime voluntati animæ ſubjaceat & æſtimationem rerum, ſenſu obſervatarum, excipiat, in quantum eædem gratæ & acceptæ vel adverſæ judicantur, tamen ex eodem multi uſus in vitalitatem humanam redundant.

Conf. Sthalii diſp. de Motus voluntarii uſu medico.

CII. Cum itaque potiori reſpectu motus voluntarii uſibus animæ inſerviunt, ſterile conamen eſt, nudas mechanicas potentias & neceſſitates in iisdem declarare.

CIII. Utilia enim per corpus proſequi & inutilia fugere, an mechanicæ neceſſitatis & rationis ſit, facile comprehendere licet.

CIV. Ob id operoſi & ſcrupuloſi illi labores, quibus motus voluntarii per mathematicum A. B. C. depinguntur in Theoria & praxi medica nullius utilitatis & momenti ſunt.

CV. Interea ad ejusmodi motus requiruntur certa & conformia instrumenta, ut sunt nervi, musculi, tendines, ossa, & de reliquo justa aptitudo partium mechanica, qua organicis motibus & usibus obtemperant.

CVI. Quanti vero momenti sint in Theoria medica narrationes de elateribus, vectibus, hypomochlio &c : dispiciant illi, quibus placet discernere speculationes physicas, & otiosas ingenii exercitationes a realibus & vere medicis disquisitionibus.

CVII. Proxima species Motus est SENSATIO, quæ formaliter per motus & nunquam per quietem absoluitur.

CVIII. Et hæc sensatio inservit animæ rationali, tam in morali, quam vitali negotio.

Conf. Stahlii disp. de Teneris ægris.

CIX. Licet eadem anima per subtilem & peculiarem sensum, quem vitalem voco, invigilet & excubias agat super internas vitales operationes.

Conf. disp. mea. de sensu vitali.

CX. Ministerium sensuum pro usu vitali conjungit sese cum usu Motus Voluntarii, quo ab objectis, corpori inimicis, ipsum corpus tempestiue subtrahatur.

CXI. Adhibentur vero sensus maxime externi ad illum usum vitalem, quo structura & textura corporis animalis integra maneat & plurimum crassioribus violentiis subtrahatur.

CXII. Quemadmodum vero priores motuum vitalium species, præcipue, mixtioni animali conservandæ quadrant, ita motus sensationis externus præter usus morales etiam ad conservationem structuræ & texturæ corporis animalis inservit.

CXIII. Coincidit sensus vitalis cum reliquis sensibus animæ rationalis, dum in genere per motus, seorsim vero cum partibus nervosis administratur.

CXIV. Inserviunt singuli sensus non primario corpori, sed potius animæ, quæ deinde usum & ministerium sensuum dirigit in utilitatem sui corporis.

CXV. Unde in illius habilitate etiam est, ut pro diversitate circumstantiarum sensum intendat & augeat, vel etiam remittat & imminuat.

CXVI. Ob id anima hominis in officio sensationis primario activam, instrumentaliter vero & secundario passivam sese exhibet.

CXVII. Passive, dum objecta intra sua organa admittit : active, dum objecta cum suis organis percipit, quæ ratio formalis est sensationis.

CXVIII. Medium vero per quod sensus administrantur sunt nervi, in quibus ordinario certus gradus tensionis conservatur, qui ab externis occurrentibus objectis alteratur, quæ alteratio denique ita percipitur, ut sensationis formalitas inde prodeat.

CXIX. Quod

CXIX. Quod vero ſpecialiſſimum ſentiendi modum concernit, ille ad phyſiologiam medicam non ſpectat: ſi enim v.g. tunica retina læſa eſt, quis redintegrabit illam juxta regulas opticas.

CXX. Ad medicam itaque Theoriam dubia theoremata phyſica in ſenſuum negotio plane nihil utilitatis conferunt: habent interim phyſici, quo certitudinem Theoriæ ſenſuum circa modum fiendi ſtabiliant & confirment.

CXXI. Ultima motuum ſpecies ſiſtit MOTUM INTESTINUM, qui præcipue ſub motu progreſſivo ſangvinis occurrit & intercurrit.

CXXII. Quanquam vero hic motus directe & proxime vitalis non ſit, quia tamen vitalibus motibus inſeparabiliter ſe jungit, hoc ordine annotari debet.

CXXIII. Inteſtinus vocatur, quia partim intimior eſt & ſubtilior quam alius, partim quia ſigillatim & in ſingularibus tenuiſſimis moleculis & materiis contingit.

CXXIV. Appellant itaque Philoſophi Motum Inteſtinum, quando quælibet molecula, particula aut materia mobilis, motui fluiditatis & elaſticitatis ſubjecta, ſeorſim agitatur & invertitur.

CXXV. Et quidem motu rotatorio verticillari circa axim quaſi ſuccedente, circulatorio, dum quælibet talis molecula ſub reliquo progreſſu circumvolvitur & ſub tali gyratoria agitatione ad alias, ſimili motu affectas, particulas appellitur & alliditur.

CXXVI. Et hac ſubtili atque inteſtina agitatione contingit, ut diverſi abhinc effectus ſingulares & ſubtiles pendeant.

CXXVII. In ſe ſpectatus non eſt motus progreſſivus, ſed eſt motus ſitualis, interim huic motui, quoad diverſas circumſtantias interdum, ſed non niſi per accidens Motus progreſſivus conjungitur.

CXXVIII. In ordine vitali hic inteſtinus motus ſub progreſſivo Motu decurrit.

CXXIX. Attamen inteſtinus Motus eſſentialiter eſſe poteſt ſine Progreſſivo.

CXXX. In œconomia vitali inteſtina commotio a progreſſivo Motu coerceri non poteſt.

CXXXI. Unde aucto progreſſu ſangvinis, augetur ſimul inteſtina commotio.

CXXXII. Et eſt hic inteſtinus Motus ſimpliciter phyſicus, qui directorio Naturæ non ſubjacet.

CXXXIII. Hujus motus palmarius effectus eſt reſolutio, ſecundarius vero combinatio.

CXXXIV. Et dum ad reſolvendam mixtionem animalem contribuit, neceſſe eſt, quo apoſpaſmata, quæ in ſingulari ſubtilitate materiali conſiſtunt, ſedulo excernantur.

CXXXV. Propterea reliqui Motus Vitales huic inteſtino Motui ita invigilant, ne corpori noxam inferat.

CXXXVI. Interea hic Motus inteſtinus in eo vitalitati ſubvenit, ut abſterſiones & receſſiones impuritatum promoveat, abundantem ſangvinem conſumat, calorem naturalem adjuvet & ſangvificationi ex parte ſubveniat, omiſſa illa ſterili & ſuppoſititia ſangvinis ſpirituaſcentia, quæ huic Motui adſcribitur.

CAPUT VI.

DE

SE- & EXCRETIONIBUS.

I.

QUod ad vitam & ſanitatem conciliandam Motus requirantur, hactenus dictum fuit, cum vero hi motus negotium non abſolvant, propterea certi effectus ex hisce motibus eorumque applicationibus provenientes erunt notandi.

II. Dicuntur hi effectus, Se- & Excretiones, quæ diſcretive verſantur, circa materias motui fluiditatis & progreſſivo ſubjectas.

III. Et illas quidem vel utiles, quæ ſecretioni præcipue ſubjacent, ut a reliquis humoribus ſeorſim recipiantur & ſeparentur, & pro certis uſibus etiam aliorſum transferantur.

IV. Vel inutiles & abſolute excrementitias, quæ in corpore vivo & ſano retineri non debent, licet quædam illarum ante ultimam eliminationem aliquid utilitatis exhibeant.

V. Imprimis Secretiones non circa excrementitios & pernicioſos tantum humores verſantur, ſed etiam circa utiles & neceſſarios.

VI. Deinde vero & quidem magis directe ad vitam & ſanitatem ſpectando, verſantur illi effectus circa heterogeneitates & inutiles materias mixtioni animali inimicas, quo remotis malis materiis reliqua mixtio maneat ſalva & integra.

VII. Et hæ Se & Excretiones obtinentur Motibus & quidem prædictis vitalibus.

VIII. Unde ſubjacent etiam hi effectus activitati & directorio principii vitalis, quod Naturam vocamus, per quod ſecundum diverſos reſpectus, intentiones & neceſſitates augeri & remitti poſſunt.

IX. Hæc enim, in Se- & Excretione adminiſtranda ſeligit aptam materiam, congruum locum, & diſcernit tempora, menſuram atque gradus, unde etiam hos

Se-

Se- & Excretorios actus per patheticas commotiones eximie turbare poteſt, imo etiam ſolet.

X. Subſerviunt ſibi invicem ſe- & excretorii effectus, ita, ut plurima excretio inferat præcedentem ſecretionem.

XI. Attamen in excretione ſangvinis non antecedit Secretio, ſed hæc eſt ſpecies excretionis ſine ſecretione.

XII. Secretioni vero ſubſervit Seceſſio, quæ occupatur circa liberandas & educendas materias ſe- & excretioni deſtinatas e priſtino vinculo mixtionis humorum.

Conf. Stahlii Diſp. de Seceſſionibus humorum.

XIII. Ad ſingulares hos effectus remotius quidem requiritur progreſſus ſangvinis, quo materiæ ſe- & excernendæ recte præparentur, & ad idonea organa debite transferantur.

XIV. Propterea vero irritum eſt progreſſum ſangvinis ita neceſſitare ad ſe- & excretionem, quaſi ipſe hunc actum proximius inferat & efficiat; licet ſine eodem ſe- & excretio fieri non poſſit.

XV. Propius vero ad hos effectus pertinet Motus Tonicus, mediante quo materiæ per colatoria transprimuntur & ex receptaculis ſuis denique exprimuntur.

XVI. Unde ceſſante aut perturbato tam circulo ſangvinis quam Tono partium, tanto magis vero poſteriori, ipſæ Se- & Excretiones mutantur.

XVII. Quod denique Modum Secretionis concernit, ita circa illum recte deſcribendum Phyſiologi & Anatomici valde occupati fuerunt, ſed hæc diſquiſitio in hodiernum usque diem, multam adhuc crucem ipſis fixit.

XVIII. Sunt, qui Secretiones explicare contendunt per diſcrepantem materiarum gravitatem; alii per ſpecificum quoddam fermentum organis colatoriis inhærens, neque a priori neque a poſteriori demonſtrativum: Veteres accuſare ſciunt vim attractivam: alii ad ſpiritus vitales & naturales provocare volunt & denique recentiores Phyſici corpuſculares figurativam convenientiam materiarum & pororum accuſare & deprædicare malunt.

Conf. Stahlii Program. de Paralogiſmo proportionis figuræ pororum ſecretoriorum.

XIX. Præ hisce ſingulis magis ſimplicitati & veritati conſonat aſſertio, quod propter diſcrepantem pororum capacitatem, citra reſpectum ad figuras, ſecretio contingat.

XX. Unde per ampliores poros craſſiores materiæ transmittuntur, non excluſa aliqua parte tenuioris ſubſtantiæ, teſtimonio mucciditatis & ſeroſæ ſubſtantiæ, quæ per nares, fauces & alvum ſequeſtratur.

XXI. Ob ſpatioſam vero pororum capacitatem tenuiores humores contine-

ri ægrius poſſunt, unde facile diſſipantur & reliquis interfluentibus aut ad latus fluentibus humoribus commiſcentur, atque ad novas magisque conformes ſecretiones ſucceſſive transferuntur.

XXII. Per arctiores poros, excluſis ſpiſſioribus materiis, tenuiores ſubſtantiæ ſecernuntur.

XXIII. Et hoc ipſo ſecretorio, maxime vero excretorio effectu vita & ſanitas unice impetratur, cum conditio corporis mixti animalis materias corruptionem inferentes, præ reliquis mixtionem inquinantes, ſed non conſervantes, obſervandas commendet.

XXIV. Inter Excretiones vero ſolenniores occurrit primo loco *Evacuatio Sangvinis*, quæ quidem non tam qualitati, quam quantitati potius reſpondet.

XXV. Quanquam vero in ordinario ſtatu ſangvis non evacuari, quin potius pro Motu principaliſſimo progreſſivo aſſervari debeat: attamen dum ad ordinarium ſtatum vitalitatis, ſangvinis abundantia non pertinet, propterea extraordinaria methodo ſangvis evacuatur.

XXVI. Hæc ſangvinis excretio, quanquam non indeſinenter ſuccedat, habet tamen ſua intervalla ſuasque recurſiones.

XXVII. Et quidem reſpectu ſexus familiarior eſt fœminis, quæ juſtis temporibus menſtruas ſuas purgationes ſubeunt, quibus etiam Lochiorum fluxus evenit, ut nihil de hæmorrhoidibus fœminarum dicam.

XXVIII. Diſcrepant etiam hæmorrhagiæ quoad ætates, prout ex obſervatione Hippocratis hæc animadverſio in ulteriori hiſtoria practica eluceſcit.

XXIX. Requirunt etiam certa temperamenta, ſicuti Sangvineo-Melancholici & Sangvineo-Cholerici huic evacuationi præ aliis ſubjacent.

XXX. Redduntur itidem Hæmorrhagiæ facile habituales, interdum etiam plane periodicæ, ut videlicet præter menſtruam purgationem aliæ certis terminis recurrant.

XXXI. Eſt vero excretio ſangvinis talis evacuatio, quæ ſine prævia ſecretione contingit.

XXXII. Unde ſangvis tam bonus excernitur, qualis eſt in tota reliqua maſſa, nihil obſtante interdum aliquali minus florido colore, quem amittit, ſub operoſioribus congeſtoriis detentionibus circa loca excretoria.

XXXIII. Adminiſtratur talis ſangvinis evacuatio non directe mediante Motu progreſſivo, ſed per Motum Tonicum, qui congeſtiones moderatas ad diverſa loca excretoria abſolvit.

XXXIV. Unde nude materiales cauſæ ſpontaneis Hæmorrhagiis introducendis non ſatisfaciunt.

XXXV. Sunt vero tales, acrimonia ſangvinis, oppletio vaſorum, laxitas viarum: quales vulgo in Theoria medica recitantur.

XXXVI. Altera ſpecies Se-& Excretionis conſiſtit in SERI tractatione ſe- & excretoria.

XXXVII. Et hæc inter vitales operationes eſt præſtantiſſima, propterea quia Serum plus, quam alius humor, noxium eſt.

XXXVIII. Cum vero ſerum tam externis, quam internis partibus propter ſubtilitatem ſuam communicetur, propterea tam per externa, quam per interna colatoria & organa ſeparatur & evacuatur.

XXXIX. Requiruntur vero ad ſeri ſe-& excretionem Organa teneriora ne craſſiores materiæ eadem intrent; licet illud paſſim etiam cum craſſioribus humoribus excernatur.

XL. Principaliſſima omnium eſt ſe-& excretio Seri per ſuperficiem corporis, quæ in ordinario ſtatu per tranſpirationem inſenſibilem abſolvitur, in auctiori gradu vero per madorem & ſudorem.

XLI. Ad hanc excretionem Seri per ſudorem requiritur juſtum moderamen motuum, imprimis vero Tonici Motus, ne videlicet ſuperficies corporis conſtringatur, ſed in convenienti apertura conſervetur.

XLII. Secernitur vero Serum in ſuperficie corporis per glandulas ſubcutaneas, quas transfluit, poſtea per ductum cuique glandulæ proprium in porum ſuperficiei transmittitur.

XLIII. Per has glandulas vero tenuior lympha non transgreditur, quam arctior prædicti ductus capacitas & teneritudo cuticulæ excludit; licet in reliquam cutis texturam talis lympha penetret, quæ abraſa cuticula emanat & proximæ eſcharam conſtituit.

XLIV. Et hujus excretionis dignitas comprobat ſeſe in contrario, nimirum ex impedita tranſpiratione quæ peſſimis conſectariis obnoxia eſt.

Conf. Stahl. de transpiratione impedita.

XLV. Magna Seri quantitas ſecernitur in renibus, & excernitur ex Veſica ſub ſpecie Urinæ.

XLVI. Transmittitur vero, quin proprimitur per Ureteres in Veſicam, ſiquidem & ipſi hi ureteres peculiari motu conſtrictorio præditi ſunt.

XLVII. Ex veſica non refluit intra Uretres, partim propter aptam inſertionem eorundem in Veſicam, partim propter præpoſitam Carunculam.

XLVIII. Quando urina aliquamdiu coacervatur in Veſica, tunc per poros veſicæ transmittit portionem tenuem, humidam, & reliqua urina nanciſcitur conſiſtentiam & colorem ſaturatiorem & concentratiorem.

XLIX.

XLIX. Exprimitur urina, nisi collum vesicæ obstructum fuerit, voluntariò, mediante Motu hypogastrii constrictorio.

L. Et in multis subjectis per urinam serum interdum largius, quam cum consueta transpiratione insensibili emittitur, licet hoc non de omnibus valeat.

LI. Quando vero alvus & Urina obstructa est, extraordinaria activitate & majori insolita quantitate per peripheriam corporis excernitur.

LII. Magna quantitas Seri etiam cum excretionibus alvinis educitur, quæ in glandulis intestinorum cum reliqua mucositate secernitur.

LIII. Extra ordinem in Coryza multa Seri quantitas effunditur, licet ordinario serum tale cum narium excrementis commixtum sit, ita ut caput etiam per hanc viam ab hoc excrementitio humore liberetur.

LIV. Ordinario etiam non pauca Seri quantitas per exspirationem emittitur.

LV. Proxima species Secretionis consistit in SECRETORIA DEPURATIONE LYMPHÆ, utpote humoris utilis & minus excrementitii.

LVI. Subjicitur vero Lympha secretioni, sed non excretioni, & sub secretione nanciscitur necessariam puritatem & fluiditatem.

LVII. Lympha enim ut humor gelatinosus expositus est inquinationi & cohæsioni Seri tenuioris & acrioris, quod sangvini partim interfluit, partim per universum corpus subtili sua transpiratione sese extendit.

LVIII. Ab hoc Sero, quoad crasin & consistentiam, alteratur, & successive acris spissa, & immobilis redditur.

LIX. Unde hæc Lympha, quo futuris usibus vitalibus applicari possit, ab hoc sero repurganda est.

LX. Succedit hæc repurgatio per modum secretionis, cujus effectus est depuratio & absersio.

LXI. Contingit hæc secretio in partibus glanduloſis, per quas transpressa Lympha, serum suum a pristino nexu liberatum facilius amittit.

LXII. Hoc Serum mediante Motu caloris dispergitur, imprimis cum ampliores pori illud contineri nequeunt, ut purior Lympha vasis lymphaticis immittatur, per quæ transfluit vel in Cysternam ita dictam chyliferam, vel in ductum Thoracicum: in hoc ascendit & immittitur in subclaviam sinistram atque denuo sangvini infunditur.

LXIII. In pulmonibus vero cum sangvine intimius permiscetur & ad usus vitales adhibetur.

LXIV. Quando vero sub hac commixtione denuo inquinationem a Sero suscipit, iterum in glandulis ab eodem repurgatur.

LXV. De-

LXV. Deinde alia Secretionis ſpecies verſatur circa CHYLUM, qui in œconomia vitali alterationes quasdam ſubit, unde *ſecretoria quadam præparatione* opus habet.

LXVI. Et cum Chylus in hac ſua conſiſtentia ad uſus vitales proxime applicari nequeat, ita ordo ille ſervandus eſt, ut antea in Lympham mutetur.

LXVII. Fit hoc ipſum quando illius principia conſtitutiva aliquo modo e priſtino ſuo nexu liberantur.

LXVIII. Id quod ſuccedit in glandulis, ut Meſenterii, maxime vero in Hepate.

LXIX. Per quas glanduloſas partes tranſiens Chylus, aliquo modo diſſolvitur, & ſpiſſior mucida ſubſtantia ab eodem ſeparatur.

LXX. Interea etiam amittit adhærentes impuritates fæculentas, ſalinas, aceſcentes, bilioſas, quas ex prægreſſa concoctione advehit.

LXXI. In Lympham vero converſus, vel mox in ſangvinem recipitur, vel per Vaſa lymphatica, in reliquum conſvetum progreſſum abit.

LXXII. Aliquando vero Chylus immutatus transmittitur per Hepar, & ſangvini commiſcetur, imprimis quando Lactatio in fœminis ſuccedit.

LXXIII. Qui actus nullo modo phyſicis aut mere mechanicis rationibus adſcribi poteſt, ſed organicis directionibus ſubjacet.

LXXIV. Cum ſangvine per arterias mammarias intra mammas transfunditur, in quibus proxime ſuccedit ſecretio LACTIS.

LXXV. Cum vero per initia Mammæ nondum ſufficienter perviæ, ſed paululum ſtrictiores ſint, ita primum Lac quod ſecernitur valde tenue & aquoſum eſt.

LXXVI. Promovetur vero hæc permeabilitas Mammarum, vel cum Spaſmis, vel cum febrilibus commotionibus & contingentibus efficacioribus congeſtionibus ad Mammas.

LXXVII. Ita intimius intra glandulas Mammarum profluit Lac, remanente ſangvine.

LXXVIII. Lac hoc mediante Motu ſtrictorio, quo gaudent Mammæ, transprimitur intra tubulos lactiferos.

LXXIX. Et ex mammis vel exſugitur, vel mediante eodem Motu ſtrictorio exprimitur.

LXXX. Quid vero animi pathemata ad alterandam Lactis excretionem contribuant, omnes lactantes fœminæ teſtari poſſunt.

LXXXI. Excipit porro Se- & Excretio BILIS, quæ eo reſpectu excernitur, quo denique e corpore proſcribi debeat, cum ad conſervationem mixtionis nullam utilitatem conferat, licet ante excretionem adhuc uſum aliquem exſerat.

LXXXII. Secernitur vero Bilis in Hepate, cujus ſtructura in illis confiniis, ubi Bilis ſecernitur ita denſa eſt, ut admiſſioni Seri hujus ſulphurei pateat, craſſiores vero humores reſpuat.

LXXXIII. Transprimitur vel per exiliſſimos ductus in Veſicam ſive Cyſtidem & cyſticum ductum; in priori aliquamdiu aſſervatur, magisque concentratur & oleoſa redditur.

LXXXIV. Hanc veſicam intrinſecus non offendit, ob tunicam ſubtilem glanduloſo-villoſam, propter quam, uti propter reliquam ſpiſſiorem conſiſtentiam, quam nunc nacta eſt ipſa bilis, non refluit ad Hepar e cyſtide.

LXXXV. E cyſtide ſub conſtrictione tum Hepatis, tum ipſius hujus veſiculæ transprimitur per ductum cyſticum in Choledochum, & ex hoc in inteſtinum duodenum.

LXXXVI. Et quidem motu congruo, tempore convenienti, & quantitate proportionata: quæ conditiones non e corporis machina, ſed ex altiori atque harum circumſtantiarum conſcio directorio fluunt.

LXXXVII. Affluit vero etiam ex altero, qui hepaticus vocatur, immediate ex Hepate, Bilis aquoſior, dilutior & temperatior, quæ primam Cyſticam Bilem acriorem & magis oleaginoſam in craſi & conſiſtentia ſua temperat.

LXXXVIII. Gaudet prædictus Choledochus ductus, ſubtili ſtructura, quæ Bilis tranſitum in inteſtina promovet, interdum plane Bilis juſtam excretionem ſufflaminat, & quo ſangvini immiſceatur, efficit.

LXXXIX. Et hæc Bilis profuſio intra inteſtina cito & facile obtemperat patheticis commotionibus imprimis terroris & iracundiæ.

XC. Excernitur denique Bilis cum reliquis alvinis fæcibus, quas ſuo colore tingit.

XCI. Habet vero ante ultimam excretionem Bilis hanc efficaciam, ut ſpiſſiorem mucum in inteſtinis incidat & abſtergat, & inteſtina ſubtili ſtimulo ad exonerationem fæcum alvinarum admoneat.

XCII. Attamen ſubjecta etiam eſt Bilis vehementioribus confermentationibus in ventriculo & inteſtino duodeno, & quidem cum ſubſtantiis pingvibus, dulcibus, fæculentis, & per ſe facile fermenteſcentibus, unde acerrimam qualitatem concipit, partes prædictas arrodit & cholericis morbis anſam præbet.

XCIII. Maxime vero obſervanda eſt Bilis diverſa alteratio in infantibus lactantibus, inde innotuit Bilis vitellina, graminea, æruginoſa & iſatodea, quæ communiter acriorem qualitatem involvit, & in infantibus multiplices periculoſos effectus torminoſos, convulſivos &c. poſt ſe trahit.

XCIV. Alia Se- & Excretio verſatur circa SALIVAM & SUCCUM PANCREATICUM, cui actui ſubjacent glandulæ ſalivales & Pancreas.

XCV. Hæ

XCV. Hæ, quoad texturam ſuam ſunt valde anguſtæ, unde & denſitate & ſapore a reliquis glandulis differunt.

XCVI. Intra has ſecedens & affluens humor talis, poſtea aliquamdiu colligitur, & denique ſubtili harum glandularum ſtructura, per ductus tam ſalivales, diverſæ denominationis, quam Pancreaticum certo tempore & quantitate proportionata profunditur.

XCVII. Effunditur vero ſalivalis humor, ſub peculiari motus expreſſorii aut glandulas ſalivales compreſſorii, directione, ita ut nulla abſoluta poteſtas & neceſſitas mechanica adſit, per quam ſub maſticatione humor ille affundatur, licet occaſionali cauſandi ratione actus ille maſticationis concurrat: attamen multiplicibus teſtimoniis demonſtrari poteſt, quam largiter ſine omni maſticatione ſaliva intra fauces profundatur.

XCVIII. Occupatur etiam ſe - & excretoria functio circa SPERMATIS geneſin.

XCIX. Adhibetur vero Sperma proprie ad negotium generationis, Liquor vero Fœminarum partibus tantum humectandis inſervit.

C. Transfertur humor ſpermaticus mediante ſangvine ex arteriis ad teſtes.

CI. Et per initia in ſatis fluidâ conſiſtentiâ ingreditur teſtium tubulos, unde ſi mox poſt ſecretionem ejaculatur, Sperma totum eſt limpidum & fluidum, quod Medici vocant incoctum.

CII. Si vero aliquandiu in teſtibus aſſervatur, vel ſucceſſive dimittit ſubtilem humidam ſubſtantiam, & in ſpiſſiorem conſiſtentiam tranſit, vel ne plane inſpiſſeſcat, reprimitur, educitur & roſorbetur, atque novum fluidum ſperma eò, loco prioris, ſecernitur & transmittitur.

CIII. Si vero nefando & plus quam brutino modo ſpermatis excretio urgetur, evenit denique ut tubuli teſtium adeo amplificentur, & denique ſangvis fluidior, easdem penetret, atque loco Spermatis, ſangvis ſincerus effluat.

CIV. Quando vero Sperma ejaculatur, tunc tam ex proſtatis, quam ex ductibus ſeminalibus aliis & porulis quibusdam affluit floridior & dilutior limpida ſubſtantia, quæ diluendo & mobilitando Spermati inſervit.

CV. Excernitur Sperma vel ſub adjumento actualis concubitus, unde partes ſpermaticæ membranaceæ veſiculares adeo rigide conſtringuntur, ut hic humor exprimatur.

CVI. Vel ſua ſponte talis excretio per eosdem Motus involuntariò contingit, ſub pollutione nocturna.

CVII. In fœminis Liquor ille ſalivalis Lymphaticus ſub circuitu ſangvinis transmittitur in Tunicam membranaceo-glandulo ſam, quæ ſimili Motu conſtricto-

ctorio affici poteſt, modo ſucceſſivo, modo ſimultaneo, ut Liquor ille exprimatur.

CVIII. Proxima Se- & Excretio concernit MUSCOSITATEM, quæ communiter ad glandulas inteſtinorum, cum Sero humidiori transfertur.

CIX. Transcolatur deinde cum ductibus peculiaribus intra inteſtina, & ex hisce denique excernitur.

CX. Vel accidentali quodam effectu intra pulmones ſecedit & ex hisce ſucceſſive exſcreatur.

CXI. Vel denique in glandulas & cribroſas partes capitis ſuperioris transmittitur, & ex iisdem vel educitur, vel etiam per conſtrictionem glanduloſarum tunicarum exprimitur & eliditur.

CXII. Excretionibus hactenus commemoratis, circa domeſticas materias occupatis, annumero adhuc Fæcum alvinarum exonerationem, quæ communiter adventitias materias, corpori non convenientes, continent & ex ingeſtis ſolidis ſubſtantiis oriuntur, quando alimentoſa & utilis pars ab hinc ſeparata fuit.

CXIII. Abſolvitur hæc excretio ſine prævia particulari ſecretione mediante inteſtinorum periſtalſi, quæ materiis excernendis ita reſpondet, ut mobiliores cito & breviter transvehat, in illis verò, quæ concoctionem plane non admittunt, non multam moram & operam impendat.

CXIV. Adjuvatur hæc excretio per motum corporis voluntarium aut mobile vitæ genus, ſiquidem nimia deſidia alvum reddit ſegnem & ſiccam.

CXV. Non minus ſufficiens materiarum excernendarum humiditas, viarum vero mollities & flexilitas & bilis congrua commixtio, ipſam hanc excretionem facilitat.

CXVI. Subjacet proinde hæc excretio in œconomia vitali conſvetudinibus humanis, quæ verſantur circa rationem numeri aut frequentiæ, temporis, gradus & promptitudinis.

CXVII. Neque exigua efficacia bili, quoad mixtionem ſpecialiſſimam in diverſis animalium generibus diſcretæ, adſcribenda eſt, circa alterandas tales fæces, teſtimonio diverſæ conſiſtentiæ & fœtoris.

CXVIII. Quo loco notanda eſt, harmonia inter excretionem alvinam, & diæreſin, per quam ſe invicem communiter comitari ſolent: quemadmodum alvi incommoda ſubinde etiam urinæ vitia cauſari & nimia Seri excretio ex alvo facta, urinam imminuere, ſolent.

CXIX. Quanta vero incommoda & quos fomites morborum ſegnior alvi excretio, in primis regionibus parturiant, pathologia practica ſatis demonſtrat.

CXX. De

CXX. De Secretione CERUMINIS denique non eſt quo multa allegem, cum ad medicas conſiderationes & applicationes parum ſpectet & contribuat, attamen hanc materiam, ut excrementitiam dijudico, quæ per glandulas membranæ meatus auditorii ſequeſtratur, & ſulphureo-mucidæ indolis eſt & quantiſper cum bile convenit: licet huic cerumini etiam aliqualis utilitas admitti poſſit, quando aurem ab exſiccatione præſervare adjuvat.

CXXI. De reliquarum ſpecialiſſimarum impuritatum ut oculorum, narium, aurium, & extraordinaria illa fœminarum per fluorem album excretione agere hoc loco inconſultum duco: unde tractationem de Se- & Excretionibus mitto.

CAPUT VII.

DE

CONSTITUTIONE ET USU PARTIUM, SIVE ORGANORUM VITALIUM.

I.

PRædicti Motus Vitales & effectus Se- & Excretorii ad vitam animalem neceſſarii exercentur & obtinentur in & cum partibus habilibus.

II. Hæ propterea dicuntur Organa, quia ut mediata inſtrumenta a ſuperiori cauſa aſſumuntur, quibus proportionati Motus immittuntur, ut effectus ſalutares obtineantur.

III. Et hæc organa ratione materialis ſuæ conſtitutionis habent diverſam, ſed ubique aptam & convenientem materialem diſpoſitionem, ut juxta eandem effectus tales ſalutares produci queant.

IV. Quando vero jam principaliora talia organa perquirere cogito, primo loco conſiderationi ſeſe ſubjicit CEREBRUM.

V. Hæc pars inter Medicos & Phyſicos valde ominoſa, intricata & ſecreta eſt.

VI. Unde multa diſceptatio Anatomicos detinet, quæ verſatur circa nudam materialem Cerebri conſtitutionem, dum alii vaſculoſam, quidam glanduloſam, nonnulli medullarem, reliqui neſcias qualem intermediam conſtitutionem Cerebri credant, eidemque ex parte etiam affingant.

VII. Interea recentiores anatomici glanduloſam Cerebri ſubſtantiam eſſe arguunt, quæ tamen iterum peculiaris conſiſtentiæ exiſtit.

VIII. Plurimi vero lepidas diverſarum Cerebri partium denominationes producunt & diverſis regionibus atque locis Cerebri, diverſas animi functiones aſſignant.

IX. Vulgo quidem aſſeritur, quod in Cerebro ſpiritus ſecernantur, cujus aſſerti argumenta principaliora ſunt: 1) Quia Cerebri uſus non facile alius concipi poteſt: 2) Quia Cerebrum multis Arteriolis præditum eſt, adeoque cum ſangvine ſpirituoſo affatim humectatur & locupletatur: 3) Quia in Cerebro reperitur limpida humiditas, & 4) quia intra Cerebrum radicantur Nervi per quos ſpiritus currere finguntur.

X. Omnia vero hæc argumenta directe ad ſpirituum exiſtentiam non concludunt.

XI. Et cum non Entium nulla ſint prædicata, ita hæc argumenta in nudis petitionibus principii conſiſtunt; & bona propterea fide atque rotunde nego, quod Cerebrum ſit pro ſpiritibus.

XII. Neque cum illis conſentio, qui juxta Williſianum morem aſſerunt, quod undulatio ſpirituum animalium interius in cerebri meditullio incepta &c. imaginationem generet &c. aut qui modo in anteriori Cerebri parte officinam Ingenii, Imaginationis & Idearum, in media Judicii & Voluntatis, in poſtica memoriæ laboratorium ſupponunt.

XIII. Quam operoſe, ingenioſe, glorioſe & otioſe vero tales ſpecialiores uſus Cerebri inveſtigantur, tam ſterilis, debilis, imaginaria & dubia eſt tota talis ſpeculatio: & abſcondita propterea tota hæc officina, quo minus homines quoad principaliores has functiones ſe ipſos cognoſcunt.

XIV. Ita enim anima humana neſcit, quid ipſa ſit, neſcit quomodo in genere moveat, neſcit quomodo potentias ſuas in actum deducat, neſcit quomodo & in quo ſpecialiori cerebri loco cogitet, fingat, velit, reminiſcatur: tam evidens eſt poſt lapſum ignorantia animæ in tali ſuæ ipſius cognitione.

XV. Paucis interim aſſero, quod Cerebrum ſit ſedes, habitaculum & officina animæ, e qua & moraliter & vitaliter movet atque operatur.

XVI. Vitales vero Motus per Nervos transmittit in univerſum reliquum corpus, unde Nervi intra Cerebrum ſunt radicati & inſinuati.

XVII. Propterea vero non ſequitur quaſi ſubtile quid per nervos fluere debeat.

XVIII. In caſu extremitatis & ſummæ neceſſitatis anima etiam aliam partem occupare poteſt, in qua tamen propter ineptitudinem materialem ſpiritus famigerati, ſecerni non poſſunt: loquor de infantibus vivis, absque cerebro denique repertis.

XIX. Quo vero ſingulæ & diverſæ Cerebri partes, protuberantiæ & loca ſpecialius pertineant, minime ex vero prædicari poteſt.

XX. Et conſultius eſſe duco ingenuo animo inſcitiam ſuam confiteri, quam per figmenta ignorantiam ſuam colorare, & in commentis & obſcuritatibus veritatem affectare.

XXI. Id interea aſſevero, quod anima eſſentialiter in cerebro exiſtat, virtualiter & per motus e cerebro in reliquum corpus effluat.

XXII. In caſu extremi vitæ puncti in homine ubi caput a reliquo trunco ſeparatur, anima ſe dividit, ut in hac extremitate per momentum in capite & corde operetur: Simile exemplar occurrit in quibusdam animalibus brutis in fruſta diſſectis aut dilaceratis, ut piſcibus lacertis, araneis &c.

XXIII. Proxime vero & quidem propius ad uſum vitalem pertinet COR, pars præ reliquis principaliſſima & digniſſima.

XXIV. Cujus conſtitutio eſt carnoſa, muſculoſa, ſatis firma & robuſta ex fibrillis diverſæ convolutionis conſtans.

XXV. Gaudet duplici Ventriculo, dextro ampliori ſed molliori, ſiniſtro denſiori ſed anguſtiori, quæ cavitates diſtingvuntur per intermedium ſeptum.

XXVI. Cuilibet Ventriculo adhæret Auricula, hujus ſtructura ſimiliter eſt fibroſa, & capacitate & denſitate ventriculo, cui adhæret, reſpondens.

XXVII. Involvitur COR cum ſacco tendinoſo membranaceo, qui PERICARDIUM audit.

XXVIII. Quilibet Cordis Ventriculus gaudet Vena & Arteria quo veterum traditio pertinet, quando dextro ventriculo meras venas, ſiniſtro vero tantum arterias adſcripſerunt, & ſubinde de vena arterioſa, & arteria venoſa diſſeruerunt.

XXIX. Dexter habet Venam Cavam & Arteriam Pulmonalem: ſiniſter Venam Pulmonalem & Arteriam Aortam.

XXX. In recens natis & in fœtu adeſt foramen ovale, quod immediate ex Vena cava in Venam pulmonalem tranſit: & ductus arterioſus, qui ex Arteria pulmonali in Arteriam Aortam decurrit.

XXXI. Cor gaudet unico Motu, qui eſt ſyſtalticus, cujus remiſſio vocatur Diaſtoles.

XXXII. Syſtoles Cordis conſiſtit in valida conſtrictione Ventriculorum, nec non auricularum, ſub qua ſangvis contentus exprimitur.

XXXIII. Sub Diaſtole tam Ventriculorum, quam Auricularum, ſangvis iterum has cavitates ingreditur & opplet.

XXXIV. Ventriculi & Auriculæ alternatim moventur, ob nullam tamen neceſſitatem mechanicam.

XXXV. Au-

XXXV. Auriculæ Ventriculis certam ſangvinis quantitatem advehunt, & ſunt receptaculum congruæ doſeos, ne nimia ſangvinis quantitate Ventriculi obruantur.

XXXVI. Ipſa cordis ſtructura recipit ſangvinem & revehit illum ab Arteria & Vena Coronaria.

XXXVII. Pingvedo quæ baſi Cordis adhæret, eſt tegumentum & involucrum vaſorum circa illam regionem Cor ingredientium, per quam præterea illa humiditas ſegregatur, quæ in pericardio reperitur.

XXXVIII. Motus Cordis non aliunde, quam a Natura humana dependet, quia eſt principaliſſimus, vitæ animali ſubſerviens, actus.

XXXIX. Siquidem Cor non movetur ob aliquam ſtimulationem, aut diſtenſionem, aut neceſſitatem mechanicam.

XL. Quæ enim vulgo finguntur & pinguntur juxta antliarum allegoriam non niſi fœtus imaginationis ſunt.

XLI. Siquidem etiam experimentum de provocatione motus Cordis per immiſſionem flatus in venam cavam vel ductum thoracicum cum grano ſalis intelligendum eſt; quod etiam valet de ſtimulatione Cordis exempti, cum acuto inſtrumento.

XLII. Nervo gaudet Cor ſatis valido, quoniam motu valido & nunquam ceſſante afficitur.

XLIII. Arteriæ quæ Cor egrediuntur, non habent proprium pulſum aut propriam ſyſtolem.

XLIV. Pulſus interim in Arteriis obvius, provenit a ſangvine, Arterias valide perfluente, ſub hoc tranſitu diſtendente & momentanee elevante.

XLV. In corde obſervantur ſtamina & lacertuli ad fluiditatem ſangvinis & firmiorem cordis contractionem contribuentes: valvulæ vero legitimo ſangvinis progreſſui inſerviunt: & quanquam operoſi anatomici in ſepto vel fecerint, vel invenerint porulos ex uno ventriculo in alterum immediate transeuntes: parum tamen illi quadrabunt ad immediatum ſangvinis fluxum ex uno cordis Ventriculo in alterum.

XLVI. Unde etiam adhuc habebunt, quod demonſtrent circulum ſangvinis per hoc ſeptum, æque ac per extraordinarias vias venarum & arteriarum cordis, in hominibus natu majoribus ſubmerſioni in aquas operam navantibus.

XLVII. Arteriarum textura craſſior & firmior eſt, quia ad potentiores motus ſubeundos inſerviunt: loquor vero de continuo impulſu ſangvinis.

XLVIII. Venarum contra textura laxior & ſubtilior exiſtit, quia partim tanto impulſui non deſtinatæ ſunt, & ſub remiſſiori refluxu ſangvinis, aliquo modo extendi debent.

XLIX. In-

XLIX. Interea arteriæ hanc firmitatem non a ſangvine calido arterioſo & ſpirituoſo nanciſcuntur, ut Ariſtoteles credidit, alias tam diu creſcerent arteriæ quam diu homo vivit.

L. Cordis explicationem excipit PULMONUM conſideratio, tam phyſica, quam organica.

LI. Sunt vero Pulmones pars, quæ tunc demum adhibetur, quando homo liberioris aëris commercio fruitur.

LII. Quamdiu vero in utero eſt, uſus Pulmonum ceſſat, cum Embryo non reſpiret.

LIII. Ipſa enim pulmonum textura ſatis indicat, quod hæc pars uſibus & admiſſionibus aëris proprie ſit expoſita, & ubi Aër deficit, uſus etiam pulmonum perit.

LIV. Pulmones ſunt pars membranacea ex diverſis cellulis & veſiculis conflata, quæ expanſionibus, cum aëre præſtandis, ſubſerviunt.

LV. Ingreditur Pulmones Aſpera Arteria, præcipue cum ſuis bronchiis & minutiſſimis ramulis in celluloſam pulmonum texturam ſeſe dimittentibus.

LVI. Per has ramificationes defertur aër intra Pulmones iterumque emittitur.

LVII. Conſtat Aſpera Arteria ex annulis cartilaginoſis in poſtica parte, ubi Truncus illius Oeſophago incumbit, non perfecte clauſis, ſed per interſectiones tunicaceas diſtinctis.

LVIII. Huic Aſperæ Arteriæ, ubi ſeſe in pulmones inſinuat, ad latus poſita eſt Vena & Arteria, accedit etiam Nervus, qui tenerrimis ramulis in reliquam pulmonum texturam ſeſe extendit; ſingula hæc cum peculiari tunica ramulis bronchiorum ſunt obfirmata.

LIX. Principaliſſimus Pulmonum uſus ſubſervit progreſſui ſangvinis e dextro Cordis Ventriculo in ſiniſtrum.

LX. Deinde in Pulmonibus ſangvis partim in ſe ipſo bene permiſcetur, partim cum Lympha ſubtilius interagitatur.

LXI. Sangvis in Pulmonibus non refrigeratur, ſed incaleſcit.

LXII. Suſcipit etiam ſangvis non exiguum gradum fluiditatis, in pulmonibus, quando inter membranulas transfluit; omiſſis pluribus aliis uſibus pulmonum vitalibus.

LXIII. Inter alia vero commoda pulmones Sangvificationi ſubſerviunt, dum videlicet ſangvis ſubtiliter & efficaciter per eosdem transprimitur, & ſub diverſa colliſione cum principiis ſuis conſtitutivis combinatur.

LXIV. Aëris penetratio intra pulmones ſuccedit per activam attractionem & arbitrariam ingeſtionem auræ, non vero per paſſivam pulſionem & preſſionem.

LXV. Teſtimonio ſimplicis propriæ perceptionis: ſiquidem juxta phyſicorum monitum thorax & pectus expandi & amplificari poteſt, abſque tamen aëris ingreſſione intra pulmones, tanto minus ita efficaci, ut eosdem per pulſionem ſuppoſitam expandat.

LXVI. Uſui pulmonum inſervit DIAPHRAGMA pars firmior muſculoſo-tendinoſa, quæ continuis expanſoriis aut extenſoriis commotionibus expoſita eſt.

LXVII. Conſpirat etiam cum concoctione & motu ſangvinis per hypochondria.

LXVIII. Unde in nimiis oppletionibus Ventriculi & impeditis progreſſibus ſangvinis per Venam Portæ & Hepar, variis alterationibus expoſitum eſt Diaphragma.

LXIX. Levat vero & facilitat tam concoctionem, quam ſangvinis motum & tranſitum per Hypochondria, per liberum ſuum motum, imprimis extenſorium.

LXX. Proxima ſolennis & pro uſu vitali maxime neceſſaria pars eſt VENTRICULUS cum ſuis ſuperioribus & inferioribus connexionibus.

LXXI. Initium hujus tunicaceæ & fiſtuloſæ cavitatis conſtituit *OEſophagus*, qui ratione texturæ ſuæ craſſior eſt, quam Inteſtina, Jejunum & Ileum, quoniam craſſiores materias vehit & tractat.

Conf. Stahlii Diſp. de Inteſtinis.

LXXII. Ventriculus eſt ſaccus ille firmior tunicaceus, ſiniſtro orificio, quod ſtomachus & dextro quod Pylorus audit, præditus.

LXXIII. Intrinſecus cum multis plicis & rugis refertus eſt, tunicæ vero illius ſunt fibroſæ, transverſales, circulares, longitudinales, nec non nervoſæ, glanduloſæ, vaſculoſæ, pro diverſa diſcretione Anatomicorum.

LXXIV. Multis nervis gaudet Ventriculus, cujus ſuppoſita ſenſibilitas non tantam proportionem ad ubertatem nervorum habet, ac aliæ partes magis ſenſibiles, neque tanto nervorum numero præditæ.

LXXV. Pylorus eſt porta tendinoſa & propterea valde ſenſibilis, cui annexum eſt Inteſtinum Duodenum.

LXXVI. Hoc craſſitie ſua proxime connexa inteſtina ſuperat, quia adhuc paſtam & maſſam alimentorum nondum ſufficienter concoctorum, plurimum continet.

LXXVII. In hoc inteſtinum in hominibus uno oſtio & ductus Choledochus & Pancreaticus ingrediuntur: duplicato vero oſtio in brutis.

LXXVIII. Per hos ductus affluit intra hoc Inteſtinum Bilis & ſuccus pancreaticus.

LXXIX. Mediantibus hisce humoribus ſecunda & ultima Concoctio ſive digeſtio Ciborum per modum intimioris fermentationis abſolvitur.

LXXX. Sequuntur Inteſtina, Jejunum & Ileon, ratione texturæ teneriora, quia mobiliorem maſſam ciborum continent.

LXXXI. In Jejuno conſpiciuntur valvuloſæ quædam plicæ, quæ impediunt, ne tam cito cibi concocti transgrediantur, ſed quo ſufficienter in Venas Lacteas & meſentericas Chylus ex hoc inteſtino penetrare poſſit.

LXXXII. Sequitur Inteſtinum Cœcum, Colon & Rectum, quæ Inteſtina craſſiorem compagem habent, eo quod craſſiores fæces vehant.

LXXXIII. Adhibentur hæ partes ut Culina & penus in œconomia vitali, pro negotio concoctionis & fæculentarum ſubſtantiarum transmiſſionis.

LXXXIV. In Ventriculo prima Concoctio, in Inteſtino Duodeno altera ſuccedit, Chylus vero in Inteſtinis detentus, tunc in Venas lacteas primi ordinis & generis tranſit, ex hisce in glandulas Meſenterii, ubi in Lympham convertitur, ab hinc in Venas Lacteas ſecundi ordinis, poſtea in Ciſternam Chyliferam, exinde in ductum thoracicum & deinde in ſangvinem transvehitur.

LXXXV. Præterea etiam hic Chylus profluit ex illis Inteſtinis, intra oſtiola Venarum ſangviferarum Meſentericarum, adeoque immediate ſangvini commiſcetur.

LXXXVI. Affluit per Venam Portæ intra Hepar, & in Hepate in Lympham convertitur, reſiduæ terreſtres ſpiſſæ materiæ evacuantur per inteſtina craſſa.

LXXXVII. Abſolvitur hoc negotium mediante motu periſtaltico, quo OEſophagus, Ventriculus & Inteſtina gaudent.

LXXXVIII. Eſt vero hic motus non alius quam ſecundum longitudinem & latitudinem conſtrictorius aut contractorius, per momenta remittens & repetens.

LXXXIX. Ordo hujus negotii eſt, ut antecedat appetitus, ſequatur maſticatio, excipiat deglutitio, ſuperveniat prima & ſecunda digeſtio naturalis ſive concoctio, continuet Chyli tranſitus in Venas lacteas & ſangviferas & claudat denique reſiduarum impuritatum e corpore, per dejectiones alvinas, eliminatio.

XC. Ad ſingulas operationes requiruntur certa ſubſidia, quo imprimis ciborum ſubactio, reſolutio & laudabilis Chyli ſequeſtratio fiat.

XCI. Appetitus eſt voluntas edendi & bibendi per nullam materialem neceſſitatem cauſata & coacta: unde ſententiæ vulgari, de ſtimulo nervorum ſtomachi, ab acidis ventriculi reliquiis, multæ rationes contrariantur.

XCII. Ad concoctionem non requiritur ſpecificum fermentum; cum Saliva, reliquiæ concoctionis, cibus & potus plus hujus fermenti contineant.

XCIII. Concoctio abſolvitur motu ventriculi, calore, humore fermentante & miniſtrante rugoſa Ventriculi ſtructura: accedit denique bilis & ſuccus pancreaticus, quibus humoribus ſeparatio utilis ab inutili abſolvitur.

XCIV. Subjacet actus Concoctionis exquiſitis directoriis & proportionibus a conſtitutione partis materiali minime pendentibus.

XCV. Nam conſvetudinis magna vis eſt in hoc actu, & fruſtra eſt ſolum de firmitate materiali Ventriculi ſpeculari.

XCVI. Chyli motus per inteſtina tam motu periſtaltico inteſtinorum, quam perpetua compreſſione abdominis, ut & indeſinenti ſtrictura ordinaria Meſenterii adjuvatur.

XCVII. Ita etiam Lymphæ motus per ſua vaſa, ciſternam & ductum thoracicum multiplicibus adjumentis nititur, quo imprimis etiam valvuloſa vaſorum lymphaticorum textura referri meretur.

XCVIII. Sangvificatio non in ſolo Hepate, ſed in univerſo corpore contingit, ſub progreſſu ſangvinis, quando ſucceſſive principia ſulphurea & terrea commiſcentur.

Conf. Stahlii Diſp. de Sangvificatione.

XCIX. Eſt enim ſangvificatio actus mixtionis, qui ſub reliqua humorum reſolutione contingit, licet ad ſangvinem conſtituendum principia non nimis tenuia ſulphurea & terrea requirantur, quæ alias in Serum fatiſcunt.

C. Excludo itaque opiniones de ſpiritibus vitalibus & fermentis ſpecificis aut irradiationibus æthereis ſangvificantibus, qui conceptus nimis obſcuri ſunt.

CI. Quo puriora ſunt principia, eò nobilior & melior fit ſangvis & vice verſa: ſiquidem etiam ſangvis variat per individua, quoad nationes, ſexum, temperamenta, victum, vitæ genus &c.

CII. Excipit in ordine conſideratio HEPATIS, tanquam notabilis partis ad uſus vitales admodum neceſſariæ.

CIII. Hujus, quanquam in ſuperioribus mentio facta fuerat, nimirum in tractatione Se- & Excretionum, brevibus tamen hoc loco reminiſci placet.

CIV. Eſt vero Hepar pars glandulosa cum multis vaſibus ſangviferis prædita, tam Arteria Cœliaca, quam ramificationibus Venæ Portæ & Venæ cavæ.

CV. Glandulæ vero non ſunt confundendæ cum vaſculis, quemadmodum membranacea & cribroſa earundem textura minime penitus vaſculoſa eſt.

CVI. Gaudet etiam Hepar partibus & ductibus ad Bilis ſecretionem & transcolationem neceſſariis, quales itidem in ſuperioribus commemoratæ ſunt.

CVII. Uſus

CVII. Uſus vero Hepatis juxta ſuperiores tractationes multiplex eſt, inſervit enim ſecretioni & transmiſſioni Bilis, repurgationi Lymphæ, Converſioni Chyli in Lympham, Sequeſtrationi & abſterſioni Seri a ſangvine, attenuationi ſangvinis, ſangvificationi &c.

CVIII. Proinde nulla pars in toto corpore occurrit, quæ tot ac tantis utilitatibus vitæ & ſanitati ſuccurrat.

CIX. Quid quod conſtanter copioſo ſangvine repletur tam arterioſo, quam ex Vena Portæ affluente.

CX. Gaudet etiam ſpeciali ſtrictorio motu, quo mediante prædicti effectus vitales obtinentur.

CXI. Unde in præternaturali ſtatu tam conſtrictionibus quam infarctibus & Scirrhoſis indurationibus ſubjicitur.

CXII. Quo loco glandularum aliarum mentionem injicio & de iisdem indico, quod quoad texturam ſuam non ſint mere vaſculoſum corpus, ſed membranaceo-cribroſum, diverſæ laxitatis & denſitatis.

CXIII. Plurimum inſerviunt glandulæ ſequeſtrationi impuri a puro, aut ſeparationi particularium humorum.

CXIV. LIEN ſingularis pars eſt, quæ Medicis tum Anatomicis tum Phyſiologis multam extorſit litigationem.

CXV. Eſt vero textura Lienis admodum cribroſa, quæ multis Arteriis, ſed non totidem Venis gaudet.

CXVI. Ratione uſus, male quidam inutilem hanc partem eſſe prædicarunt, quia adverterunt, quod ſubjecta quædam exſecto etiam Liene, vitam non amiſerint.

CXVII. Alii ſpecificum fermentum in Liene ſupponunt, quod ad concoctionem ciborum in Ventriculo applicare volunt, ſed irriro & regulis motus progreſſivi ſangvinis contrariante conamine.

CXVIII. Sunt qui Secretionem humoris Atrabilarii in Liene arceſſunt, qui cum antiquis opinionibus imbuti obſervantur.

CXIX. Rectius vero Lien inſervit attenuationi ſangvinis & abſterſioni Seri a ſangvine, quo in Hepate Bilis commodius ſecerni queat, quod per argumenta a priori & poſteriori petita demonſtrari poteſt.

CXX. Eſt proinde Lien pars, quæ ob frequentem & copioſam ſangvinis transmiſſionem & reliquam connexionem cum Vena Portæ variis afflictionibus, in impedito progreſſu ſangvinis conſiſtentibus, obnoxia eſt.

CXXI. De RENIBUS breviter monendum, quod textura eorundem fibroſo-carnoſa ſatis denſa & rigida ſit, quæ tamen in externo ambitu laxior obſer-

ſervatur, ad meditullium vero ſtrictior, unde intrinſecus ſequeſtratur tenue ſerum a ſangvine per ambitum confluente.

CXXII. Ob id Renes valido motu tonico inſtructi ſunt, per quem ſecretio urinæ perpetratur & in caſu præternaturali & extraordinario calculi ſpaſmodico rigore transprimuntur.

CXXIII. Verſus pelvim vero tam ordinariæ, quam extraordinariæ Renum tonicæ commotiones diriguntur: eſt enim pelvis textura tendinoſa.

CXXIV. Habent proinde Renes ſubtilem & conſtantem communionem non ob conſenſum materialem, ſed ob harmoniam utilitatis & uſus in negotio vitali: ſiquidem communiter ſimul in ordinario ſtatu ad unum eundemque effectum adhibeantur: ita etiam in extra ordinaria afflictione compaſſionem ſuam commoſtrant.

CXXV. Ob hunc conſenſum ratione uſus vitalis, habent etiam Renes communionem cum Spermatis ſe- & excretorio actu, ſiquidem vaſa Renum & partium ſpermaticarum aterioſa & venoſa, quoad motum ſangvinis progreſſivum conſtanter communicant.

CXXVI. De Renibus illis ſuccenturiatis quoad uſum vitalem, tam certa & evidens demonſtratio nondum ſuppeditari poteſt.

CXXVII. De Pancreate in ſuperioribus dictum fuit: hoc loco quaſi repeto, quod per ductum illum Wirſungianum ſuccus pancreaticus ſalivalis proprimatur intra inteſtinum, mediante tonico pancreatis motu, certo quidem tempore & juſta quantitate, prout nimirum quantitati ciborum ſemi concoctorum congruit, ſuccum hunc affundente: quæ circumſtantia ex textura hujus glandulæ conglomeratæ non fluit.

CXXVIII. Neque neceſſe eſt plura de genitalibus partibus repetere de quibus paſſim dictum fuit, quomodo partim ſecretioni Spermatis & congeneris liquoris, partim fœtui continendo & emittendo inſerviant: interim animus mihi non fuit, anatomicas circumſtantias quascunque diffuſius recenſere.

CXXIX. Annumero hisce diſquiſitionibus conſiderationem VENAE PORTAE, cujus ſtructura ita eſt conſtituta, ut e brevi quidem Trunco, ſed e numeroſiſſimis ramificationibus, tam in Hepar ſe imergentibus, quam per reliqua abdominis viſcera diſperſis, conſtet.

Conf. Stahlii Diſp. de Vena Portæ Porta malorum.

CXXX. Quanquam vero reliquæ venæ valvulis neceſſariis gaudeant, hæc tamen iisdem deſtituta deprehenditur.

CXXXI. Ob copioſum ſangvinis affluxum ad hanc Venam ex inteſtinis ſingulis, Ventriculo, Liene, Pancreate, Omento, Utero provenientem, hæc vena admodum oneratur.

CXXXII. Un-

CXXXII. Unde Motus Sangvinis in eadem valde difficilis & multis impedimentis ſubjectus eſt.

CXXXIII. Ob id Vena Portæ eſt Porta malorum.

CXXXIV. Sunt vero talia mala, ſtagnatoria, ſtaſin minitantia, diſtenſoria, oppletoria, reſtagnatoria, ſpaſmodica, torminoſa, tenſoria, anguſtatoria, cardialgica, emetica, hypochondriaca, hyſterica, colica, ſplenetica, flatulenta, hepatica aliaque, quæ cum hisce conſentiunt.

CXXXV. Ordinarie promovet ſangvinem per Venam Portæ Motus reſpirationis & contingens compreſſio abdominis, nec non Motus voluntarius corporis.

CXXXVI. Extra ordinem vero Motus ſpaſmodici progreſſum ſangvinis per Venam Portæ facilitant.

CXXXVII. Ventilant vero Venam Portæ hæmorrhoides internæ, quarum ſalubritas ſe in viſcera cum Vena Portæ connexa extendit.

Conf. Stahlii Diſputationes de hæmorrhoidibus internis & externis.
mea Diſp. de hæmorrhoidibus Longævitatis cauſa, de hæmorrhoidibus medicina hypochondriacorum.

CXXXVIII. Cæterum vero hæc viſcera per motum progreſſivum ſangvinis inter ſe exquiſite conſentiunt.

CAPUT VIII.

DE

NUTRITIONE.

I.

PRæter hæc requiſita, quæ ad vitam animalem ſpectant, neceſſe etiam eſt, quo corpus ſucceſſive magis confirmetur, & ad robur & conſiſtentiam promoveatur.

II. Hoc robur eo imprimis inſervit, quo reliqui Motus vitales eo melius eoque efficacius ſuccedant & quo ipſum corpus magis habile reddatur ad externas viciſſitudines & alterationes ſine detrimento ſufferendas.

III. Ita enim teneritudo & mollities corporis magis expoſita eſt extraneis injuriis; quibus ſubinde opponitur corporis conſiſtentia & firmitas.

IV. Hæc confirmatio inducitur corpori, per illum actum, qui NUTRITIO audit, qua mediante ſecundum longitudinem & latitudinem totum corpus & quælibet partes ſeorſim augentur.

V. Ob-

V. Obſervatur vero in hoc actu confirmatorio, illa conſtans proportio, ut partim partes corporis in mutuo quodam habitu & commercio perſiſtant, partim reſpectu univerſalis habitus ſive temperamenti non laxior neque rigidior conſiſtentia corpori conciletur, quamdiu videlicet actus hic continuat.

VI. Eſt vero Nutritio ſucceſſiva corporis tenerioris & mollioris ſtructura, aut continuata formatio & confirmatio.

VII. Quapropter illud principium, quod corpus incipit ſtruere id etiam continuat ſtruere & confirmare.

VIII. Ob id nutritio, non qualitas corporis eſt, neque ex illius neceſſitate fluit, ſed eſt operatio Naturæ, qua ſuum corpus magis ad uſus ſuos habile & idoneum reddit.

IX. Quanquam vero ſub nutritionis actu corpus idoneam ſuam flexilitatem retineat, tamen etiam contingit, ut per ætatem ceſſante hoc actu, corpus paulo denſius & rigidius evadat, teſtimonio differentiæ carnium recentium & vetuſtarum, non minus etiam oſſium.

X. Actus ipſe Nutritionis eſt inorganicus, abſolvitur vero Motibus & hiſce quidem admodum ordinatis.

XI. Motus quibus Nutritio adminiſtrantur, ſunt ordinarii vitales, inprimis vero Tonicus.

XII. Succedit hæc Nutritio generice, juxta duplicem periodum, ita ut homo per tres cum dimidio annorum ſeptenario in longitudinem, & per tot annos in latitudinem creſcat.

XIII. Quinquageſimo ætatis anno ceſſat Nutritio, tam quoad longitudinem, quam quoad latitudinem, & perdurat conſervatio corporis in priſtino ſtatu pro reliqua vegeta Naturæ Energia.

XIV. Hæc nutritio & efficacius & citius ſuccedit in junioribus ſubjectis; unde qualitercunque turbata in annis infantiæ & pueritiæ, in futurum notabilis firmitas corpori non ſupervenit.

XV. Quale exemplar occurrit domeſticum in brutis, quibus ſufficiens victus deficit aut ſubtrahitur, & quæ mox in primis ſuæ vitæ terminis deſtituuntur, quominus ad ſolidum & neceſſarium robur pertigant.

XVI. Nutritur vero corpus non ſimultaneo tempore aut indefinenti actu, ſed ſucceſſivis terminis.

XVII. Quocunque etiam tempore Nutritio vegetius ſuccedit, eo tempore appetitus eſt frequentior & avidior.

XVIII. Quodſi etiam per alias viciſſitudines actus Nutritionis per aliquod tempus impediatur aut detineatur, tunc ſuperatis talibus difficultatibus compenſatur prior defectus acceleratione actus Nutritorii.

XIX. Non-

XIX. Non ex quolibet fit quodlibet, unde Actus Nutritionis & electivus, & propterea operatio eſt non corporis, ſed animæ.

XX. Nutritio proprie concernit partes ſolidas vel flexiles & mobiles vel immobiles.

XXI. Sangvinis quotidiana reparatio, non meretur appellari nutritio, licet omnino neceſſarium ſit, quo ſangvis, qui indies aliquâ copiâ conſumitur & diſſolvitur, reſtituatur.

XXII. Unde Nutritio corporis raro transgreditur quinquageſimum annum, ſangvificatio vero continuat per totam vitam.

XXIII. Et hac Nutritionis ceſſatione per ætatem, nititur ſterilitas fœminarum per ætatem contingens, ſive quod poſt quinquageſimum annum fœminæ parere definant.

Conf. Stahlii Progr. de Sterilitate fœminarum per ætatem.

XXIV. Subjacet etiam nutritionis actus animi patheticis commotionibus & immoderatioribus operationibus mentis: unde pueruli præmature intenſius actibus ratiocinationis inhærentes, vix ad eminentem corporis firmitatem proveniunt.

XXV. Proxima Nutritionis materia eſt Lympha, gelatinoſus ille Liquor, in quo principia non craſſius mixta, ſed liberiora ſunt.

XXVI. Quicunque itaque cibi plus de tali materia participant, illi plus alunt.

XXVII. Ipſa vero talis Materia non ſimpliciter nutrit, ſed ſubjecta eſt applicationi, nimirum actui nutritionis.

XXVIII. Pro Nutritione hominis ferme per totum orbem terrarum a Deo datus & ſuppeditatus eſt panis.

XXIX. Hic benedictam ſuam utilitatem eo documento comprobat, quod ſub quotidiano etiam uſu nunquam nauſeam moveat, imo quod præ reliquis cibis homines tamen comeſtionem panis deſiderent.

XXX. Et noſtris quidem Nationibus commodior & uſitatior eſt ſecalinus.

XXXI. Deinde alimentoſam materiam continet Triticum, Hordeum, Avena, Milium, Oryza, fructus leguminoſi diverſi; quales vero ſpecies vel magis vel minus cum ſpiſſa mucilagine permixtæ ſunt.

XXXII. Imprimis vero nutriunt nuclei pingves, Amygdalæ, pineæ, caſtaneæ, nuces.

XXXIII. Porro fructus terræ & horræi, alimentoſam ſubſtantiam continent, cum multis craſſis materiis remixtam; quam priorem tamen ob ſimplicitatem victus, animalia bruta intimius extrahunt & in uſus ſuos convertunt.

XXXIV. Et ita regnum vegetabile, ſufficientem penum pro Nutritione hominis ſuppeditat.

XXXV. Posteaquam vero Luxuries hominum invaluit, & appetitus ad alia ferebatur, concessa est hominibus comestio Carnis, cum primus simplicissimus cibus e vegetabili regno a Creatore hominibus assignatus fuerit Gen. I. v. 29. & cap. II. v. 16.

XXXVI. E Carnibus maxime nutriunt juniorum animalium, quæ multa Lympha præditæ, cum vetustorum animalium carnes magis sint exsuccæ & spissæ.

XXXVII. Imprimis vero ex animalibus valde nutrit Lac, Butyrum, Pinguedo, Medulla, Gelatina &c.

XXXVIII. Animalia quæ ad feras pertinent, præter nutrientem, etiam medicam habent qualitatem abstergentem, & moderate alvum promoventem.

XXXIX. Et quanquam inter esculenta uberrimam farraginem pro alimento inveniat homo, tamen quasi ex superfluo potulentâ nutrientia usurpat, de quibus alibi.

XL. Minerale Regnum nihil habet, quod suppeditet, pro alimento & nutrimento hominis.

XLI. Absolvitur itaque partium nutritio, successiva appositione materiarum tonicæ directioni expositarum.

XLII. In hunc nutritionis actum ars medica plane nullam potestatem habet.

XLIII. Nutriuntur vero partes, quæ e prima formatione prostant, adeoque Medicis spermaticæ audiunt; quales partes vero non regenerantur, dissectæ fuerunt, ut sunt amputata membra.

CAPUT IX.

DE

REBUS NON-NATURALIBUS.

I.

QUando de illis subsidiis & auxiliis vitam fulcientibus & confirmantibus adhuc sermo est, hoc loco agendum erit de REBUS sic dictis NON-NATURALIBUS.

II. Res non-naturales dicuntur, quæ directe & proxime ad internam essentiam corporis non spectant, sed tantum ad illius durabilitatem, existentiam & continuatam conservationem.

III. Quo

III. Quo reſpectu vita compendium & complementum rerum non-naturalium, præter reliquam formalem ſuam rationem, dici poteſt, quia durabilitatem & exiſtentiam homini conciliat.

IV. Ita etiam ætas hominis, rerum non-naturalium uſum ſequi ſolet.

V. Harum rerum vulgo numerantur ſex ſpecies: 1. *Aër*, 2. *Cibus & Potus*. 3. *Motus & quies*, 4. *Somnus & Vigiliæ*, 5. *Excreta & Retenta*, & 6. *Animi Pathemata*.

VI. Quo adhuc refero *Conſuetudines*, quia nullus homo deprehenditur, qui non ſub durabilitate vitæ ſuæ certa conſvetndine gaudeat.

VII. Et cum hujus conſvetudinis magna vis ſit, quæ propterea pro altera Natura haberi ſolet, ita illius ſingulares efficaciæ occurrunt in vitalibus.

VIII. Quod itaque primo *Aërem* attinet, utitur illo tunc homo, quando per partum in aërem excluſus eſt.

IX. Excipit hunc mediantibus pulmonibus, quibus expanſis ſangvis circuitum ex uno cordis ventriculo in alterum nanciſcitur.

X. Primarius itaque uſus eſt aëris pro Reſpiratione, quo requiritur aër ſufficienter denſus & non nimium ſubtiliatus aut rarefactus, quippe qui pro expandendis pulmonibus ineptus eſt, inde enim imminet ſuffocatio.

XI. Repeto vero, quod aër intra pulmones active attrahatur & non paſſive delabatur.

XII. Deinde aër inſervit pro negotio ſenſuum externorum, ſiquidem ad viſum, auditum & olfactum concurrit.

XIII. Eſſentialiter & materialiter Aër ad exiſtentiam hominis non ſpectat, ſiquidem neque motus vitales, juxta vulgarem traditionem primum ſuum impulſum ab Aëre ſuſcipiunt.

XIV. Neque proprie neceſſe eſt, quo ſangvis cum Aëre imprægnetur, licet in ſangvine Aër adeſſe aſſeratur, quando in antlia pnevmatica campanæ ſubmittitur: ubi tamen duo hæc dubia vexata occurrunt 1) an Aër antea ſangvini inextiterit, & non demum poſt emiſſionem ab extra eidem ſe inſinuaverit: 2) an non aqua rarefacta eosdem expanſorios ſive elaſticos effectus edat, quos Aër perficit.

XV. Per accidens interim inſinuatur Aër humoribus, & in iisdem valde rarefit ob calorem.

XVI. Neque etiam neceſſe eſt concludere, quia cum cibo & potu & ſub inſpiratione Aër corpus noſtrum intrat, ergo ad corpus noſtrum ſive materialiter, ſive formaliter abſolute pertinet, nimirum quod ſine illo motus interni adminiſtrari nequeant.

XVII. In humoribus enim magis resolvendæ mixtioni, quam conservandæ quadrat, sufficit & contribuit.

XVIII. Quod enim vulgo narratur de Aëris efficacia spirituascentiam sangvini conciliante, hoc certe mihi mysticum & hieroglyphicum est.

XIX. Commodissimus & utilissimus Aër pro corpore ab extra communicatus, est temperatus siccus & moderate calidus.

XX. Frigidus ad inspissandos humores, humidus ad relaxandas partes contribuit.

XXI. Nimis siccus exarefacit: quod etiam nimis calidus efficit.

XXII. In humoribus Aër est instrumentum motus fermentativi & per consequens magis mixtionis integritati contrarius est.

XXIII. Quanquam vero cum Aëre ab extra etiam calor & frigus communicetur, effectus tamen in corpore vivo sub calore & frigore occurrentes, non sunt caloris & frigoris, sed Naturæ.

XXIV. Denique cum Aëre multæ impuritates sulphureæ, salinæ, orgasticæ, fermentativæ intra corpus nostrum insinuantur: & in eo etiam deprehenditur verum esse illud, quod nullum sit commodum, quod non secum ferat incommodum.

XXV. Pulmones ulcerati facilius densum, quam tenuem & valde serenum aërem perferunt.

XXVI. Repentinæ aëris inspirationes & elisiones teneræ pulmonum texturæ vim inferunt.

XXVII. Seorsim etiam observanda est quorundam hominum major vel minor sensibilitas in perferenda diversitate aëris mutatione.

XXVIII. Ejusmodi mutationes aëris macrocosmicæ mediante hac sensibilitate personali majori interdum causa occasionalis externa fiunt ad diversas alterationes in œconomia vitali obvias.

XIX. CIBVS & POTUS porro ad durationem corporis ad vitam & sanitatem confert.

XXX. Quippe quo materiæ illæ reparantur, quæ ad sangvinis restaurationem, corporis nutritionem, & humorum atque partium sufficientem humectationem spectant.

XXXI. Cibus vitalitati & sanitati subvenit, non nimium nutriens, neque excessiva quantitate simul & semel ingestus neque nimis frequenter assumtus.

XXXII. Pro consvetudine hominum & nationum cibus vel mollior, vel craffior conducit.

XXXIII. Et qui homines in Diæta mollitiei adsveti sunt, non nisi cum detrimento sanitatis hanc consvetudinem mutant, & vice versa.

XXXIV. Sol-

XXXIV. Sollicita & ſcrupuloſa interim Diæta vitæ & ſanitati non ſubvenit, quin potius præjudicat.

Conf. Stahlii Opuſcula chymica &c. p. 267.
Diſp. de Diæta.

XXXV. Cibus optime conducit, quando appetitus eundem deſiderat.

XXXVI. Contra appetitum cibum ingurgitare malum eſt, juxta illud: qui bene appetit, bene ingerit, digerit & egerit.

XXXVII. Voracitas & conſvetudo edendi deſtruit ſanitatem.

XXXVIII. Prout homines cibis alimentoſis utuntur, ita quantitas ciborum eſt diſtingvenda.

XXXIX. Inordinata diæta vitam & ſanitatem offendit.

XL. Cibum in morbis obtrudere conſultum non eſt.

XLI. Quando alimenta ſufficienter nutriunt, ſalubre non eſt, potu valde alimentoſo uti.

XLII. Diæta eſt optima hominis Medicina, quæ certius longævitatem promittit, quam quælibet ſplendida pharmaca.

XLIII. Optimus potus eſt tenuis neque valde pingvis, quia animum & corpus non offendit.

XLIV. Sufficeret, ſi conſvetudo hominum ferret, ſimplicior potus Aquæ, qui vero non ſeligendus & ſimul & ſemel adhibendus eſt, quando quisquam a teneris cereviſiario potui addictus fuit.

XLV. Et cum luxurians hominum appetitus ſapida affectat, propterea potus Cereviſiæ imprimis & Vini innotuit & increbuit.

XLVI. Cereviſia ſaturata, ſpiſſa & lupulata valde nutrit, aggravat corpus, auget ſangvinem, turbat animum.

XLVII. Lactis potus eſt valde nutriens & inſervit ſimul pro ſufficiente alimento corporis.

XLVIII. Quæcunque ſubjecta potui cereviſiario adſveta ſunt, eadem Aquæ potum conſtantem non ſatis commode ferunt.

XLIX. Commodius aqua cum exigua aromatis v. g. Cinnamomi quantitate miſceatur, ne ob inſvetudinem aliquam cohærentem, moleſta evadat.

L. Vini potus eſt magis medicus, quam œconomicus, cum Vinum roborantem, analepticam, reſolventem, diſcutientem & ſangvinem imminuentem qualitatem habeat.

LI. Hanc Vini efficaciam, qui experiri geſtat, eodem non pro potu quotidiano utatur.

LII. Diſponit interim frequens vini potus ad febres, inflammationes, ſpaſmos, calculum, podagram, affectus biloſos &c.

LIII. Ubi ob defectum cereviſiæ contingit ſolo vino uti, ibi convenit vinum cum aqua diluere.

LIV. Potus ſpirituoſi deſtillati itidem magis pro Medico quam diætetico uſu reſervandi ſunt, niſi conſvetudo certis nationibus familiaris hos urgeat.

LV. Decocta calida, aquoſa dilutiora, non nimis prodige aut ſaturate uſurpata, uſum habent humectantem, lenientem, diureticum & attenuantem.

LVI. Reliqua decocta quæ ex pingvibus principiis conſtant, præter reliquum alimentum modice & medice uſurpanda ſunt.

LVII. Calido tantum potui ſeſe dicare, adeo neceſſarium non eſt, neque etiam conſultum: proinde etiam præſtat evitare repentinas mutationes frigidi & calidi potus.

LVIII. Neque etiam ſalubre eſt frigidum tantum potum conſtanter ſeligere & immoderate haurire.

LIX. Excipit in ordine Obſervatio MOTUS & QUIETIS, in quantum vitæ & ſanitati confirmandæ, ſubſervit.

LX. Per Motum intelligitur voluntaria & localis corporis agitatio, non vero vitalium motuum ſyſtema.

LXI. Per Quietem vero deſcribitur ceſſatio temporaria, a tali motu voluntario corporis.

LXII. Quod vero Motus Voluntarius vitalitati eximios uſus conferat, & ſanitati communicet, ſupra indicatum fuit.

LXIII. Hoc loco tantum de applicatione hujus Motus notandum, quod corpus non nimium aut exceſſive aut defective moveri debeat.

LXIV. Simultanea, præceps & impetuoſa corporis commotio nocet.

LXV. Nimis diuturna talis voluntaria agitatio ſanitati non ſubvenit, ſed vires depauperat.

LXVI. Conducit alternatim corpus movere, & alterna requie novas vires acquirere.

LXVII. Optime vero corpori ſubveniunt Motus concuſſorii, qui imprimis progreſſum ſangvinis per vias, viſcera & venas promovent.

LXVIII. Labor eſt Medicina corporis ſani, ſub quo totum corpus efficaciter afficitur, & animus ſimul ad perpetuam alacritatem disponitur.

LXIX. Quod caret alterna requie durabile non eſt.

LXX. Unde Natura in infinitum operari non poteſt.

LXXI. Adeoque intercapedines quærit, ſub quibus a Motibus abſtrahit.

LXXII. Quies ſit temperata, alias in otium vergit.

LXXIII. Otia vero dant vitia, & animo & corpori nocent.

LXXIV. Unde

LXXIV. Unde nimia Quies vitæ & ſanitati obeſt, quia principium motus reddit ignavum, & ad diverſas functiones minus expeditum.

LXXV. Sed etiam nimis parca Quies officit ſanitati: moderata itaque durant.

LXXVI. Sicuti Motus & Quies concernunt Energiam Naturæ, corpori in negotio vitali efficaciter applicandam, ita proxime SOMNUS & VIGILIÆ reſpiciunt vires & capacitatem Animæ in negotio ſenſationis & connexæ reliquæ ratiocinationis exercendas.

LXXVII. Quemadmodum Anima in moralibus & ratiocinationis actibus, ut & in ſenſationis negotio, quam diu adhuc cum corpore eſt connexa, non in infinitum operatur, ita etiam in hoc officio indiget requie.

LXXVIII. Somnus itaque eſt Quies animæ in actu ſenſationis & ratiocinationis.

LXXIX. Unde ſomnus pendet ab Anima, quando eadem activitatem ſuam remittit aut abſtrahit a miniſterio ſenſuum externorum, imo certo reſpectu etiam internorum.

LXXX. Fruſtra aſſeritur, quod anima ſomnum patiatur.

LXXXI. Tota ſomni hiſtoria comprobat Animæ activitatem abſtrahentem & non patibilitatem.

LXXXII. Quicquid enim in triviali Somni Theoria de motu ſpirituum dicitur, meram fabulam olet.

LXXXIII. Quemadmodum vero activitas animæ in moralibus & alacritas operandi, teſtimonium eſt de reliqua vegeta illius energia, ita hoc reſpectu Somnus ſubvenit Vitalitati.

LXXXIV. Tanto magis, quando ſub ſomno a functionibus moralibus aliquandiu ceſſat, vitalibus nunc officiis inhærere poteſt Natura.

LXXXV. Somnus itaque capeſſendus eſt, in juſto modo, neque defective neque exceſſive.

LXXXVI. Et præſtat proinde alternare cum vigiliis, ſub quibus actiones morales, ſenſationis & Motus Voluntarii adminiſtrantur.

LXXXVII. Vigiliæ ſunt ille ſtatus, quando Anima denuo ad uſus ſenſuum & ratiocinationis ſeſe applicat.

LXXXVIII. Unde etiam convenit cum vigiliis convenientem modum ſervare.

LXXXIX. Nimiæ vigiliæ confundunt animum & debilitant hominem: nimius ſomnus reddit animum ſtupidum, & torpidum.

XC. Somnum vulgo conciliantia adminicula non Phyſico-Mechanice, ſed in ſenſum primario operantur.

XCI. Ordo

XCI. Ordo in Somno & vigiliis ſubvenit etiam vitalitati.

XCII. Differt ſtatus Somni & Vigiliarum per temperamenta hominum.

XCIII. Largior & profundior ſomnus magis proficit junioribus, in infantia maxime conſtitutis, quam provectioribus.

XCIV. Datur etiam Conſvetudo circa Somnum, ex qua non raro abundantia ſomni provenit, quemadmodum animi pathemata ſomnum valde alterare poſſunt.

XCV. Somnus pomeridianus neque nocet, neque prodeſt, niſi circumſtantiæ quædam intercurrant.

XCVI. Pro vita & ſanitate tuenda conferunt etiam EXCRETA & RETENTA.

XCVII. De quibus in ſuperioribus capitibus de Excretione & Nutritione pluribus actum.

XCVIII. Excernere convenit ſucceſſive, tempeſtive, conſtanter & non exceſſive.

XCIX. Quo magis ſtatariè Excretiones ſuccedunt, eo magis regularis eſt Oeconomia vitalis.

C. Excretiones ratione quantitatis reſpondere debent ingeſtis.

CI. Qui multa ingerunt & pauca egerunt, vitæ & ſanitatis incommoda incidunt.

CII. Retinendæ vero ſunt materiæ, mixtioni animali neceſſariæ & idoneæ, juſta tamen quantitate & qualitate.

CIII. Quæ vero, licet in ſe bonæ videantur, tamen in exceſſu, retineri non debent.

CIV. Unde retenta habeant proportionem ad Motus vitales, tam ratione quantitatis, quam qualitatis, ne eosdem aggravent.

CV. Sub durabilitate hominis concurrunt inevitabili quodam vinculo ANIMI PATHEMATA.

CVI. Hæc vero cuilibet homini uſitata ſunt.

CVII. Sunt vero hæc pathemata, præmatura & intempeſtiva Animæ concluſio de rebus vel ſenſu perceptis, vel effictis, quoad ſingulares ſuas circumſtantias, non bene penſitatis, & indiſcretim pro noxiis habitis.

CVIII. Quantam hæc habeant efficaciam ad alterandos Motus Vitales, quotidiana experientia docet.

Conf. Stahlii Diſp. de Paſſionibus animi corpus varie alterantibus.

CIX. Anomaliæ vero Motuum Vitalium patheticæ non ſunt tumultuariæ, ſed patheticis intentionibus exacte reſpondent.

Conf. Stahl. Programma: anomalias motuum vitalium pathet. &c.

CX. Exin-

CX. Exinde vero non præcociter & cum rigore judicare decet, quod Animæ operationes in corpus ſint confuſæ aut perniciosæ.

CXI. Inde rectius conſtat, quomodo anima per vitales Motus alteratos, eosdem fines proſequatur, quos in pathemate ſuo reſpicit.

CXII. Quanquam vero communiter animi pathemata haud directe vitam & ſanitatem, vel tueantur, vel ſublevent, tamen in vita humana, ut inevitabile accidens, concurrunt.

CXIII. Rariſſimus enim effectus eſt, ut per animi pathemata præſentes quidam morbi repente in meliorem ſtatum mutentur: uti rarum eſt ſubitanea morte ex animi pathemate corripi.

CXIV. Quotidianum vero eſt ob animi pathemata, ægrotationibus diverſis & animi atque corporis perturbationibus ſubjici.

CXV. Inde liquet etiam illa animæ indoles, qua Motus ſuos interdum in illud objectum, quod corpori inhæret, transfert & finem patheticum cum illo Motu per hoc objectum urget.

CXVI. Singulis hisce rebus Non-naturalibus, annumero ultimo loco CONSVETUDINEM.

CXVII. Quæ ſub reliqua vita & durabilitate hominis, ſeſe inevitabili quodam nexu tam moribus quam motibus vitalibus conjungit.

CXVIII. Eſt vero Conſvetudo alacris promptitudo, tam ad ſuſcipiendas, quam ad exercendas diverſas operationes.

CXIX. Et talis Conſvetudo eſt, uti moralis, ita etiam vitalis, ſiquidem per motus formatur, acquiritur, abſolvitur.

CXX. Nullus fere deprehenditur homo, qui non certa conſvetudine ſive in moralibus ſive in vitalibus gaudeat.

CXXI. Fluit vero ratio Conſvetudinis ex indole Motus, non Materiæ, nam certa diſpoſitio corporis, adhuc conſiſtit in ſuppoſitione & indiget demonſtratione: imprimis cum neceſſe ſit, quo per motus corpori talis ſuppoſita certa diſpoſitio concilietur.

CXXII. Quando enim certus Motus non modo ſemel ſuſceptus, ſed & aliquoties repetitus eſt, tunc tanta in illo continuando recuperatur alacritas, ut ſub commoda enchiriſi primi effectus & ſcopi frequentius urgeantur.

CXXIII. Quin eo denique redit negotium Conſvetudinis, ut per Motus habituales magis prompta & expedita operatio obſervetur, quam neceſſarius quidam uſus.

CXXIV. Conſvetudo vitalis, vel in ſtatu ſanitatis, vel ægrotationum obſervatur.

CXXV. Unde dantur etiam Morbi habituales, qui vel indiscretim repetunt, vel certo etiam tempore revertuntur.

CXXVI. In ordinario vitalitatis statu Consvetudo certis motuum gradibus, temporibus, successibus &c. connectitur.

CAPUT X.

DE

TEMPERAMENTIS.

I.

CUm in Oeconomia vitali Motus conservationi vitæ faventes cum partibus fluidis congrediantur, ita talis conservatio vix obtineri potest, ni inter solidorum & fluidorum Motum, justa servetur proportio.

Conf. Stahlii Disp. de Temperamentis. de Proportione humorum ad motus.

II. Hæc consideratio ducit me ad doctrinam de TEMPERAMENTIS exponendam.

III. Temperamentorum Theoria ex antiquissimis ævis in nostra tempora redundavit.

Conf. Epist. mea de Fatis Doctrinæ Temperamentorum.

IV. Unde existentia Temperamentorum, a plurimis probatis & expertis Viris agnita & demonstrata fuit.

V. Speculatores vero quidam existentiam Temperamentorum negarunt, ex illo fundamento, quod non detur Temperies & proportio physico-mathematica, vel principiorum corpus constituentium, vel fluidorum & solidorum ad se invicem, & quidem exquisita, quasi ad stateram æstimata.

VI. Neque solido potiuntur argumento, qui ad educationem provocantes, existentiam Temperamentorum corruere contendunt; cum mores tenerorum mutari non soleant, nisi affectatum quid, aut simulatum intercedat.

VII. Veteres Medici Temperamenti rationem quæsiverunt in quatuor summis qualitatibus physicis.

VIII. Alii in Elementorum concursu: quidam in quatuor humoribus.

IX. Adeoque Temperamentum mere physicum intellexerunt.

X. Unde non modo de qualitatibus physicis corporis humani, in genere disseruerunt, sed diversis corporis partibus & regionibus juxta has qualitates Temperamenta assignarunt.

XI. Inde

XI. Inde alii Temperamenta per ætates & per Anni tempora variare crediderunt: alii ex Aſtrologicis fabulis rationem Temperamentorum certis horoſcopis aſſignarunt.

XII. Plurimi ex diverſitate externi conſpectus & internorum Motuum per ſuos gradus variantium, Temperamentorum Exiſtentiam deduxerunt.

XIII. Arabes Temperamentum in tali temperiei complexu & ita in corpore quæſiverunt, adeoque generalem corporis conſtitutionem complexionem nuncupare ceperunt.

XIV. Galenus peculiari cura, Mores & Temperamentum Corporis conjungere laboravit.

XV. Involvit vero ratio Temperamenti proportionem motuum vitalium, erga partes corporis fluidas & ſolidas tenendam.

XVI. Sub qua proportione effectus vitales ſalutares & neceſſarii, debite procedunt, & ipſum corpus durabilitatem ſuam nanciſcitur.

XVII. Eſt vero temperamentum in certis circumſtantiis, tam corpus quam vitam concernentibus conſtitutum.

XVIII. Unde Veteres & Medici & Philoſophi diſtinxerunt inter temperamentum mixti, ſive mere phyſicum, & inter Temperamentum vivi, ſive proportionem Motuum ad materias.

XIX. Quod Temperamentum Mixti concernit, diſcrepat corpus juxta Veteres quoad quatuor ſummas & generales conditiones; dum aliud eſt ſiccum ſive ſtrictum, aliud vero humidum ſive laxum, aliud calidum aut frigidum.

XX. Quæ proinde Quaternionem Temperamentorum conſtituunt.

XXI. Alia enim eſt conſtitutio corporis in Sangvineis, alia in Cholericis, alia in Melancholicis, alia in Phlegmaticis.

XXII. Eſt ſubinde Temperamentum Phlegmaticum, non mixtum, ſed peculiare Temperamentum.

XXIII. Et ſecundum hanc diſcretionem in Temperamento phyſico occurrentem, differt etiam proportio Motuum, quæ Temperamentum vivi ſive proportionem vitalem efficit.

XXIV. Conſideratio Temperamenti vivi, commendat imprimis vitalitatis formam & normam atque juſtum ſucceſſum, aut proportionem & quidem partium fluidarum & ſolidarum.

XXV. Juxta hanc considerationem proportionis agendi in Vitalibus assumit & connectit etiam Anima proportionem agendi in moralibus, quæ maturius vitalibus motibus in hac proportione exercendis operam adhibet, ita juxta vitalium motuum normam morales motus ordinat.

XXVI. Consistit itaque hæc proportio in subjectis Temperamenti Sangvinei, ut cum sangvis sit sufficienter fluidus & partes solidæ atque porosæ sint sufficienter patulæ & permeabiles, successus humorum per has partes secure, libere, facile, sine impedimento, sine cura, cum liberrimis effectibus decurrat.

XXVII. Unde Sangvinei præ reliquis hominibus, optima, secura, libera & integra gaudent sanitate, cum Motus vitales, una cum suis effectibus tam prompte & vegete succedant.

XXVIII. Ob id Sangvineorum passio prædominans est Securitas, ex qua omnia reliqua tum vitiorum tum virtutum genera emergunt: ut voluptas in libidine lasciva, in cibo & potu, nec non in conversatione &c.

Conf. Stahlii Disp. de fundamento moralitatis in sangvine.

XXIX. Quod Temperamentum Cholericum attinet, tunc proportio Motuum, quæ in illo occurrit in Vitalibus tanquam regula moralium motuum itidem notari debet.

XXX. Consistit hæc proportio in hisce circumstantiis, cum Cholerici habeant sangvinem valde fluidum & mobilem, partes vero quæ sangvinem recipiunt, densiores, arctiores & angustiores sunt, ita opus est fortiori fluidi sangvinis Motu & impulsu, quo angustas partes ingrediatur & egrediatur.

XXXI. Absolvitur itaque proportio in Vitalibus per Augmentum Motuum, aut per fortitudinem agendi aut operandi, mediante qua, sangvis in justo suo circuitu conservatur.

XXXII. Adsvescit itaque Natura fortiori activitati in Vitalibus & omnes functiones vitales fortiter, strenue, impetuose, repente, efficaciter & intrepide administrat.

XXXIII. Secundum hanc rationem in moralibus passio prædominans est Fortitudo aut Magnanimitas, sive vehementior virium suarum applicatio sive exercitatio.

XXXIV. Ex hac fortitudine agendi fluunt reliquæ tam virtutes quam vitia, ut: Audacia, Iracundia, Ambitio, Crudelitas &c.

XXXV. In Temperamento Melancholico sangvis est semper spissior, & viæ recipientes semper sunt valde arctæ & constrictæ.

XXXVI. Ob

XXXVI. Ob hanc malam proportionem materialem nunquam ſuſpicio & diffidentia deeſt, quin ſangvinis ſtaſes, & viarum occluſiones oriantur.

XXXVII. Ne vero tale quicquam e culpa Naturæ fiat, ipſamet hanc proportionem invenit & applicat, ut ſangvinem ſpiſſum in arctiores vias cum ſufficienti tenore & valore imprimat, quem vocant: Mit einem Nachdruck.

XXXVIII. Et id quidem conſtanter, aſſidue, circumſpecte, non impetuoſen eque præcipitanter, neque etiam ſegniter & negligenter aut debiliter, quia corpus reſpectu fluidorum & ſolidorum hoc non permittit.

XXXIX. Quanquam vero hæc omnia agat Natura, ſemper tamen diffidentia & ſuſpicio adeſt, ne propter malam proportionem materialem negotium male cedat.

XL. Hinc in moralibus etiam Melancholicorum paſſio prædominans eſt diffidentia & ſuſpicio, ex qua omnes reliqui mores proveniunt.

XLI. In Phlegmaticis denique ob ſangvinem ſufficienter fluidum, multum vero mucilaginoſum, neque ita cito ut reliquorum ſangvis corruptioni expoſitum, & partes recipientes ſufficienter patulas, vel exiguus & levis humorum impulſus ſufficit pro inducenda hac proportione vitali.

XLII. Unde Natura in vitalibus non adſveſcit viribus multum applicandis, cum exiguæ vires ſucceſſibus vitalibus ſatisfaciant.

XLIII. Imo cum tam repentinum malum non facile metuendum ſit: unde in vitalibus motus negligenter, otioſe, incurioſe, & ſegniter adminiſtrantur.

XLIV. Hinc in moralibus paſſio prædominans eſt Negligentia, ex qua reliqui mores tanquam e Matrice oriuntur.

XLV. Sicuti talis eſt conſpectus Temperamentorum ſimplicium, ita hæc cognitio ad individua erit applicanda.

XLVI. Rariſſimum vero quiddam eſt, quod homines unico tantum Temperamento gaudeant, uti rariſſimum etiam eſt, quod tribus Temperamentis præditi ſint.

XLVII. Communiter & uſitatiſſime homines duplicato inſtructi ſunt Temperamento.

XLVIII. Et tale eſt Temperamentum mixtum, quod a potiori denominari debet.

XLIX. Hæc mixtio tam in corpore, quam in proportione Motuum vitalium, ut & in moribus ſeſe exſerit.

L. Secundum diversitatem Temperamentorum, dantur etiam diversi Morbi, qui certis Temperamentis familiares sunt, utpote quæ singulæ considerationes, ad comprehendendam Theoriam de Temperamentis spectant.

LI. Quicunque itaque ex certo & solido quodam fundamento de Temperamentis disserere volunt, hos respectus & physicos & medicos nosse debent, sic reliqua observatio & experientia in hoc negotio erit firmior.

LII. Imo qui hæc fundamenta recte intelligunt, vel ex solo hominum aspectu mores cognoscere, indicare, quia simulationes a naturali & ordinario statu exacte discernere possunt.

LIII. Et in talibus Theorematibus & animadversionibus necessariis comprehensa est Antropologia, prout est vel physica vel medica.

LIV. Hanc qui possidet & recte applicare scit, gaudet felici & secura Cynosura, pro reliqua arte medica.

LV. Ex quibus fundamentis & disquisitionibus innotescit Medico, ratio & forma Vitæ & Sanitatis.

LVI. Utpote quæ considerationes in Medicina sunt initium &

FINIS.

PATHOLOGIA MEDICA.

PATHOLOGIA
MEDICA.

CONSPECTUS AFFECTUUM IN PATHOLOGIA MEDICA PERTRACTATORUM.

FUNDAMENTA PATHOLOGIAE.

1. De Plethora.
2. Spisſitudine Sangvinis.
3. Cacochymia.
4. Hæmorrhagiis in Genere.
5. Hæmorrhagia Narium.
6. Sputo Cruento.
7. Hæmoptyſi.
8. Vomitu Cruento.
9. Menſium Fluxu legitimo.
10. Iminutione.
11. Suppreſſione.
12. Anomaliis.
13. Decoloratione.
14. Fluxu exceſſivo.
15. Inſolitis Viis.
16. Hæmorrhoidibus Internis.
17. Externis.
18. Cæcis.
19. Hæmorrhoidum Anomaliis.
20. Mictu Cruento.
21. De Sudore Sangvineo.
22. Gingivarum Cruentatione.
23. Lochiorum Fluxu.
24. Hæmorrhagiis Abortuum.
25. Hæmorrhagia Uteri.
26. Varicibus turgentibus & manantibus.
27. Congeſtionibus Sangvinis in genere.
28. Cephalalgia Sangvinea.
29. Seroſa.
30. Iliaco-Hæmatitica.
31. Apoplectodea.
32. Venerea.
33. Stomachali.
34. Cephalæa.
35. Hemicrania.
36. Ophthalmia.
37. Hypopio.
38. Epiphora.
39. Cataracta.
40. Otalgia.
41. Aurium Tinnitu.
42. Suſurru.

43. De Auditus gravitate.
44. Surditate.
45. Odontalgia.
46. Phrenitide.
47. Paraphrenitide.
48. Caro.
49. Comate.
50. Lethargo.
51. Vertigine.
52. Coryza.
53. Gravedine.
54. Brancho.
55. Phlegmatorrhagia.
56. Achoribus.
57. Cruſta Lactea.
58. Tinea.
59. Phthiriaſi.
60. Parotidibus.
61. Hydrocephalo.
62. Tonſillarum Affectib9.
63. Tumoribus Bubonodeis puerorum.
64. Tumoribus aliis glan-
65. duloſis colli.
66. Aphthis Benignis.
Malignis.
67. Uvulæ Prolapſione.
68. Angina.
69. Prunella.
70. Cynanche.
71. Cardialgia.
72. Phthiſi.
73. Vomica Pulmonum.
74. Tophis Pulmonum.
75. De Pulmonum concretione cum Pleura.
76. Polypo Cordis.
77. Palpitatione Cordis.
78. Rheumatismo.
79 Pleuritidie Vera.
80. Empyemate.
81. Peripneumonia.
82. Aſthmate Humoroſo.
83. Sicco.
84. Spaſtico.
85. Tuſi Humida.
86. Sicca.
87. Ferina & Rheumatica.
88. Hypochondriaca.
89. Stomachali.
90. Hydrope pectoris.
91. Hypochondriaco-Hyſterico Malo.
92. Splenetico Malo.
93. Fluxu Hepatico.
94. Scirrho Hepatis.
95. Lienis.
96. Colica Hæmorrhoidali.
97. Inflammatione.
98. Furunculo.
99. Eryſipelate.
100. Phlegmone.
101. Gangræna.
102. Sphacelo.
103. Ulceratione.
104. Spasmo.
105. Pleuritide notha.

106. De

106. De Arthritide.
107. Ischiadico malo.
108. Podagra.
109. Gonagra.
110. Chiragra.
111. Glossagra.
112. Nephritide Simplici.
113. Calculo Renum.
114. Vesicæ.
115. Morbis Convulsivis.
116. Tetano.
117. Emprosthotono.
118. Opisthotono.
119. Incubo.
120. Succubo.
121. Spasmo Cynico.
122. Catalepsi.
123. Catocho.
124. Risu Sardonio.
125. Satyriasi.
126. Priapismo.
127. Chorea Sti Viti.
128. Epilepsia.
129. Vomitu.
130. Soda.
131. Ructibus.
132. Singultu.
133. Colica simplici.
134. Flatulentia.
135. Ileo Morbo.
136. Cholera.
137. Biliosis infantum dejectionibus.
138. Diarrhœa.
139. De Dysenteria.
140. Lienteria.
141. Ictero.
142. Vermibus.
143. Cachexia.
144. Hydrope Ascite.
145. Anasarca.
146. Leucophlegmatia.
147. Tympanitide.
148. Oedemate.
149. Sclerosi.
150. Hydatidibus.
151. Catarrhis.
152. Atrophia.
153. Rachitide.
154. Chlorosi.
155. Scabie.
156. Lepra.
157. Elephantiasi.
158. Diabete.
159. Urinæ Imminutione.
160. Suppressione.
161. Incontinentia.
162. Ischuria.
163. Dysuria.
164. Stranguria.
165. Gonorrhœa virulenta.
166. Benigna.
167. Fluore albo Benigno.
168. Lue venerea.
169. Scorbuto.
170. Febre in genere.
171. Ephemera.
172. Synocha simplici.

173. De

173. De Febre Synocha putrida.
174. Acuta continua.
175. Ardente Biliosa.
176. Causo.
177. Inflammatoria.
178. Catarrhali Benigna.
179. Tertiana.
180. Quartana.
181. Intermittente composita.
182. Hectica.
183. Lenta.
184. Maligna in genere.
185. Pestilentiali.
186. Petechiali.
187. Petechizante.
188. Variolis.
189. Morbillis.
190. Epidemica.
191. Hungarica.
192. Purpura.
193. Purpura Urticata.
194. Scarlatina.
195. Lipyrica Typhode, Assode, Lyngode & Phricode.
196. Symptomatica.
197. Puerperarum.
198. De Febre Infantum.
199. Febrilibus commotionibus.
200. Morbis Animi *& quidem* Mania.
201. Melancholia.
202. Hydrophobia.
203. Lycanthropia.
204. Erotomania.
205. Furore uterino.
206. Morosi.
207. Noctambulatione.
208. Nostalgia.
209. Tarantismo.
210. Philtris.
211. Ebrietate.
212. Morbis ex Fascino.
213. Defectivis motuum vitalium vitiis, & quidem
214. Apoplexia.
215. Hemiplexia.
216. Paraplexia.
217. Paralysi.
218. Paresi.
219. Catarrho Suffocativo.
220. Lipothymia & Syncope.
221. Marasmo senili.
222. Morte.

FUN-

FUNDAMENTA PATHOLOGIÆ MEDICÆ.

§. I.



Uando medicus de homine tanquam ſuo ſubjecto diſſerit, duplicem in eodem ſtatum concernit, vel Sanitatis & Vitæ, vel Morborum & Mortis; licet in genere circa hominem vivum verſetur, in quantum ille per ſalutaria conſilia & adminicula in ſtatu limitatæ integritatis aut ſanitatis conſervandus & periclitante hoc ab imminentibus & præſentibus damnis & periculis liberandus eſt.

§. II. Quo imprimis requiritur, ut utriusque ſtatus veram certam & evidentem cognitionem acquirat medicus: omnium maxime vero in ſimplices & perſpicuas cauſas inquirat, harumque prudentem & genuinam applicationem ad uſum realem & vere medicum, id eſt, a nudis perſuaſionibus, opinionibus & ſpeculationibus vacuum, indicet atque commendet.

§. III. Et quemadmodum de homine vivo & ſano præcipuo ſtudio agit Phyſiologia medica, quæ ſimul media, ſubſidia & methodos vivendi atque ſanitate fruendi perpendit: ita de morbis horumque connexionibus & conſecutionibus tractat Pathologia medica, ſub juſto & conſtanti regreſſu ad Phyſiologiam.

§. IV. Eſt proinde primarium fundamentum & requiſitum pathologiæ medicæ, vera & luculenta cognitio ſtatûs vitalitatis & ſanitatis, in quantum hic ſuppeditat certitudinem de modo conſervandi & præſervandi corpus valde corruptibile ab actuali corruptione, de mediis & adjumentis internis & externis ad hunc ſtatum pertinentibus, de cauſis & occaſionibus corruptionem conciliantibus

& ſuſtentantibus, de juſto motuum progreſſu & proportione motuum in genere ad conſervandum corpus, ſeorſim vero de proportione motuum ad partes tam fluidas, quam ſolidas & vice verſa, & de multis adhuc aliis neceſſariis & utilibus conſiderationibus.

§. V. Omnium maxime vero ex Phyſiologia medica uſum perpetuum, conſtantem & eſſentialem capeſſit Pathologia medica, quando in œconomia vitalitatis & ſanitatis obſervat illam therapiam occurrentem, quæ corpus ſubjectum exquiſite ſub diverſis nocivis & periculoſis circumſtantiis præmunit & ſalvat.

Conf. Stahlii Diſp. de Therapia ſani corporis.

§. VI. Sicuti porro natura humana in ordinario ſtatu corruptibilitatem corporis ita coërcet, ne e tali potentia in actum, videlicet in corruptionem, delabatur: ita in pathologia medica deprehenditur, quot extraordinariis methodis natura ſuum corpus defendat & a proximioribus damnis educat, ſub qua conſideratione longe alium & magis rationalem, quam vulgarem conceptum, de morbis acquiret.

§. VII. Unde Pathologia Medica eſt doctrina de morborum indole atque cauſis, medico uſui ſubſervientibus: ſed eo ipſo etiam a vanis & inutilibus diverſis contemplationibus, ſpecioſis magis & otioſis, quam fructuoſis, liberis & repurgatis.

§. VIII. Quare aliam Pathologiam Phyſicam, aliam vero Medicam eſſe aſſero: prior occupatur in læſionibus per ſuas cauſas disquirendis: poſterior vero maxime obſervat & commendat illos reſpectus & illas cauſas, unde obviæ læſiones, ſub ſpontaneis directionibus atque methodis, quas deinde medicus imitari poteſt & debet, reſtituuntur & emendantur.

§. IX. Verſatur vero Phyſica illa Pathologia, plurimum circa materiales reſpectus & motus horumque effectus mere noxios aut fortuitos: unde etiam frivole & per craſſam atque ſpiſſam ignorantiam & contumaciam, tot ſalutares ſpontaneos effectus & eventus magno illi Fati idolo & aſylo, ſive fortuitis & mere accidentalibus ſucceſſibus imputat.

§. X. Negligit vero eo ipſo ſecretam illam & notatu dignam internam activitatem, a corporeis affectionibus penitus alienam: Siquidem machina quædam læſa, ſe ipſam reparare haud poteſt, ni ad nauſeam in decidendo hoc phænomeno per magnam obſcuritatem & ignorantiam Elenchi, aſylum illud vulgare denuo peroretur QUOD DEUS ITA VOLUERIT quo læſa machina corporis humani ſe ipſam reſtituat; licet in eo regulæ phyſicæ & mechanicæ conſtanter diſſonent.

§. XI. Et hic concurſus activus, tam ad læſionum & noxiarum cauſarum perceptionem, quam ad inveniendas & applicandas methodos, læſionibus illis

medendi neceſſarius, in Pathologia phyſica abſolute negligitur, qui tamen innumeris effectibus ita ſe comprobat, ut ſine illo artifex in ſuo officio & miniſterio feliciter cedere haud poſſit.

§. XII. Hoc eſt illud eximiæ dignitatis & principaliſſimæ conſiderationis fundamentum, in Pathologia Medica, quod pro artificioſa applicatione, plus quam ulla alia animadverſio contribuit, & citra quod nulla alia operatio medica ſalutarem effectum impetrat.

§. XIII. Dum vero Pathologia circa morbos maxime verſatur, ob id verus morbi conceptus erit ſuppeditandus: vulgo enim morbus vocatur partis aut corporis humani læſio: Symptoma vero dicitur effectus hujus læſionis, tam doloribus variis, quam accidentalibus pernicioſis concurſibus ſeſe prodens, & hoc nomine ad Symptomata referebantur actiones læſæ & qualitates mutatæ.

§. XIV. Occurrit vulgo in Pathologia non exigua confuſio, inter læſiones actionum paſſivas & activas motuum vitalium alterationes atque mutationes: priores communiter adſcribuntur efficaciæ cauſæ nocivæ: poſteriores vero adminiſtrantur ſub exquiſita proportione ſalutaribus effectibus & ſcopis reſpondente.

§. XV. Videtur vero mihi præcedens morbi definitio abludere a vera forma & indole rei, cum potius paradoxa ſed endoxa illa mihi ſit aſſertio, quod plurimi morbi ſint ille ſtatus extraordinariæ motuum vitalium adminiſtrationis, a natura ſuſceptæ pro ſalvando corpore neceſſariæ: aut ut magis paradoxus compareat ſenſus, morbus plurimum eſt id, per quod homines a morte, id eſt a corruptione, præſervantur & ſalvantur, vel extraordinaria naturæ activitas vitalis, mediante qua, proximiores læſiones ipſa ita proſequitur, quo corpus priſtinæ ſanitati reſtituatur.

§. XVI. Et licet plurimi homines ſub morbis moriantur, tamen diſtinctio illa commendanda erit, quod alia res ſit, in aut ſub morbo mori, & per morbum aut ex morbo mori; plurimi enim non moriuntur ex efficacia morbi, ſed ex accidentibus & minus legitimo morborum decurſu: uti homines non moriuntur indiſcretim ab hæmorrhagiis, ſed a mala applicatione & exceſſu earundem, non moriuntur a febre ſimpliciter, ſed a minus juſto febris ſucceſſu & exitu: ſi enim febris legitime decurrit, homines convaleſcunt.

Conf. Stahlii Diſp. de Febre per ſe non lethifera.
Diſp. mea de Therapia morborum morali §. 2.

§. XVII. Dantur vero etiam morbi juxta vulgarem ſenſum definiendi, qui tamen præ reliquis rariores exiſtunt, ut ſunt corruptiones, obſtructiones, motuum vitalium amiſſiones, ſtaſes, infarctus, indurationes & ſimiles adhuc effectus in corpore animali obvii.

§. XVIII

§. XVIII. Sicuti in ejusmodi, posterioris sensus & census morbi indole plurimum mere physici respectus causales occurrunt, ita ex iisdem non facile aditus patet ad invenienda auxilia physicis illis considerationibus accommodata, adeoque ad connectendam Theoriam cum Therapia.

§. XIX. In genere Medica Pathologia versatur circa phænomena vera, quæ non modo actu occurrunt, aut in vita humana contingere solent, sed quæ etiam plurimum, familiarius & ex parte frequentius se sistunt: cum contra Pathologia Physica magis circa res possibiles, aut quæ fieri possunt, & juxta physicas illas speculationes obtingere deberent, occupetur, quæ tamen, experientia teste, vel vix semel, vel raro eveniunt.

§. XX. Est itaque Pathologia explicatio morborum per suas causas: adeoque præsupponit veram cognitionem morborum quoad suam indolem sive constitutionem, per quam in simplici sua facie comparent & inter se invicem discerni possunt: & hæc notitia vulgo acquiritur per Historiam morborum.

§. XXI. Hæc Historia distinguitur vel in Diagnosin, quæ perpendit circumstantias præteritas & præsentes in subjecto ægrotante, vel in Prognosin, quæ versatur circa futura, nimirum circa successum & expectandum eventum morborum.

§. XXII. Requiritur proinde ad verum pathologicum scopum Historia morborum simplicior, quæ illa signa & phænomena recenset, quæ alicui effectui essentialia sunt, sine quibus esse non potest, & quæ in omni individuo observantur: dantur vero etiam characteres morborum accidentales, qui variant secundum individua, quoad temperamentum, vitæ genus, consvetudines, diætam, Clima, dispositionem hæreditariam, idiosyncrasiam, educationem & sexum.

§. XXIII. Et hæc morborum Historia in studio pathologico omnium primo pernoscenda est, quippe quæ subministrat illa phænomena, in quorum veras causas inquirere debet medicus: confusus enim pathologiam tractandi modus est, si primum longe lateque diversæ causæ declamantur, quibus subjungitur deinde hæc Historia morborum, utpote quæ in hoc oadine admodum manca & imperfecta evadit.

§. XXIV. Recte itaque hæc medicinæ theoreticæ pars vocatur Pathologia & non Logopathia, quoniam deductio causalis excipit præviam morborum cognitionem: Si itaque hæc morborum Historia genuina certa & vera est, longe melior spes de ætiologia & Therapia concipi potest: qui enim male cognoscit morbum, male etiam curat.

§. XXV. Præter hanc morborum notitiam, agit etiam Pathologia de causis morborum, unde est τῶν παθῶν λόγος, id est morborum aut affectuum rationalis & causalis deductio & explicatio: quæ posterior Pathologiæ operatio ætiologiam constituit.

§. XXVI.

§. XXVI. In hac cauſali morborum explicatione requiritur juſtus nexus cauſarum cum Hiſtoria, deinde ut accidentalia & individualia phænomena non præmittantur eſſentialibus; denique ut cauſæ illæ vere medicis reſpectibus quadrent, id eſt, ut artifex non modo in has cauſas operari, ſed & ſub hac applicatione directe & proxime ad reſtituendam ſanitatem cooperari poſſit.

§. XXVII. Maximi vero momenti eſt illa obſervatio in morbis, quando illa cauſa, per quam corpus a variis læſionibus ſponte & ſine artis auxilio liberatur, ratione dignitatis ſuæ aliis cauſis præfertur, utpote in qua animadverſione evidenter eluceſcet, quomodo theoria de natura connectat tam cum pathologia, quam therapia exquiſite medica.

§. XXVIII. In hoc enim phænomeno innoteſcit ſalutaris naturæ energia, qua per extraordinariam motuum vitalium directionem & modificationem, ad ſalutarem effectum & finem contendit, ita tamen ut per conſvetos motus, tam ſangvinis progreſſivum, quam tonicum partium extraordinariis gradibus vel auctos, vel ſeorſim diverſis partibus applicatos eundem finem proſequatur.

§. XXIX. Et hæc notatu digna obſervatio illa eſt, quam veteres medici per naturam morborum medicatricem denotarunt, aut quod multi homines ſine medico, licet non ſine medicina reconvaleſcant; per quam vero vel interni motus, corpus ab interitu præſervantes aut corruptibilitatem conſervantes, vel privativa quædam opitulatio, aut ſimpliciſſimum & ab operoſa arte alieniſſimum adminiculum intelliguntur.

Conf. Stahlii Diſp. de Medicina ſine Medico.
Schediaſ. meum: de Energia Naturæ in curandis morbis.

§. XXX. Loquor de Avtocratia naturæ ſeu ſpontanea morborum excuſſione, quæ nihil aliud eſt quam proportionata plurimarum corporis humani læſionum tam quoad cauſas quam effectus ſuos per motus & effectus vitales, ſine externo artificii concurſu reparatio & reſtitutio.

Conf. Stahlii Diſp. de Avtocratia Naturæ.
Epiſt. mea: de Myſterio Naturæ in medicina.

§. XXXI. Hanc ſpontaneam medicationem adſcribo naturæ, quæ tum proportionum neceſſariarum conſcia, tum motuum vitalium cauſa efficiens eſt, nec non læſiones occurrentes percipit, & quomodo iisdem ſuccurrendum ſit rationabiliter dignoſcit, adeoque facilius corpori læſo proſpicit, quam ut ipſum læſum corpus ſibi auxilium ferre queat debeatque.

Conf. Diſp. mea: de Senſu vitali.

§. XXXII. Perficit natura talem imminentis & præſentis perniciei & læſionis interceptionem & excuſſionem effectibus ſe- & excretoriis, nec non in diverſis caſibus nutritoriis, per quos in ordinario ſtatu corporis integritati proſpicit,

ſpicit, adeoque id agit, cujus gratia corpori indita eſt, ut videlicet illud a domeſticis & adventitiis, ſolitis & inſolitis, ordinariis & extraordinariis periculis liberet.

§. XXXIII. Et hæc eſt vera, abſoluta & ſincera medicina ſine medico, quæ in ordinario & extraordinario ſtatu ſimplici methodo decurrit, niſi a diverſis accidentalibus cauſis impediatur, quando videlicet læſio ita conſtituta eſt, ut cum viribus & inventionibus ſuis natura ſatisfacere non queat, aut quando ipſa natura in legitima methodo aberrat, & alios quam ſimplices ordines ſectatur.

Conf. Diſp. mea: de Amethodia Naturæ.

§. XXXIV. Qua occaſione non modo vulgares naturæ errores notamus, ſed & taxamus: hæc enim in operationibus ſuis non ita perfecta & infallibilis exiſtit, ſed uti in principalioribus ſuis actibus, nimirum moralibus functionibus, multos errores committit, ita in minus principalibus, nimirum vitalibus, non raro a vero ſcopo & legitima methodo ſecundum diverſos reſpectus aberrat, & interdum ſub generali bona intentione, circa ultimam exſequutionem fallit.

Conf. Stahlii Diſp. de Naturæ Erroribus medicis.

§. XXXV. Ejusmodi errores naturæ humanæ committit per motum progreſſivum in fluidis & tonicum in ſolidis partibus, per effectus vero Se- & Excretorios, incongruos & intempeſtivos, inſufficientes & inordinatos, quo quidem adhuc alii referri merentur effectus, ut abſterſorii, præparatorii, reſolutorii, conſolidatorii & ſimiles, qui prioribus tamen ſubjacent, & ab erroneis applicationibus & ſucceſſibus non exempti ſunt.

§. XXXVI. Ad ejusmodi erroneas naturæ actiones diſponunt ipſa animæ humanæ immorigera indoles, nimia ſenſibilitas & æſtimatio, aut hujus defectus, prava conſvetudo, hæreditaria diſpoſitio, idioſyncraſiæ, materiæ & objecti mala temperies, & adverſa valde conſtitutio, viarum mala diſpoſitio, animi pathemata, inſuetudo ægrotandi: unde motus vel exceſſive vel defective, vel inordinate, aut in incongruis partibus, viis & organis adminiſtrantur.

Conf. Stahlii Diſp. de Teneris ægris.

§. XXXVII. Extraordinariæ motuum vitalium directiones & applicationes in morbis, extraordinarias moleſtias poſt ſe trahunt, quæ tamen propterea morbum non abſolute reddunt periculoſum, cum conſecutiones ejusmodi, in nulla re ardua ſontico & periculoſo, ad ſalutarem tamen finem collineante negotio, evitari poſſunt.

§. XXXVIII. Dum vero de morbis horumque cauſis Pathologia Medica differit, notandum eſt, quod diverſæ genericæ cauſæ ad morbos tales diſponant, ex quibus quædam ſunt internæ & domeſticæ, aliæ vero externæ & acceſſoriæ, ad quas poſteriores, cauſæ violentæ referri merentur.

§. XXXIX.

§. XXXIX. Internæ cauſæ ſunt, mixtio corporis animalis valde fragilis, infirma & ad putredinem extreme proclivis, quæ mixtio inprimis in fluidis partibus ſimplicior deprehenditur: in ſolidis vero occurrit textura flexilis, mollis & mobilis, quæ ſimul motibus deſtructoriis facile obtemperat: accedunt frequentia animi pathemata, exeretionum ordinariarum & ſolitarum impedimenta & irregulares ſucceſſus, pravæ conſvetudines, ſenſibilitates individuales, & ſomni atque vigiliarum, motus & quietis perverſi uſus.

§. XL. Et quanquam ex bona humorum craſi diverſa ſubjecta, ad externum adſpectum florida, viva & ſana compareant, & quoad ſanitatem præ aliis prærogativam tenere videantur, tamen merito attendenda eſt illa circumſtantia, quod talia ſubjecta facile in diverſas ægritudines inclinent; unde Hippocrates athleticum habitum adeo ſuſpectum depingit, quod videlicet tam diuturna ſanitate haud fruatur.

§. XLI. Inde innotuit illa obſervatio, quod homines ad aſpectum optime ſani, facilius ægrotent, cum contra alii, quibus tam vegetus & floridus externus habitus non eſt, durabiliori ſanitate gaudeant.

§. XLII. Huc refero illam circumſtantiam, quæ innumeris exemplis comprobata eſt, videlicet conſvetudinis & inſvetudinis ægrotandi; ubi homines morbis non adſveti, quando ſemel ſonticum morbum incidunt, vel diu cum eodem conflictant, neque ita prompte reſtituuntur, vel citius in eodem ſuccumbunt, teſtimonio ſangvinei temperamenti hominum: unde jam plebs ſcit, quid ſentire debeat de illis, qui nunquam ægrotarunt: contra vero viciſſim experientia atteſtatur, quam ſæpe homines morbis adſveſiant, ut indies inveniant, de quo conquerantur.

§. XLIII. Occurrunt etiam externæ cauſæ ad morbos invitantes, ut indiſpoſitio, inclementia & inconſueta intemperies aëris, malum regimen circa frigus & calorem, exceſſus & anomaliæ circa cibum & potum, variæ violentiæ diverſimode corpus lædentes, quamquam in hisce cauſis harumque efficacia in corpus animale multum debeatur ſenſibilitati individuali majori vel minori.

§. XLIV. Deinde occurrunt etiam certa ſubjecta, quæ plus vel minus morbis obnoxia deprehenduntur: & licet omnes homines in morbos propendeant & juxta dicterium Hippocratis, a natura morbus ſint, ſi materialem eorundem conſtitutionem perquiramus, tamen unus præ altero majorem hanc propenſionem in ægrotationes diverſis circumſtantiis comprobat.

§. XLV. Facilius & frequentius in genere ægrotant omnes illi homines, qui tenerioris, mollioris & ſenſibilioris animi ſunt, qui frequentius in patheticas commotiones incidunt, qui ordinarias ſuas evacuationes negligentius tractant, qui corporis etiam tenerioris exiſtunt, qui quoad activitatem vitalem deficiunt

& langvent, qui vel in infantia vel ſenectute conſtituti ſunt, quo denique ſexum ſequiorem annumero, de quo dixit Hippocrates, quod mulier bis morbum patiatur.

§. XLVI. Qua occaſione adhuc potiori reſpectu anomalicos motuum ſucceſſus obſervo & de iisdem prædico, quod ad morbos facilius diſponant, quam qualiscunque humorum dyſcraſia, quæ vulgo in pathologia triviali peroratur, quam vero longe minorem facio, cum ejusdem non tam præceps & exquiſita ſit efficacia, ac vitioſorum motuum.

§. XLVII. In toto vero corpore maxime ad morbos disponit Sangvis, ſi materiales cauſas perquirimus, qui præ aliis fluidis & ſolidis partibus præceps eſt in putrefactoriam diſſolutionem, unde in vitali œconomia, maxima cura ſangvini applicatur, ne per quascunque alterationes aut ullos effectus, ad putredinem promoveatur.

§. XLVIII. Reliquorum humorum corruptio eſt lenta, in ſalſam acrimoniam tranſiens, & quidem ulceroſa; cum ſangvinis corruptio ſphaceloſa exiſtat: quotiescunque etiam ſphacelus occurrit, toties ex ſangvine ortum trahit, & ex hoc proxime partes ſangviferas & denique reliquas adgreditur, perdit & deſtruit: & huic repentinæ & extremæ corruptioni directe oppoſita eſt vitalis activitas.

§. XLIX. Nihil enim œconomiæ vitali & corpori adeo adverſum, horridum & extremum eſt, quam putredo, quæ, quamprimum partem vivam inficit, mortem abſolute in eandem infert & corruptæ partis nullam reparationem admittit, unde pars ſphacelata ut mortua cito & ſine ulla tergiverſatione removenda eſt.

§. L. Ad præoccupandam talem extremam & putridam corruptionem, utitur natura in extraordinario ſtatu motibus inflammatoriis, ſpasmodicis, febrilibus & molimini bus atque effectibus hæmorrhagicis, ne ſangvis quantitate augeatur & oppletione ſua ſucceſſivam ſtaſin comminetur, neve ſpiſſior reddatur & ſub hac immobilitate, actualibus incarcerationibus aut obſtructionibus ſubjiciatur.

§. LI. Interea provide & attente notandum, quod homines ſub hac ſua ſingulari propenſione ad ægrotandum, tamen in ſuo genere ſpectati, rarius ægrotent, ac quidem propter rationem ſui corporis & multiplices concurrentes cauſas, ad morbos diſponentes, ægrotare poſſent.

Conf. Stahlii Diſp. de Infrequentia morborum perſonali.

§. LII. Et hæc infrequentia ægrotandi non modo inter omnes homines ſimul ſumtos, ſed & in quolibet ſeorſim conſiderato, occurrit, cum tamen omnes homines, & quilibet ſingulatim, indies ægrotare poſſint: quantus vero numerus hominum raro ægrotet, atteſtantur totius orbis terraquei regiones & Aſiæ, Africæ,

ex, Americæ imo & Europæ incolæ homines robuſtiores, indolis durioris & indignioris conditionis.

§. LIII. Quid quod illud ſingulare adhuc in hac circumſtantia annotari debet, quod non modo ejusmodi homines, in genere rarius ægrotent, cum tamen frequentius ægrotare poſſint, ſed & ſi aliquando morbo quodam obruuntur, vel facilius ex eodem emergant, vel ſponte plurimum eundem morbum ſuperent, neque artis miniſterio indigeant, ſed ſub reliqua animi tranquillitate & patientia facilius reconvaleſcant.

§. LIV. Utrumque tam infrequentior ægrotatio, quam facilior reſtitutio, minime corporis aut corporeis qualitatibus imputari poteſt, cum læſæ illæ qualitates, aut maximæ propenſiones in præcipites læſiones, ſuperiori adjumento & directorio indigeant: unde præter divinam clementiam, homines per naturam a morbis non modo præſervantur, ſed & facilius liberantur, ſine qua aliàs non datur reditus in ſanitatem.

§. LV. Majorem prærogativam ad infrequentiorem ægrotationem habent homines ſimpliciori vivendi rationi indulgentes, animum non turbantes, in mobili vitæ genere conſtituti, ſimpliciori diæta utentes, ab omnibus abuſibus ſibi temperantes, violentias quascunque evitantes, a pravis conſvetudinibus vacui & ſolitas ſuas excretiones non turbantes, aut negligentes.

§. LVI. Qui vero in his circumſtantiis errorem commmittunt, illi præ reliquis facilius ægrotant; quo adhuc accenſeo, ſi individua quædam ſalutaribus & conſuetis ſuis ſpontaneis Sangvinis evacuationibus vim aut qualemcunque perturbationem inferunt, inde etiam evenit, ut citius & frequentius morbidis conſecutionibus ſubjiciantur.

§. LVII. Quare fœminæ reſpectivam aliquam prærogativam ad ægrotandum continent, ob mollitiem & ſenſibilitatem animi majorem, ob immorigerum animum, & proclivitatem in patheticas perturbationes, ob faciliores anomalias menſtruæ ſuæ purgationis, ob geſtationem fœtus, puerperium & lactationem, & ob diverſam incontinentiam in animo, victu & amictu.

§. LVIII. Bruta vero adhuc rarius ægrotant, inprimis vero fera præ domeſticis animalibus brutis: ſed deficit etiam brutis illud commodum, per quod a morbis facilius liberari poſſunt, unde ſi ſemel ſonticum morbum incidunt, difficulter ex eodem emergunt, cum homines paulo facilius ſponte morbos ſuperent & convaleſcant.

§. LIX. In comparatione ad bruta homines tamen paulo frequentius ægrotant, inprimis illi, qui a ſimplicitate animi & reliquæ vitæ magis diſcedunt: & quamquam in hoc reſpectu homines ſæpius ægrotent, habent tamen deinde illud adminiculum, ut facilius ſponte morbos ſuperent, cum natura brutorum ad

extraordinarias & insolitas corporis defensiones non adsveta sit, unde etiam extraordinariæ evacuationes in brutis rarissime occurrunt, testimonio sanguineæ spontaneæ excretionis, quæ juxta historiæ naturalis peritos non nisi simiis, interdum etiam canibus & pisci marino, Rajo dicto, familiaris deprehensa fuit.

Conf. Stahlii Disp. de Frequentia morborum in hominibus præ brutis.

§. LX. Utitur vero natura humana tam ad præoccupandos futuros morbos, quam ad impetrandos salutares fines in morbis pro sanitate reparanda, justo Tonici motus directorio, mediante quo progressum sangvinis adjuvat, Se- & Excretiones promovet & auget, absterssiones, resolutiones & discussiones perpetrat adeoque diversis periculis atque imminentibus læsionibus repugnat.

§. LXI. Sicut itaque hujus motus vitalis & administratio & directio ex naturæ energia fluit, ita hac langvente & cessante, effectus vitales non modo imminuuntur, sed denique ipsa mors ingruit, quia vita, motus vitalis & energia vitalis correlata sunt.

Conf. Stahlii Sched. de Motu Tonico vitali. de Æstu maris microcosmici.

§. LXII. Ob id ratio physica reddi non potest, cur homo moriatur, perpetua enim manet vexatio in illa theoria, quando asseritur, si spiritus torpidi fiunt, si calor naturalis imminuitur, si humores fiunt spissi & spirituascentiam suam amittunt, si partes fiunt rigidæ & densæ, si organa enervantur & consumuntur, wie ein alter Braden-Wender &c. homines moriuntur; nam quæstio illa justa moveri potest, cur non per centum & mille aut plures annos spiritus manent vegeti, calor naturalis sufficiens &c. si per quadraginta aut quinquaginta annos hoc contigit.

§. LXIII. Præter legem divinam, alia formalis & fundamentalis moralis sed non naturalis ratio reddi potest, dum ob langvorem principii vitalis motus & effectus vitales successive decrescunt, quod decrementum aut minus exquisitum exercitium denique in culpa est, cur corpus fiat rigidum, cur humores spissi, cur Se- & Excretiones deficiant, cur nutritio corporis cessat.

§. LXIV. Si itaque actus vitalis per ætatem cessans & deficiens aliquid admittit, quod libero humorum progressui, debito negotio Se- & Excretionis, justæ partium permeabilitati & constanti corporis robori præjudicat, ingruit denique vel simul & semel talis occasio ad putredinem disponens, vel per subordinatos progressus & effectus ejusmodi actualis corruptio oritur, quæ tamdiu intercepta & per legitimum actus vitalis successum præoccupata fuit.

§. LXV. Cum porro Pathologia medica circa causas & rationes de morbis reddendas occupetur, intererit omnino præmonere, quæ potiores causæ in morbis observari debeant, ita quidem ut ex earundem vera cognitione ars medi-

ca

ea usum certum capessat: ubi ante omnia necesse erit simplices, veras & evidentes tales causas inquirere.

§. LXVI. Ratione dignitatis antecedit Causa Efficiens, quæ juxta vulgarem pathologiæ tractationem non nisi illa læsio sive in humoribus sive in partibus est, ex qua tot alterationes & sanitatis offensiones efficienter prodeunt: equidem vero communem, frequentem & principalem morborum causam efficientem non aliam nisi naturam agnosco, quæ extraordinaria tali motuum vitalium administratione & directione in genere scopum corporis conservationi prævisum & salutarem prosequitur.

§. LXVII. Quotiescunque vero materia quædam in morbis vera efficiens causa evadit, toties communiter morbi quoad indolem suam essentialiter pernicioſi sunt; v. g. si obstructio, læsio, corruptio, vellicatio, certarum alterationum efficiens causa sit, status morbi absolute præternaturalis est: quo loco vero provide discernendi sunt accidentales effectus & consecutiones in certis morbis occurrentes, ne hi effectus indiscretim naturæ imputentur, quamquam etiam non raro natura finistrorum successuum, sed non nisi per errorem, causa efficiens existit.

§. LXVIII. Deinde etiam annotanda est Causa finalis in morbo, quæ inprimis inculcat motuum vitalium, in morbis alteratorum, respectus ultimos sive collineationes, exitus & eventus, aut naturæ humanæ intentiones & prosecutiones in diversis morbis, diversa methodo sese manifestantes: ex qua consideratione facile eluceseet, an morbi sint absolute præternaturale quid & tumultuarium, an vero adhuc salubritatem corporis concernant & urgeant.

§. LXIX. In Causa materiali non necesse est scrupulosas inquisitiones instituere, cum essentiales materiarum observationes non modo difficiles atque dubiæ sint, sed & ad usum medicum parum contribuant: sufficit nosse, an materia sit peccans, & quam cito perniciosum suum effectum minetur, an quantitate an qualitate peccet, an subtilis sit, an vero crassa, & quibus humoribus atque partibus magis vel minus infensa sit: quæ singulæ disquisitiones ex solida observatione & Historiæ morborum conciliatione abunde fluunt: reliquæ enim docimasiæ de materia ut salina, sulphurea, fixa, volatili, tartarea, vitriolica, ammoniacali, saponaria, muriatica &c. sunt imaginariæ & otiosæ.

§. LXX. Quicquid enim vulgo de genealogia salium in corpore humano disseritur, nullis certis atque constantibus regulis ad medicum imprimis usum quadrantibus subjacet: proinde etiam *Hippocratis textus in veteri medicina*, quo de infinitis saporibus in homine loquitur, bonum interpretem & prudentem lectorem postulat.

§. LXXI. Communis enim Pathologia falsa, etiam falsa est, quæ non modo historiam morborum crassissime confundit aut plane præterit, sed & ordinem

dinem atque dependentiam causarum, imo reliquam rationabilem applicationem graviter impedit, neque in therapia genuinos, certos atque simplices effectus promittit, sed in nuda persuasione & præsuppositione cruda consistit, ad minimum si non ad absolutas antipraxes, tamen ad æquivocas curationes disponit, & morbum e fundamento tollere haud permittit.

Conf. Stahlii Progr. de Pathologia Salsa.
Epistola mea: de Podagra sine Sale.

§. LXXII. Formalis Causa continet veram & propriam indolem alicujus affectus, adeoque causam efficientem cum finali connectit, aut statum morbi simpliciter indicat, an absolute noxius, an sub certis circumstantiis salutaris existat, & in quo utraque conditio proprie consistat, quo cognita hac essentiali & principali morbi constitutione, medica ars eo veriores & certiores inventiones & indicationes formare possit.

§. LXXIII. Causa Antecedens sive προηγούμενη est talis materia aut dispositio, quæ in proxima nocendi aut lædendi potentia constituta, tam diu vero ab ultima sua nocendi efficacia desistit & acquiescit, quam diu ab alia concurrente, exigente & impellente causa eò non adigitur, urgetur & quasi animatur: in tantum & tamdiu etiam morbum antecedit donec ultimum impulsum suscipit.

§. LXXIV. Causa Occasionalis sive procatarctica remotior est, quæ antecedentem causam ita afficit & commovet, ut proxima causa fiat, dum illam antecedentem hujusque indolem lædendi aut potentiam nocendi ita instigat & impellit, quo e potentia sua in actum transeat, & quo quasi e repagulis suis erumpat & noxam inferat.

§. LXXV. Causa Continens, quæ inter medicos diversam confusionem parere videtur, est talis materia sive habitus & conditio, quæ immediatum quendam effectum ad morbum constituendum, dum in corpore continebatur, sive præsens adhuc, sive deinde absens sit, infert: & hoc respectu est vel positiva vel privativa: prior, quando causa illa corpori adhuc inhæret, defectiva sive privativa, quando a corpore quidem remota, directos tamen morbidos effectus post se relinquit: uti *Hipp. Sect. VI. aph. XXXIX.* dicit: quod spasmi fiant aut a repletione aut depletione.

§. LXXVI. In tota vero pathologia sedulo evitandæ sunt causæ vel nimis obscuræ, vel nimis universales quæ ad omnia morborum genera applicari possunt, uti sunt acrimonia sangvinis, irregularis motus sive tumultus spirituum, obstructio vasorum, consensus generis nervosi, cacochymia, Scorbutus &c. de quibus & similibus aliis illud tantum inculco, ne tam frequentes esse supponantur, neve liberaliter ad tot morbos applicentur: Siquidem denique nimis remotæ & longe late-

lateque conquisitæ, aut per multiplices allegorias coloratæ causæ veram Pathologiam, exquisite medicam, magis destituunt, quam promovent.

§. LXXVII. Inter alias fundamentales & solidas pathologiæ medicæ tractationes magni momenti est commendatio & cognitio illius phænomeni, quod primus Hippocrates cum magno studio inculcavit, nimirum quod morbi varient per Ætates, aut quod certis ætatibus certi morbi familiares sint, & quod minime, promiscue & confuse morbi singulos homines invadant.

Conf. Stahlii Disp. de morborum ætatum fundamentis.

§. LXXVIII. Exinde elucescit cognitio & differentia morborum congruorum & incongruorum: priores sunt, qui justis suis ætatibus respondent & conveniunt, adeoque simpliciores, benigniores & tractabiliores existunt: posteriores in hisce qualitatibus deficiunt & sunt magis refractarii atque immorigeri.

§. LXXIX. Ætates quas morbi diversimode invadere solent, sunt Impubertatis, & hæc vel Infantiæ vel Pueritiæ; Pubertatis, & hæc vel Adolescentiæ vel Juventutis; Virilitatis, & hæc vel Robur vel Consistentia; & denique Senectutis, & hæc vel Declinatio vel Defectus: quælibet vero talis ætas circumscripta est certa periodo, aut exquisito termino septenario annorum, a primo septenario usque in nonum progrediente, & diversas hasce ætates distingvente.

§. LXXX. Secundum has ætates differunt multi morbi, quorum quidam in infantia & pueritia caput affligunt, aliqui in initiis pubertatis fauces & collum, in adolescentia vero & juventute pectus invadunt: a juvenili ad virilem ætatem corripiunt morbi hypochondriorum & lumborum: virilem ætatem occupant affectus inferiorum corporis regionum, senectutem denique diversi motuum vitalium defectus afficiunt.

§. LXXXI. Plurimi horum morborum vel activitate & sensibilitate majori vel minori in negotio vitali, vel molesta sangvinis abundantia & connexis motibus hæmorrhagicis, vel molientibus vel erumpentibus, vel diversis horum motuum consectariis atque sinistris successibus & effectibus, vel denique variis occasionalibus causis, motus tales, in discretas illas regiones invitantibus & provocantibus, nituntur.

§. LXXXII. Quo loco peculiaris ille naturæ humanæ actus magis annotandus est, quo motus suos vitales majori quadam activitate secundum diversitatem ætatis in diversas partes & regiones applicat, adeoque a capite incipit & successive magis magisque descendit, & denique per ultimum motuum decrementum & defectum iterum in capite & simul in toto reliquo corpore desinit.

§. LXXXIII. Sicuti itaque morbi per Ætates variant, ita etiam per Temperamenta diserepant, quæ observatio subinde in fundamentali & generica morborum disquisitione attente concilianda est; exinde enim concludere licet tam

ad formalem morborum rationem, quam ad motuum diverſos gradus in variantibus temperamentis occurrentes, & ſimul de ſenſibilitate & viribus ſubjectorum aut morali etiam diſcrepante objectorum æſtimatione teſtimonium perhibentes.

Conf. Stahlii Diſp. de Temperamentis.

§. LXXXIV. Porro noſſe & diſcernere convenit, quid ſint morbi Simplices & Compoſiti aut Complicati, quorum priores & benigniores & tractabiliores ſunt, quoniam in iisdem neque cauſæ lædentes, neque reſpectus finales multiplicati & intricati: poſteriores vero ob multiplicatam indolem, motuum directionem & alterationem, atque finium proſecutionem, pertinaces magis & refractarii ſunt.

Conf. Stahlii Diſp. de Complicatione morborum.

§. LXXXV. Differunt etiam morbi Genuini & Corrupti, ex quibus hi peſſimæ indolis ſunt & arti medicæ multam crucem figunt, in quibus congrui motus Se - & Excretorii aut qualitercunque reparatorii a ſuis gradibus, viis, regionibus, ordinibus, temporis opportunitatibus & convenientibus effectibus atque finibus in longe aliam & alienam faciem converſi, maxime immorigera indole gaudent: genuini vero affectus proximius ad ſuum ſtatum & finem citra aliquam tergiverſationem collineant, adeoque tractabiliores & moderatiores ſunt.

Conf. Stahlii Diſp. de Morbis corruptis.

§. LXXXVI. Magnam etiam attentionem requirunt morbi Habituales & Periodici, quorum priores citra urgentem neceſſitatem vel a materia moleſta & lædente, vel ab effectu læſionis pendentem, frequentius recurrunt & leviſſimas cauſas impulſivas, maxime vero patheticas ſequuntur: poſteriores vero certis atque ſtatis temporum terminis recurrunt, vel anniverſariis vel aliis, in utrisque vera pathologia medica potiorem conſiderationem motuum, quam neſcias qualium materiarum habeat.

Conf. Stahlii Diſp. de Morbis Habitualibus & Periodicis.

§. LXXXVII. Hæreditarii morbi a communibus affectibus admodum diſcreti ſunt, communiter enim ſunt incongrui & prædictos ordines ætatum, temporum & temperamentorum transgrediuntur, ob id etiam ſenſibiliores, acerbiores & immoderatiores exiſtunt: nituntur vero motibus, qui connectuntur cum illa idea propagata ad certum finem in œconomia vitali contendente, adeoque externas occaſiones non expectante, ſed impulſus tales anticipante: horum morborum radix, quia ita intima eſt; propterea ægerrime exſtirpari poteſt: & inveniet omnino artifex in hisce hæreditariis, nec non corruptis & habitualibus morbis occaſionem, quo artis ſuæ ſpecimen edat: de reliquo illud inter artis tyrones circa hos affectus ſymbolum ſit: Manum de Tabula.

Conf. Stahlii Diſp. de Hæreditaria diſpoſitione ad diverſos affectus.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII. Provide porro in Pathologia medica observanda est morborum transformatio, quando certus affectus pristinam suam indolem quasi amittit & novam induit, ubi tamen in therapia nosse convenit, quænam morborum initia, fundamenta & primæ origines atque causæ extiterint, quo necessaria exploratio institui possit, qua ratione & quo ordine atque respectu morbi tales transfigurati sint.

Conf. Stahlii Disp. de Metaschematismo Morborum.

§. LXXXIX. Morbi benigni & maligni non modo in schola medica frequenter allegantur, sed & sollicite discernuntur, licet circa malignitatis accusationem multus abusus occurrat: dicuntur vero simpliciori & veriori sensu maligni, qui non modo cito putredinem minantur, sed & contagiosi sunt, & per multa individua sese extendunt, adeoque uno eodemque tempore in pluribus subjectis periculose sæviunt, cito decurrunt & cum multorum morte excurrunt: secus sunt benigni.

Conf. Stahlii Disp. de Malignitatis præcipue febrilis indole.

§. XC. Servant etiam morbi suas consecutiones, sub certa tamen connexione, quæ sese in illo scopo atque exitu sistit, quo diversæ tales morborum species tendunt: & cum morbi transformati alium specialem successum, effectum, eventum aut finem involvant, quam præcedentis morbi fuerat: ita morbi consequentes sub alio schemate plurimum ad unum eundemque finem collineant: qualis morborum disquisitio & discretio consensus illos morborum in pathologia medica notatu dignos magis illustrabit.

Conf. Stahlii Disp. de Morbis Consequentibus.

§. XCI. Quando vero inter morbos aliquem consensum perquirere & in aliquo specimine sistere placet, certe nulla frequentior, simplicior & evidentior morborum mater reperitur quam sangvinis abundantia sive Plethora, quæ plus quam ulla alia causa ad morbos introducendos & sustentandos contribuit, unde hanc omnibus reliquis præfero: non vero propterea omnium talium morborum semper, absolute & constanter, aut unice hanc plethoram causam esse indico: cum unius rei plures esse possint causæ.

Conf. Disp. mea de Consensu Morborum.

§. XCII. Cum hac plethora cohærent itaque Hæmorrhagiæ, & quidem spontaneæ, nec non motus & molimina hæmorrhagica, ut sunt congestoria & spasmodica, vel concursus motuum inflammatoriorum: uti etiam per febriles commotiones vel sincerus sangvis ad excretionem strenuam adigi, vel dissolvi, in serum converti, & sub sudoris & urinæ forma evacuari potest & solet: quin interdum convulsivis motibus hæc abundantia sangvinis profligatur: transeunt etiam quandoque hi motus hæmorrhagici in exitus & effectus serosos, unde non

raro cum hæmorrhagiarum negotio cohærent affectus seroſi: ſimiliter abundantia ſangvinis ad ſpiſſitudinem humorum & viarum atque partium oppletionem & infarctum contribuit, oritur inde ſucceſſive major ſangvinis dyſcraſia: neque deſtituta eſt hiſtoria practica tam multis exemplis, quæ defectus motuum cum ſangvinis abundantia connectunt; ut propterea magnus morborum numerus in Plethoram radicetur.

Conf. Stahlii Diſp. Sciagraphia Pathologiæ medicæ.

§. XCIII. Cæterum vero ſumma morborum genera conſiſtunt in vitiis quantitatis, qualitatis & motuum, cum quibus conſectaria, ſubordinatos morbos conſtituentia, debite concilianda ſunt; ſicuti etiam interdum e minori malo majus prodit & magni morbi parva initia habent: ubi maxime refert perquirere, quando & ex qua cauſa morbi ſua incrementa ſuſceperunt.

Conf. Stahlii Diſp. de Minori malo medico.

§. XCIV. Cum in œconomia vitali major & principalior cura applicatur ad humorum conſervationem, ita plurimi morbi propter humorum conſervationem & corruptionem oriuntur: ex humoribus vero alteratio redundat in partes ſolidas.

§. XCV. In hac vitali humorum tractatione activitas plurimum verſatur circa juſtum & ſufficientem progreſſum ſangvinis & reliquorum humorum, & circa congruas Se- & Excretiones, cum quibus potioribus operationibus dyſcraſia & depravatio humorum, quoad craſin & conſiſtentiam, evitatur.

§. XCVI. Et quemadmodum diverſæ materiæ communem humorum maſſam conſtituentes in vita hominum vulgari non modo copioſius ingeri, ſed & congeri ſolent, ita neceſſaria maximeque utilis eſt illa activitas, quæ ſuperfluum & propterea moleſtum eliminat & imminuit.

§. XCVII. Singulæ fermè morborum cauſæ hærent in rebus non naturalibus, circa quas homo in tota ſua vita verſatur: inter has vero imprimis notari debent animi pathemata & conſvetudines, ex quibus poſterioribus certo reſpectu hæreditariæ diſpoſitiones, in morbis occurrentes, pendent.

§. XCVIII. Ex omnibus cauſis vitæ & ſanitati maxime infenſa eſt intemperantia, ſive illa ſit in animo ſive in diæta, ſive in regimine; hæc quo plus inter homines invaluit, eo plus homines ægrotare fecit: unde a morbis viciſſim eximie, conſtanter, certo & efficaciter inter adminicula naturalia præſervat temperantia; modo illa libera ſit a ſollicito, ſcrupuloſo & ſpeculativo ſelectu.

Conf. Stahlii Diſp. de Diæta. & Opuſcul. Chym. obſ. de Sollicita Diæta.

§. XCIX. E ſingulis morbis maxime intricati & immorigeri ſunt morbi animi, & qui magis ab animo ſuſtentantur, qui non tam materialibus, quam immate-

materialibus cauſis & motuum vitiis nituntur, facilius enim eſt materias, quàm naturæ motus emendare, quorum origo intimior & ſubtilior exiſtit; motus enim ſimpliciter phyſici facilius arti obtemperant, dum intrinſecus coërceri, extrinſecus vero alterari aut removeri poſſunt: Solus motus corruptionis fermentativus & putrefactorius in internis viſceribus hærens, quia immediato concurſui adminiculorum & artis non patet, reſpuit omnem naturalem opem.

Conf. Stahlii Diſp. de Morbis Animi.
Diſp. mea: de Medicinæ & Doctrinæ moralis Nexu.
Therapia morborum morali.

§. C. Et quemadmodum etiam vulgo morbi quidam ſunt vel acuti vel chronici, ita in quibuslibet plus proficit motuum alterationes, ordines & reſpectus noſſe, quam multum aut ſubtiliter atque curioſe circa materias ſpeculari: in genere quidem acutorum morborum ſucceſſus & motus ſunt præcipites & citius ad ſcopum properant; chronici vero morbi ſunt longinqui, quorum cauſa materialis, antecedens & impulſiva haud præcipitem corruptionem minatur, unde in læſione ſua lentos progreſſus facit, hinc ſucceſſive magis ſubigitur.

§. CI. Neque denique & rationi & experientiæ conſonum eſt, univerſales morborum omnium origines conſtituere & vel ex ventriculo & inteſtino duodeno, vel primis regionibus, neque ex bile aut ſucco pancreatico hos primos morborum ortus arceſſere, in qua opinione ſæpe confunduntur conſectaria cum effectibus & formali alicujus morbi ratione, aut accidentales circumſtantiæ cum eſſentialibus.

§. CII. De reliquo adhuc commendari meretur verus & ingenuus ſenſus non-naturalis, præternaturalis & contranaturalis effectus & contingentis, quippe qui reſpectus non raro in vulgari pathologia inter ſe confundi ſolent: cum facile & indiſcretim morbi pro præternaturali accidenti declamentur, qui tamen utplurimum ad non-naturalium rerum cenſum ſpectant, dum corporis conſervationem, aut durationem, nocumentorum excluſionem & neceſſariorum atque utilium ſubjectorum retentionem in legitimo ſuo decurſu concernunt.

§. CIII. In omnibus morbis Energiam & Synergiam naturæ humanæ noſſe, Cynoſura eſt pro tota rationabili Therapia & juſta motuum atque alterationum diſcretione & æſtimatione: & ſicuti Energia naturæ illa univerſalis activitas eſt, qua ſua ſponte ad expugnandos morbos concurrit & methodos idoneas invenit, ſed & qua artifici indicat, in quo ipſe ex ſuo officio occurrere debeat: ita Synergia naturæ eſt illa cooperans energia, qua oblatis artificioſis auxiliis ſuos motus ad ſalvandum corpus jungit.

Conf. Stahlii Diſp. de Miniſterio artis naturæ ſalutariter ferendo.
Progr. de Synergia Naturæ.
Diſp. mea de Motibus Naturæ cynoſura medici. De Energia naturæ.

§. CIV. Neque denique prætermittenda est obſervatio Temporum morborum, ubi non modo ad illas variationes motuum & effectuum reſpicio, quæ ſecundum ſeptenarias periodos, vel annorum in morbis ætatum, vel dierum in morbis acutis, perpendendæ occurrunt, ſed etiam ad generaliora morborum initia, incrementa, ſtatum, decrementum & exitum, in quibus temporum mutationibus varia phænomena occurrunt, quæ ad Hiſtoriam morborum recte pernoſcendam pertinent.

CV. Et ſecundum hunc ordinem temporis natura functiones ſuas legitime adminiſtrans, quoad materiæ conditionem nihil præmature movet, neque emovet, aut ad peculiares uſus & effectus promovet, niſi primum materia mobilis fuerit: Deinde ratio habenda eſt illius naturæ ordinis, quo certo, congruo & opportuno tempore diverſis circumſtantiis in corpore ſuperuenit, ne noxa inde inopinata oriatur: Sicuti naturæ non uſitatum eſt, corruptionem putridam demum expectare, & tunc ſerius eidem reſiſtere, ſed tempeſtive eandem præoccupare.

§. CVI. Porro illa etiam temporis ratio annotanda eſt, qua natura cauſis citius noxam inferentibus, cito repugnat, tardius vero nocentibus, non tam ſubitaneis & ſimultaneis operationibus ſupervenit. Uti etiam illa exquiſita ratio temporis eſt, quando natura juſtis & ſtatis periodis certos motus vel perfecte excretorios vel eluctatorios adminiſtrat & repetit, teſtimonio Hæmorrhagiarum, Spasmorum, Diarrhœarum, Sudorum, Effloreſcentiarum in facie &c.

§. CVII. Et hac ipſa ratione temporis & opportunitatis naturæ ſibi relictæ & nihil turbatæ, uſitata, nititur aurea illa cura per expectationem, quæ omnes præcipitantias, temeritates & negligentias toto ſtudio averſatur & præoccupat.

§. CVIII. Generalis temporis ratio in morbis diſtingvit ipſos morbos in chronicos & acutos, quorum illi ſegniorem noxam concernunt, hi vero celerioribus nocumentis expugnandis a natura, agili energia utente, opponuntur, quo pericula aut læſiones & hisce reſiſtens activitas vitalis rite congruant.

SECTIO

SECTIO PRIMA
DE
GENERALIORIBUS MORBORUM CAUSIS.

CAPUT I.
DE PLETHORA.

§. I.

INter generales & ad plurimos morbos contribuentes causas, principalis est Sangvinis abundantia, sive superflua & inutilis, quin magis molesta & futuris damnis favens, copia.

§. II. Hæc veteribus medicis Plethoræ nomine innotuit, cum plenitudinem aliquam in corpore constituat, quæ sine ullo præjudicio imminui potest: unde etiam ab eadem diversos sonticos effectus & singulares humorum & partium alterationes derivarunt & prædicarunt: uti Liber in Hippocrate de sanitate tuenda §. 3. differit: Sangvis cum abundat valetudinem vitiat.

Conf. Stahlii Disp. de Venæ Sectionis Patrocinio. cap. de Plethora.

§. III. Proprie indicat plethora talem sangvinis multitudinem, quæ ad præsentem vitam & sanitatem inutilis est, quia superflua est, quoniam cum minori sangvinis copia non modo in genere, sed & eò facilius vita & sanitas impetrari potest: ubi minime sermo est de sangvine pravo & corrupto, sed de tali cujus crasis & consistentia integra est: Si enim dyscrasia & crassities huic plethoræ supervenit, tunc constituit statum admodum qualificatum & complicatum.

§. IV. Existentiam enim plethoræ, quamquam Helmontius cum suis asseclis, ex rhetoricis magis quam realibus & medicis rationibus inductus, negaverit, ob multiplices solidas rationes non impugno, quam subinde veteres ex solidis illis & infallibilibus documentis externi conspectus & Euphoriæ ex missione sangvinis provenientis, affirmarunt.

§. V. Et hæc causa per totam ferme ætatem humanam sese extendit, ita ut ex infantia usque in senectutem plethora occurset: maxime vero eadem occurrit in hominibus vegetis, junioribus, diætæ plenæ & minus mobili atque laborioso vitæ generi deditis: utpote quæ palmariæ conditiones & rationes sunt, quæ ad plethoram disponunt.

§. VI.

§. VI. Non enim ex nudo aſpectu turgido & florido plethora agnoſcenda eſt, ſiquidem homines in habitu corporis extenuati, & quaſi tabidi, ubertatem ſangvinis interdum poſſidere ſolent, unde in experientia medica phthiſici & hectici patientes, qui ſimul plethorici ſunt, occurrunt: & talis occulta quaſi ſangvinis abundantia hæret in vaſis ſangviferis, imprimis venoſis, quæ propterea turgida & inflata valde conſpiciuntur, & in quibus oppletio illa obtingit, quæ aliàs in habitu corporis obvenire ſolet.

§. VII. Unde alia plethora eſt ad Habitum quæ in carnoſis, poroſis aut muſculoſis partibus & hominibus obſervatur, alia vero eſt ad Vaſa, quæ in defectu ſpongioſioris hujus habitus occurrit, adeoque in ſubjectis ſtrictioribus & ſiccioribus, quæ de melancholico imprimis temperamento participant, deprehenditur.

§. VIII. Quamquam vero hæc ſangvinis abundantia mater multorum morborum eſt, tamen non indiſcretim ipſo effectu morbida exiſtit, ſed in multis ſubjectis præcipue tranquille & temperanter viventibus, vegeta ſanitate fruentibus conſpicitur: in quibus tamen etiam illa antecedens cauſa eſt, quæ per immorigerum animum & diætæ atque regiminis vitia commota & impulſa proxime ad diverſas ægrotationes diſponit, licet diu antea quieta fuerit.

§. IX. Juxta hanc conſiderationem innotuit modo illa differentia inter plethoram quoad Vaſa & quoad Vires: per priorem intelligunt, quando ſangvinis abundantia ſeſe cum orgaſtica quadam inturgeſcentia & oppletione in vaſis ſangviferis manifeſtat: per poſteriorem vero, quando ſimul reliquæ vires in toto corpore ab hoc ſuperfluo ſangvine onerantur, aggravantur & debilitantur: quam ſententiam illi vero acriter impugnant, qui ſangvinem ex eloquentia Helmontiana theſaurum vitæ appellare malunt, & inde judicant, quod bonum non poſſit abundare.

§. X. Similis valoris eſt differentia inter plethoram ad Juſtitiam, quam vires hominum adhuc tolerare & tractare poſſunt, & ad Pondus, quæ onere ſuo moleſta eſt & vires enervat: ita medicis plethora urgens & turgens illa ſangvinis abundantia eſt, quæ abſoluta imminutione indiget: quod vero differentiam inter plethoram veram & apparentem attinet, illa in pathologia ſuperflua & inutilis videtur.

§. XI. Simplex & pura porro vocatur plethora, quæ in nuda ſangvinis boni ubertate conſiſtit: Spuria vero aut complicata & mixta dicitur, quando præter quantitatis vitium, etiam qualitatis vitio ſangvis laborat, & quando ſpiſſitudo aut cacochymia cum reliqua abundantia conjuncta eſt.

§. XII. In quibusdam ſubjectis occurrit conſvetudo circa generandam & ſuſtentandam plethoram, ſiquidem negotium Sangvificationis in aliquibus citius, effi-

efficacius & promtius succedit, quam in aliis, de quibus vulgus dicit: es werde alles bey solchen Leuten zu Blut.

§. XIII. In subjectis strictioris habitus & capaciorum vasorum, hæc sangvinis abundantia facilius ad morbos conciliandos quadrat, quam in reliquis: unde Sangvinei temperamenti homines plethoram suam commodius ferunt, quam Melancholici.

§. XIV. Plethorici vel turgidum & sangvine oppletum corporis habitum præ se ferunt, vel vasa habent admodum inflata: proinde facile delassantur, neque multo robore pollent, citius incalescunt, aut in vasis sangviferis molestam sangvinis spumescentiam percipiunt; promtius sudant & oppletivo atque angustante sensu in superficie corporis laborant: paululum profunde & anxie inspirant, imprimis si loca sublimiora ascendunt; quando caput declinant versus terram, iterumque erigunt, vertiginosas perturbationes experiuntur, sicut de reliquo facilius similes temulentas & vertiginosas capitis molestias suscipiunt.

§. XV. Cæterum plethorici otia amant & labores operosiores aversantur: pulsum habent magnum, plenum & moderatum; bene appetunt, ingerunt, digerunt & egerunt, somno constanti & profundo gaudent: sed sub somno interdum molestius æstuant, nec non frequentius insomnia experiuntur & post paulo intensiorem corporis commotionem contusoriam illam corporis debilitatem altero die persentiscunt.

§. XVI. Disponuntur vero plethorici, concurrentibus commotionibus immoderatis animi & corporis, ad turgefactorias sangvinis commotiones, aut suspectos infarctus & oppletorios effectus, nec non ad Hæmorrhagias, Congestorias commotiones, Spasmos, Inflammationes & similes alios in excessum pronos motus turgefactorios & eluctatorios.

§. XVII. Ex abundantia sangvinis oritur etiam humorum Spissitudo & vitium crasseos in humoribus, siquidem affectus diversos serosos, hydropicos, cachecticos, œdematosos, catarrhales, imo etiam ulcerosos ex eadem ortum traxisse, experientia testatur: ex quo satis evidenter demonstrari potest, quod plurimorum morborum mater sit plethora, & quod nulla causa frequentior in morbis observetur, quam eadem sangvinis superflua quantitas.

§. XVIII. Et hæc sangvinis superflua copia quoad pondus suum per ordinarios motus vitales tractanda constanter adgravat vires naturæ, quæ propterea sub alio, voluntario nimirum, vel paululum intensius suscepto motu facilius defatigatur, ob id otia magis, quam labores desiderant plethorici, siquidem vires illorum per commotiones voluntarias corporis, eò magis consumuntur & depauperantur.

§. XIX. Inde contingit, ut viribus frequenter exhausta & multum delassata natura, reliquis ordinariis functionibus tam vegete & sufficienter propellendo

ſangvinem, quam congrue depurando eundem & Se - atque Excretiones administrando & continuando haud ſatisfacere queat, adeoque varia & craſeos & conſiſtentiæ in humoribus vitia oriantur.

§. XX. Sangvis ſuperfluus impedit porro ſufficientem & liberum humorum tranſitum & circuitum per totum corpus, diſtendit partes fibroſas, cribroſas aliasque, impedit tonum, relaxat partes hac continuante diſtenſione: unde ſub paulo majori motus voluntarii exercitio partes ob copioſum & turgefacientem ſangvinis tranſitum contuſoria illa defatigatione affliguntur, donec ſucceſſive priſtinus toni vigor in antiquum ſuum gradum redeat.

§. XXI. Et ſi paululum motus corporis localis intenditur atque augetur, tunc ſangvis copioſius ſuperficiem corporis intrans, anguſtatorias oppletiones, exæſtuationes majores, & faciliores atque diffuſiores ſudationes cauſatur, quo etiam externæ incaleſcentiæ contribuunt, quas moleſtius perferunt plethorici.

§. XXII. Ob copioſum ſangvinis ingreſſum intra pulmones & caput, undecunque provocatum, partim anheloſæ & laborioſæ reſpirationes, partim impediti & undulatorii recurſus ſangvinis, vertiginoſas aut temulentas perturbationes cauſantes, oriuntur, quæ plethoricis familiares ſunt.

§. XXIII. Quæcunque aliquo modo ſangvinis inteſtinam commotionem augent, ut ſunt ſpirituoſa, vinoſa & ſimilia, illa plethoricis multos æſtus, inturgeſcentias ſangvinis & incommoda alia parturiunt, quod etiam imprimis valet de narcoticis ſubſtantiis, quæ non modo hoc effectu operantur, ſed & neceſſarias vires & alacritatem movendi & operandi valde obſtupefaciunt & imminuunt.

§. XXIV. Quicquid ad moleſtum ſangvinis pondus ſive abundantiam commovendam & impellendam contribuit, illud ad motus & effectus hæmorrhagicos, & quicquid ad hæc moliminia diſponit, confert, unde commota plethora proximius ad provocandos morbos ſatisfacit, cum quietius & tranquillius tractata, per conſvetas vires commodius toleretur, quia per alia motuum augmenta, aut alios gradus non exagitatur.

§. XXV. Et cum ex plethora tam ſpiſſitudo ſangvinis, quam cacochymia ortum trahere poteſt & ſolet, ita hæc ſpecialior cauſa morborum eſt, præprimis cum præter reliquas animadverſiones & obſervationes medico - practicas eadem ſuperflua ſangvinis copia, diverſos alios morbos, ut moleſtum ſymptoma, augeat & exacerbet.

CAPUT II.

CAPUT II.

DE

SPISSITUDINE SANGVINIS.

§. I.

AD generales, principales & in communi vita frequentes causas pertinet etiam crassities, seu simplicior spissitudo sangvinis, quam hoc ordine adhuc ab alia dyscrasia liberam, considero, sed simul etiam ab aliis specificis sangvinis spissitudinibus discretam, propterea que præ hisce familiariorem perpendo, quæ proinde facilius, quam alia species crassitiei, acquiri potest.

§. II. Ita enim in Scorbuto sangvis etiam spissus est, hæc vero spissitudo magis lentescens existit: in affectu venereo similiter sangvinis spissitudo observatur, quæ vero inæqualis est: in morbis malignis perinde crassities sangvinis deprehenditur, sed communiter grumosa & per interfluentem mobiliorem sangvinem distincta.

§. III. Simplex vero hæc Spissitudo illa est, in quam communiter sangvis delabitur, si vel segnius movetur, vel refrigeratur, vel motu progressivo penitus destituitur: & hæc est illa coagulatio, sub qua humores sibi invicem firmius cohærent, ita, ut fluida aquoso-serosa portio haud facile aut cito secedat, sed in coalescente illa consistentia hæreat: indeque talis spissior sangvis immobilior magisque nigricans est.

§. IV. In œconomia vitali & sanitatis statu convenit, quo sangvis mobilis & fluidus proptereaque sufficienter humidus sit, ut facilius motui progressivo obtemperet, partes porosas & cribrosas promtius penetret, ipsa organa efficacius eluat, impuritates ex diversis partibus educat & resorbeat, quin denique in apta organa Se- & Excretoria intimius & constantius transferat.

Conf. Stahlii Disp. de Proportione humorum ad motus.

§. V. Et dum sangvis secundum materialem suam constitutionem sibi relictus facillime in talem spissitudinem delabitur, ita in negotio vitali constans ille progressus impedit, quo minus ille coalescat, sed in necessaria sua mobilitate persistat, siquidem maximam suam fluiditatem sub transpressione intra partes fibrosas & filamentosas nanciscitur; quo tardius itaque, negligentius & debilius hæc transpressio contingit, eo certius in spissitudinem hanc delabitur sangvis.

§. VI. Ad hanc sangvinis spissitudinem acquirendam contribuunt variæ causæ, quarum potiores sunt, defectiva sangvinis humectatio, & negligentior motus, parcior potus & otiosa sedentaria vita: deinde huc quadrat spissior diæta, multus subacidorum usus, frequens interna & externa refrigeratio, copiosa & fre-

quens humiditatis aquosæ excretio, & imprimis animæ perturbationes, ut mœror, cura, ærumnæ, sollicitudo, anxietas: ut præternaturalium plane & insolitarum causarum, ut venenorum, philtrorum &c. nullam hoc loco mentionem injiciam.

§. VII. Communiter spissiorem sangvinem habent melancholici, non tamen ita spissum, quin adhuc spissior reddi queat; neque propterea reliquorum temperamentorum homines eo usque exempti sunt, quin similiter sangvinis crassitiem experiri possint: siquidem in ordinario vivendi statu, tempore æstivo & floridior & fluidior esse solet sangvis: quæ observatio jam chirurgis & tonsoribus nota est.

§. VIII. Sangvinis spissitudine laborantes, variis incommodis & pathematibus subjiciuntur: præcipue vero molestæ corporis gravitati ponderosæ & membrorum lassitudini, angustationibus præcordialibus, hypochondriorum & lumborum gravativis sensationibus, cordis palpitationi, variis inflationibus & stagnationibus in abdomine, caloris naturalis inminutioni, capitis temulentis & gravativis molestiis, alvi siccitati, urinæ paucitati, impeditiori sudationi, quid quod diversis sensationibus pressoriis distensoriis, nec non viscerum infarctibus, indurationibus, diversis maculis superficialibus, latioribus, flavescentibus & livescentibus, anxiis & terrificis insomniis, quæ vulgus jam adscribere scit sangvini spisso, es komme von schwehren Geblüte her &c.

§. IX. Et talis spissitudo sangvinis ad multiplices morbos contribuit, imprimis vero ad illos, qui impedito sangvinis progressu & Se - atque Excretionum defectibus nituntur: omnium maxime vero hæc crassities sangvinis afficit in subjectis paululum adultioribus regionem hypochondriorum & abdominis, aut viscera cum Vena Portæ connexa: in fœminis gravissima & atrociſſima hysterica pathemata, in masculis hypochondriaca ex eadem spissitudine oriuntur.

§. X. Junioribus & in vegeta ætate constitutis, adhuc activis & agilibus subjectis hæc crassities non facile obtingit: nationibus in septentrionem vergentibus familiarior est, una cum illis morbis, qui hac sangvinis spissitudine nituntur & ex dieta usitata atque crassa sustentantur, quales sunt affectus scorbutici; propterea vero non indiscretim hæc qualitas sangvinis vitiata cum scorbutico illo malo confundenda est.

§. XI. Spissus sangvis tam per partes porosas quam per vasa venosa, imprimis capillaria, difficillime progreditur: admiratione tamen dignum est illud phænomenon, quod nihilominus actuales obstructiones & stases sangvinis rarius occurrant, quam quidem physice obtingere queant, imo etiam debeant: ob impeditum vero illum progressum & tardum atque difficilem transitum per partes plurima prædictarum molestiarum incommoda oriuntur.

Conf. Stahlii Disp. de Obstructione Vasorum sangviferorum.

§. XII.

§. XII. Sed cum corruptionem putridam & extremam maxime avertat sufficiens sangvinis mobilitas & Se- atque Excretionum succeſſus, ita nihil facilius perniciem illam introducere ſolet & poteſt, quam ſpiſſitudo, quæ quoslibet vitales motus & effectus offendit, retardat imo denique ſufflaminat.

§. XIII. Semel præſente ſangvinis ſpiſſitudine, ſucceſſive non modo eo magis eadem increbeſcit, ſed & alia craſeos vitia poſt ſe trahit, ni tempeſtive congrua & efficacia auxilia adhibeantur: difficile vero eſt, per communia reſolventia & attenuantia pharmacevtica ſpiſſum ſangvinem fluidiorem reddere.

§. XIV. Quam diu ſangvis ſpiſſior eſt, tam diu etiam omnes excretiones ægrius ſuccedunt, tam mucidæ & ſeroſæ, quam ſangvineæ ſpontaneæ: unde fœminæ menſtruas ſuas purgationes cum maximis moleſtiis experiuntur, nec non libero menſium ſucceſſui impedimenta talia ſtruunt, quam primum qualitercunque efficiunt, quo craſſiorem ſangvinem nanciſcantur.

§. XV. Minime vero negligenda, quin iterato inculcanda eſt illa cauſa, ex attenta obſervatione petita & ſimplici ratione nixa, quod ſuperflua ſangvinis quantitas ad hanc vitiatam qualitatem conſiſtentiæ ſangvinis conciliandam & ſatisfaciat & ſæpe contribuat: unde communiter homines ſangvinis ſpisſitudine laborantes, vel ante hac plethorici fuerunt, vel adhuc plethorici exiſtunt, vel hanc craſſitiem ſangvinis ex imminutis aut ſuppreſſis hæmorrhagiis nacti ſunt.

§. XVI. Non raro hæc Spiſſitudo impulſiva cauſa evadit varii & frequentis augmenti motus tonici, imprimis vero ſpaſmorum, per quos imminens ſuſpecta ſtagnatio aut ſtaſis præoccupatur: licet etiam non raro eadem craſſities variorum affectuum cauſa materialis fiat, per quam infarctus, ſtagnationes, oppletiones, indurationes, & progreſſus reliqui impedimenta formantur & provocantur.

§. XVII. Cum ſub ejusmodi immobiliori ſangvinis conſiſtentia motus tam inteſtinus quam progreſſivus valde oppreſſus eſt, ita & calor & color & æqualis diſtributio ſangvinis valde langvent, nec non impuritatum abſterſiones inſufficienter procedunt, & in ſuperficialibus tenerioribus partibus accurrente aura liberiori & frigidiori diverſæ ſtagnationes, quin actuales ſtaſes contingunt, quæ ob tranſpirationem humiditatis aquoſæ in ſphaceloſam corruptionem non degenerant.

§. XVIII. Talis ſpiſſitudo ſangvinis diſponit ſubinde ad diuturnas mentis perturbationes & alienationes anxias, timidas, ſollicitas, ita dictas melancholias, quæ cum accremento hujus ſpiſſitudinis accreſcunt, & decremento ejusdem decreſcunt.

§. XIX. Connata ſangvinis ſpiſſitudo emendari non poteſt, ſiquidem me-

lancholicus homo in ſangvineum aut cholericum converti haud poteſt: facilius enim fluidum quid inſpiſſari, quam ſpiſſum fluidificari poteſt.

§. XX. Omnium maxime vero hæc ſangvinis craſſities energiam vitalem, ſive ita dictas vires, in vitalibus negotiis exercendas, admodum aggravat, unde ob diuturnam talem moleſtiam motus vitales in certis regionibus & partibus interdum plane amittuntur, quod vero tam prompte & tam cito contingere haud ſolet.

CAPUT III.

DE

CACOCHYMIA.

§. I.

Sicuti in præcedente capite de vitiata conſiſtentia ſangvinis actum fuit, ita hoc loco de vitioſa craſi ſangvinis dicere lubet, ita tamen ut ſpeculationes, quæ in hac tractatione vulgo florent, ſollicite evitem, & quod ex ſolida & fida experientia fluit, indicem.

§. II. Hæc dyſcraſia, quæ Cacochymia vocatur, valde frequenter in ætiologia medica accuſatur, unde provide ab abuſiva illius declamatione abſtinendum eſt, ſiquidem facile ad univerſales morborum cauſas ita refertur, ut, ubi intricatus, complicatus aut corruptus morbus occurrit, mox hæc aut ſimilis notæ cauſa commemoretur & culpetur.

§. III. Dicitur vero Cacochymia, quando legitima ſangvinis mixtio cum variis impuritatibus ſalinis, bilioſis, aceſcentibus, vel ſpiſſioribus vel ſubtilioribus inquinata eſt, quæ ſeſe & ſapore & colore & diverſis effectibus produnt, adeoque Cacochymia non in nuda hac humorum pravitate conſiſtit & acquieſcit, ſed in reliqui corporis texti & ſtructi variam offenſionem, alterationem & læſionem excurrit.

§. IV. Qui Cacochymiæ rudera evoluunt, illi ad Hippocratis autoritatem confugiunt & illius aſſertum de amaro, ſalſo, dulci, acido, acerbo, fluido & infinitis aliis quæ homini inſunt, allegant: quod vero ut ſuperius monitum fuit bona interpretatione indiget, præprimis cum Senex notanter adjiciat, quod tale quid, ſive ſalſum, ſive amarum &c. tunc hominem lædat, quando in homine ſecretum & ſimplex aut ſibi relictum eſt.

§. V. Hæc cacochymiæ imputatio veteribus plus uſitata fuit quam poſteritati, priores enim per eandem genericam ſangvinis depravationem in varias ſpeciales inquinationes propendentem intellexerunt, poſteri vero cum nuda cacochymiæ accuſatione non contenti, ſcorbuticas ſuas chimæras commiſcuerunt & cacochymiam

miam ſcorbuticam culpare ceperunt, ſive per pleonaſmum ſive euphoniæ gratia.

§. VI. Et hæc ipſa theoria de cacochymia nititur operoſa & intricata illa geneſi ſalium in corpore animali & chymicorum atque phyſicorum effectuum diffuſa & laborioſa applicatione, unde non modo tot ſalſedinum in humoribus ſpecies, ſed & ex earundem efficacia, tot morbi finguntur & ſupponuntur, atque chymica & ſalſa pathologia magis magisque amplificatur.

§. VII. Quanquam vero negandum non ſit, quod per cibum & potum inprimis variæ ſalſedines corpori ingerantur, tamen ſuperfluus & dubius labor eſt operoſe & ſollicite perquirere & examinare, quænam ſalſedinis ſpecies in humoribus præponderet, cui extinguendæ & ſuperandæ opera medica adhiberi debeat: quemadmodum totum hoc conamen, non modo dubium & æquivocis ſucceſſibus obnoxium, ſed & multis difficultatibus oppreſſum deprehenditur.

§. VIII. Dum vero cacochymiæ fautores bona fide ambabus manibus ab Hippocrate deſcriptas ſalſedines arripiunt, & ex illius oraculo infinita illa reliqua alia rigoroſe allegant, abhorrent tamen aliquo modo ab infinito, unde cacochymiam diſtinguunt in pituitoſam, bilioſam & melancholicam, quod juxta alios idem eſt, ac cacochymia dulcis, amara & acida, ſiquidem hos ſapores tria palmaria ſalium genera conſtituere aſſerunt.

§. IX. Juxta genericum illum ſenſum, quod cacochymia ſit alteratio & deprauatio craſeos ſangvinis, non adeo infrequens eſſet hæc dyſcraſia, cum plurimi homines ſimplici, craſſa & irregulari diæta utentes, hac cacochymia laborarent: & licet indies ſub duriori & laborioſiori vitæ genere ejusmodi impuritates excernant, nihil tamen inde ſingularis emolumenti haberent, quia easdem heterogeneitates ſub diæta nihil mutata, indies ingerunt denuoque coaceruant.

§. X. Non tamen propterea talis cacochymia abſolute morboſa eſt, ſicuti ſangvinis abundantia morborum quidem cauſa eſt antecedens, ſed adhuc peculiares impulſus expectat, quo e potentia in actum tranſeat, hinc recte *Hippocrates in Lib. de vet. med.* adiecit conditionem, quando videlicet commemorata illa ſalia, quæ juxta ſtylum poſteritatis cacochymiam producere debent, (αὐτὸ ἐφ' ἑαυτῦ γένηται, ipſum per ſe aut in ſe extiterit) ſimplicia fuerint, neque extenuata aut intra alios humores diffuſius diſperſa; tunc tale quid conſpicuum ſit & hominem lædit, alias homines durioris conditionis, opificiarii & ruſtici, maximi eſſent cacochymici.

§. XI. Licet vero Helmontianæ ſchlolæ addicti cacochymiam abnegent, nullo tamen modo equidem repugno, quin talis cacochymia inter homines occurrat, quæ tamen raro ſola ſecum habitat, ſed in varios connexos affectus erumpit ut cachecticos, hydropicos, ſcabioſos, leproſas, ulceroſos, atrophicos, ictericos & ſi-

& similes non exclusis, sub certo respectu, scorbuticis & confirmatis hypochondricis.

§. XII. Quando Cacochymiam, deprauationem mixtionis sangvinis voco, minime sub hoc nomine corruptionem mixtionis comprehendo, licet interdum cacochymia in tales effectus excurrat, ut sunt vel ulcerosi aut simplices aut cancrosi, fistulosi &c. imo licet tales corruptiones ab ejusmodi cacochymia sustententur & augeantur, minime tamen unum idemque sunt.

§. XIII. Observatur Cacochymia (in subjectis ex diæta irregulari & incongrua, ex vitioso vitæ genere & malo regimine, ex insufficienti successu Se- & Excretionum debitarum, ex diversis & frequentibus patheticis animi commotionibus, inprimis etiam ex alui segnitie: proximius agnoscitur ex sanguinis qualitercunque educti vitiosa crasi & alterato aut inverso colore, & aspectu externo vel pallido vel flavescente vel liuescente, de quo dicunt **man sehe übel oder siech und kranck aus**, ex læsis functionibus animalibus, ut appetitu depravato, motus voluntarii negligentiori exercitio, turbato somno, imminutis excretionibus alui, urinæ, & transpirationis insensibilis, ex urina pallida, interdum turbida, ex habitu corporis flaccido, aut liuescente, tumido: ex virium imminutione & animi torpore pluribusque aliis specialissimis & per indiuidua & temperamenta variantibus signis.

§. XIV. Generatur Cacochymia, quando impuriores tales materiæ copiosius ingeruntur & in corpore coacernantur atque retinentur, quam emittuntur, & excernuntur, maxime vero quando serum minus sufficienter abstergitur & excernitur, quod postea laudabilem lympham inspissat, cui sese alii mucidi, biliosi & salini humores innectunt, exinde reliquæ massæ sangvineæ communicantur, ut difficile sit atque laboriosum opus ex ejusmodi vinculo heterogeneitates tales educere, idque non nisi successiue & sub constanti opitulatione artis contingit.

§. XV. Si itaque humores vitiosi sunt, partim color naturalis depravatur & discolor illa morbida larva inducitur, partim corporis habitus successive alteratur & communiter quidem relaxatur: excretiones proinde difficilius succedunt, quia heterogeneæ materiæ firmius laudabili humorum mixtioni adhærent: unde etiam motus vitales magis alterantur, quia humores legitimam suam proportionem erga motus amittunt, & quia corpus adeo inquinatum est, motus vitales sub tantis impedimentis, effectus se- & excretorii difficulter succedunt, propterea & animi alacritas & vires magis magisque imminuuntur & per connexionem functiones animales labascunt.

SECTIO

SECTIO SECUNDA
DE
HÆMORRHAGIIS IN GENERE.

§. I.

PEr Hæmorrhagias hoc loco intelligo illos ſangvinis fluxus, qui ſponte & citra aliquam violentiam aut læſionem continui vi externa neque per corroſiva & cauſtica ingeſta illatam, ex diverſis & uſitatis quidem corporis regionibus & locis ſuccedunt, ſed qui ab internis cauſis, directionibus & tacitis commotionibus per externas interdum occaſiones, minime tamen violentas, promotis & provocatis, oriuntur.

§. II. Sunt vero Hæmorrhagiæ in genere aliæ paſſivæ, aliæ vero activæ: priores plurimum ob inductam continuitatis læſionem oriuntur, dum ſangvis ob dilacerationem, inciſionem, eroſionem actualem violentam & non imaginariam aut ex hypotheſi fluentem, effluit, licet non raro cum ejusmodi paſſivo ſangvinis fluxu, activæ quædam directiones concurrant, de qua conſideratione in chirurgia medica agitur: poſteriores ab intra magis diſponuntur & ad certas regiones, partes & ætates applicantur & diriguntur, quid quod ad præfixum finem imminuendi ſangvinis vel actu ſuperflui, vel ut moleſti prævifi & æſtimati, deſtinantur.

§. III. Sunt vero Hæmorrhagiæ legitimæ, excretiones ſangvinis ſinceri, illius materialis conditionis & bonitatis, qualis de præſente in corpore individui eſt, minime vero vel optimi & ſelecti, vel peſſimi & impuri, uti quidem interdum præſumitur juxta vulgarem Hæmorrhagiarum dijudicationem, quaſi laudabilis & utilis ſangvis excernatur, aut uti de alia Hæmorrhagia, ex obſoleta quadam traditione aſſeritur, quod ſangvinem melancholicum, noxium, atrabilarium, in ſplene ſecretum, dimittat.

§. IV. Et quanquam interdum ſub excretione ſangvis talis laudabilem ſuum colorem immutaſſe videatur, evenit tamen ejusmodi variatio a difficiliori & retardata ſæpe excretione; ſiquidem ſangvis paulo diutius, circa loca excretoria detentus, ſpiſſiorem conſiſtentiam concipit: cæterum vero ad promtiorem ſangvinis eruptionem, fluidior illius conſiſtentia magis diſpoſita eſt, quam ſpiſſior.

§. V. Inter reliquos affectus ad pathologiam medicam ſpectantes, Hæmorrhagiæ in genere conſideratæ, valde frequenter occurrunt, & licet quædam harum ſpecies rarius obtingant, tamen aliæ ſangvinis evacuationes, hanc raritatem ſua frequentia compenſant, ſicuti imprimis omnes fœminæ in legitimo & ordinario ſanitatis ſtatu viventes, menſtruas ſuas purgationes experiuntur.

§. VI. Familiaris porro eſt perſvaſio, quaſi Hæmorrhagia ſit præternaturale quoddam accidens, cum ſangvis ut vitæ & virium theſaurus, nunquam ſine ſanitatis detrimento excerni queat: equidem cum hac ſpeculatione non conſentio, illud interim aſſevero, quod adeo abſolute ſangvis, præcipue in maſculino Sexu, excerni haud debeat, ſed cum præter neceſſitatem & ordinem ſangvis non raro ſua quantitate excedere ſolet, ita ſecundum naturam hanc evacuationem ſinceri ſangvinis contingere affirmo: uti hæmorrhagia tanquam excretio vitæ & ſanitati ſubveniens, certo reſpectu ad non-naturales functiones & res, commode referri poteſt.

§. VII. Occurrunt Hæmorrhagiæ ferme per totam ætatem humanam, ita ut ab annis exeuntis Infantiæ incipiant & in Senectutem perennent: unde obſervationes conſtant, de narium hæmorrhagiis in infantibus trium aut duorum annorum, & de hæmorrhagiis in ſenibus ſeptuaginta aut octoginta annorum, neque illæ quidem adeo penitus raræ: argumentor tantum hoc loco a majori ad minus.

§. VIII. Diſcrepant propterea hæmorrhagiæ quoad ætates, ſicut in junioribus ex ſuperioribus corporis regionibus ſuccedunt, in adultioribus ex inferioribus, & licet quoad loca, regionem & ætatem varient, conveniunt tamen quoad formam, finem, methodum & accidentia: hac Hæmorrhagiarum per ætatem variantium diverſitate, nituntur plurimi reliqui morbi per ætates diſcrepantes & cum Hæmorrhagiis connexi.

§. IX. Fœminæ imprimis obſervantur, quod per divinam legem ad profundendum ſangvinem poſt lapſum abſolute deſtinatæ ſint, unde etiam in Moſaica ſive ceremoniali lege, fœminis menſtrua purgatione inquinatis, certæ leges & ceremoniæ conſtitutæ obſervantur, non æque maſculis: hic ſequior ſexus per menſium legitimum ſucceſſum ſanitatem impetrat, ex qualicunque vero poſitivo menſium vitio, nocumenta & detrimenta ſanitatis incidunt.

§. X. Ad Hæmorrhagias abſolute diſponuntur illi homines, qui ſangvinem ſuperfluum continent, ita enim Plethora & Hæmorrhagiæ perfecte reſpondent, quod nulla ſimpliciori, citiori & efficaciori methodo, abundans & moleſta ſangvinis quantitas imminui & removeri poſſit, quam per Hæmorrhagiam talem: unde omnis ſpontanea talis Hæmorrhagia directa eſt, vel ad præſentem & ſimul moleſtam aut urgentem, vel ad præſumtam & præconceptam ſangvinis abundantiam.

§. XI. Quare etiam occurrunt conſvetudinales Hæmorrhagiæ, quæ citra plethoram turgentem & urgentem ſuccedunt, ſed ex prægreſſa plethoram curandi methodo & repetitis atque promptis motuum horum excretoriorum ſucceſſibus, ortum trahunt.

§. XII.

§. XII. Comprobant perinde Hæmorrhagiæ activum ſuum directorium ex eo, quod non modo per ætatem varient, ſed & animi commotionibus patheticis obtemperent, & certis atque ſtatis temporum periodis recurrant; unde quædam hæmorrhagiæ menſtruæ ſunt, ut purgationes fœminarum uterinæ ordinariæ & interdum etiam Hæmorrhoides, quædam cum menſibus menſtruis tamen periodis alternant, ut ſunt vomitus cruentus, quædam etiam anniverſariæ ſunt, vel aliis certis & ſtatis terminis occurrunt.

§. XIII. Ad alias Hæmorrhagias præter menſtruum fluxum diſponuntur homines de ſpongioſo ſed ſimul paululum ſtricto temperamento participantes, ut ſunt Sangvineo-Melancholici aut Sangvineo-Cholerici, vel Cholerico-Sangvinei & Melancholico-Sangvinei; in quibus vero unum tale temperamentum præ altero nimium prædominat, in illis tales ſangvinis fluxus difficilius ſuccedunt.

§. XIV. Si ſangvis e congruis locis, juſto tempore, convenienti quantitate & neceſſaria conſtantia profluit, ſemper ſalutem infert & obtinet, ſi vero in hisce circumſtantiis error occurrit, effectus & eventus alius eſſe obſervatur, quam prima intentio & deſtinatio involuit: minime vero convenit ob accidentales tales depravationes & perturbationes, totum reliquum negotium culpare & damnare.

§. XV. In junioribus & activioribus ſubjectis, Hæmorrhagiæ facilius & expeditius ſuccedunt, quam in aliis, ſiquidem alias ad promptiorem earum progreſſum animus iracundus, diæta tenuis, vinoſa & aromatica, vegetæ corporis commotiones, exæſtuationes, inebriationes, ſpirituoſarum ſubſtantiarum ingeſtiones & quicquid ad ſangvinis commotiones contribuit, diſponunt.

§. XVI. Interdum ſangvinis eruptio ſponte & tacite, ſine ullo doloris ſenſu contingit, interdum vero etiam talem eruptionem comitantur tenſiones, diſtenſiones, moleſtæ quædam oppletiones, gravativæ debilitationes, ſtricturæ ſuperficiales & connexæ moleſtæ atque dolorificæ ſenſationes: quæ vero mox iterum ceſſant, quando Hæmorrhagia legitime decurrit.

§. XVII. Proinde etiam moderatæ & convenientes Hæmorrhagiæ, prægreſſas gravativas moleſtias & laſſitudinem corporis univerſi, vel diverſarum ſingularium partium, mitigant & in futurum majorem alacritatem & virium promtitudinem poſt ſe trahunt; uti cæterum multiplex effectus Hæmorrhagiarum ſalubritatem commonſtrat: ſiquidem congruæ hæmorrhagiæ vel ſuppreſſæ & perturbatæ, vel præmature aut inopportune ceſſantes, varios morbidos ſucceſſus involvunt.

Conf. Stahlii Program. de conſulta utilitate Hæmorrhagiarum.

§. XVIII. Transcendunt non raro ejusmodi Hæmorrhagiæ in conſuetudinem, quando videlicet ſæpius occurrerunt & recurrerunt, & tunc quidem largius & frequentius decurrunt, quin facilius in exceſſum degenerant, ſiquidem non

modo ipſi fluxus ſangvinis, ſed & motus in tali negotio & ſtatu inſolentiores eſſe deprehenduntur.

§. XIX. Quanquam vero contingat, ut ob Hæmorrhagias ſimultaneas & prodigas, homines vitam amittant, aut ex certis Hæmorrhagiarum ſpeciebus ad mortem diſponantur, uti eſt Hæmoptyſis, ex eo tamen non ſtatim concludendum eſt, quod ſimpliciter Hæmorrhagiæ ſint præternaturale quoddam accidens & abſolute noxium quid: cum potius exceſſivus ſangvinis fluxus & loci aut partis minus ſecura aptitudo, a reliquo juſto & legitimo illius ſucceſſu diſcernendus ſit.

§. XX. Quæcunque Hæmorrhagiæ aliquamdiu ceſſarunt & legitimos ſuos recurſus transgreſſæ ſunt, ſi denique iterum erumpunt, communiter & impetu & quantitate excedunt: quod etiam valet de incongruis Hæmorrhagiarum ſpeciebus, ſi videlicet adultioribus ſubjectis inopinatæ Narium Hæmorrhagiæ aut Hæmoptyſes obtingunt, communiter ſimul & ſemel ita excedunt, ut præceps vitæ periculum ingruat.

§. XXI. Interim etiam ordinatæ & moderatæ Hæmorrhagiæ ſponte & tacite ſine ulla moleſtia poſt ſufficientem ſucceſſum ſubſiſtunt & tempeſtive iterum revertuntur atque ſine impedimento progrediuntur: ſi vero ſemel ſingularis & ſenſibilis offenſio iisdem inducitur, diu eandem retinent & impoſterum ſub multis difficultatibus progrediuntur, quin variis anomaliis laborant.

§. XXII. Quando Hæmorrhagia raro aut confuſe recurrit, non modo difficulter erumpit, ſed & parcius ſuccedit, & varias tam antecedentes quam conſequentes involuit moleſtias, quin denique facile in perfectam ſuppreſſionem & ceſſationem delabitur: interim in futurum molimina cohærentia congeſtoria, ſpasmodica, rhevmatica, inflammatoria & ſimilia, loco actualis ſui & conſveti priſtini ſucceſſus inducit.

§. XXIII. Præſervant vero Hæmorrhagiæ congruæ & moderatæ a multis morbis, quin efficiunt quo ſubjecta talia vegeta ſanitate fruantur, tunc vero a ſanitate ſua declinare inchoent, quando ſolitæ Hæmorrhagiæ deficere aut imminui videntur: quin evenit, ut prægreſſæ variæ morbidæ afflictiones etiam chronicæ per Hæmorrhagias convenienter ſupervenientes admodum leventur & mitigentur, imo ſi tempeſtive occurrunt, plane tollantur.

§. XXIV. Erumpunt Hæmorrhagiæ ex oſtiolis venarum intra cutis ſuperficiem ſeſe immergentium, rariſſime ex arteriolis, quæ profundius ſitæ ſunt, & ex profundo non facile eructant, niſi in certis ſubjectis ejusmodi arteriolæ intimius talem ſuperficiem ingrediantur & tunc perinde erumpant, quale quid contingit interdum in Hæmorrhagiis Narium aut Hæmoptyſi, quando arteriola in aſperæ arteriæ truncum ſangvinem eructavit.

§. XXV. Eſt vero talis Hæmorrhagia opus naturæ extraordinarium, quo

ſan-

ſangvis vel vere ſuperfluus, vel ut talis æſtimatus, per diverſas tamen cauſas moleſtior redditus, ab intra extrorſum dimittitur & ſufficienti quadam quantitate imminuitur, ne futuris ſiniſtris & noxiis effectibus faveat & ſubſerviat.

§. XXVI. Et hoc reſpectu Hæmorrhagia eſt medicina plethoræ a natura oblata, quæ propterea active contingit & non paſſiue neceſſitatur, uti quidem valgaris eſt opinio, qua aſſeritur, quod vel ſangvis acris erodat vaſcula capillaria, vel quod nimia oppletio turgefactoria talem violentam perruptionem cauſetur, vel quod motus quidam ſangvinis inteſtinus fermentativus talem eruptionem abſoluat, vel quod obſtructio quædam venæ alicubi facta, tam efficacem reſtagnationem conciliet, quæ ſingulæ ſuppoſitæ cauſæ, a vera Hæmorrhagiarum hiſtoria abludunt.

§. XXVII. Ut ut vero primario natura efficienter & active Hæmorrhagias inducit pro exercenda ſua intentione de moleſto ſangvine deplendo occupata, tamen ad hunc actum variæ cauſæ externæ & internæ diſponunt, quæ modo commemoratæ ſunt & ad generalem ſangvinis commotionem contribuunt, unde hoc ſangvinis pondus eo magis in œconomia vitali ægre & moleſte fertur, adeoque natura, ad depletionem illius invitatur.

§. XXVIII. Abſoluitur quælibet Hæmorrhagia, non cum progreſſu & nudo impulſu ſangvinis intra partes, ſed cum augmento motus tonici ſive congeſtione, qua in vena quadam quæ cum oſtiolo ſuo ſuperficiem partis ingreditur, liber refluxus ſangvinis quantisper impeditur, a tergo vero efficacius ad illud oſtiolum ſangvis advehitur, ut circa illud intumeſcentia quædam moderata contingat, quæ tandem vel ſponte perrumpit vel ſub ſubtili & ſenſibili cutis incumbentis ſtructura ad perruptionem illam promovetur: utpote qui modus fiendi mere mechanicus eſt, qui tamen non ex corpore fluit, ſed ex imperio & directorio naturæ.

§. XXIX. Neque vero in ætiologia Hæmorrhagiarum prætereunda eſt cauſa illa impulſiva, quæ plethoram commovet, ſive ſit pathetica, ſive alia; ſiquidem alias multi dantur plethorici, qui nullas Hæmorrhagias experiuntur: proinde etiam illa cauſa mediata materialis ſedulo obſervanda eſt, nimirum juſta aptitudo corporis & convenientia temperamenti.

§. XXX. Nihil vero æque ad Hæmorrhagiarum variationes quæ per ætates ſuccedunt, corporis materialis immutatio contribuit, ſed nititur hæc ratio diverſa motuum applicatione ad diſcretas regiones a natura humana præſtita ex morborum ætatum fundamentis pernoſcenda; quo pariter variæ cauſæ tam ad corpus & illius conſervatoriam functionem ſpectantes pertinent, quam ad externas occaſiones referri merentur.

§. XXXI. Quid animi pathemata valeant in alterandis Hæmorrhagiis, quotidiana experientia comprobat, inprimis vero ira, terror & mœror: ſiqui-

dem consuetudinis ratio non negligenda est, ex quibus evidentibus documentis facillime inclarescere potest, quid active aut passive in Hæmorrhagiarum negotio contingat.

§. XXXII. Usus legitimarum Hæmorrhagiarum in ordine vitali est multiplex, siquidem & vires & corpus exinde non parum levantur, effectus vero vitales multum inde emolumentum & fulcimentum capessunt: unde homines qui congruas Hæmorrhagias experiuntur vegeta sanitate fruuntur.

§. XXXIII. Frustra interim metuunt quasi intra sangvinem vires sint occlusæ, aut quasi sangvis vires largiatur: unde fabulam olet illa causalis deductio, quod Lipothymiæ sub Hæmorrhagiis jactura sangvinis spirituosi, vel spirituum proveniant.

§. XXXIV. Nimius sangvinis impulsus non efficienter necessitat Hæmorrhagias, siquidem communiter post strenuam corporis & sangvinis commotionem Hæmorrhagiæ oboriuntur, & raro sub illa: neque etiam in febribus valde æstuosis Hæmorrhagia familiare est symptoma, quod vi prædicti asserti necessario contingere deberet.

§. XXXV. Est cæteroquin natura humana in negotio Hæmorrhagiarum ita activa, ut antea cum superfluo & molesto sangvine prægravata, phantasias sub somno de sangvine formet aut insomnia de sangvine ejusque profusione, rebus rubicundis, flamma & similibus experiatur, evidenti quodam documento quod eadem idealiter circa negotium tractandæ plethoræ & suscipiendæ Hæmorrhagiæ occupetur.

§. XXXVI. Damna ex Hæmorrhagiis legitimis sed suppressis, quæ prodeunt, sunt multa & gravia, vel quæ motuum vitalium libero successui, vel sangvinis depurationi & connexis functionibus præjudicant, unde ex vitio quantitatis non correcto & curato, vitia qualitatis & motuum certius oriuntur.

CAPUT I.

De

HÆMORRHAGIA NARIUM.

§. I.

INter Hæmorrhagiarum species quoad ætatem, ordine primo occurrit Hæmorrhagia Narium, qua sangvis ex uno vel altero narium latere guttatim excernitur, ubi interdum singularis illa naturæ activitas observari potest, qua alternatim modo ex uno, modo ex altero narium latere, eadem superfluum sangvinem effundit.

Conf. Disp. mea Veram Pathologiam Hæmorrhagiarum Narium sistens.

§. II. Est

§. II. Eſt hæc Hæmorrhagia admodum frequens, ita tamen ut communiter certis annorum periodis occurrat, quemadmodum hyberno & autumnali tempore non adeo promte, quam verno & æſtivo ſuccedit: & hæc frequentia non modo concernit pluralitatem ſubjectorum, ſed & numeroſitatem ſui recurſus in uno eodemque ſubjecto.

§. III. Tacite quidem recurrit, licet interdum ad futuram ſpontaneam illius recurſionem cauſæ quædam externæ per vim inductæ contribuant, ut ſunt contuſiones, concuſſiones vel capitis vel narium quibus ætas hæc, cui narium hæmorrhagia familiaris eſt frequenter obnoxia redditur.

§. IV. Communiter vero hæc Hæmorrhagia in hiſtoria medica ita occurrit & obſervatur, ut ſubjectis non exiguam ſalubritatem conciliet; rarius vero exceſſiva conſpicitur, niſi vel incongrua, i. e. extra juſtam ætatis periodum occurrat, aut conſvetudinalis, aut per hæreditariam diſpoſitionem immorigera reddita, aut per immoderatas aut impetuoſas animi & corporis commotiones ſimul & ſemel provocata ſit.

§. V. Incipit hæc Hæmorrhagia interdum adhuc in infantiæ terminis, communiter vero in pueritia, per quam decurrit & continuat in adoleſcentiam & per conſvetudinem in adultiores interdum ætates, in quibus tamen ſibi relicta prima initia non capeſſit, licet ex prægreſſis aliis ætatibus in has tranſcendat.

§. VI. Obſervatur etiam hæc Hæmorrhagia familiarior ſexui virili, licet puellæ, activioris alacrioris & diſtinctæ plane indolis, nonnunquam etiam eandem experiantur, quæ usque in initia menſtrui fluxus continuat, aut cum menſibus ſimul conſiſtit, aut cum iisdem alternat: de reliquo vero ex hac Hæmorrhagia altera menſtrua purgatio aliquando anomaliam quandam ſuſcipit.

§. VII. Quæcunque ſubjecta hanc Narium Hæmorrhagiam experiuntur, illa vel ad externum conſpectum vel ex ratione diætæ plenæ & ſuperfluæ plethorica obſervantur, unde illis imprimis temporibus hanc plethoræ ſpontaneam depletionem experiuntur, quando frequentius cauſæ quædam ad illius commotionem contribuentes occurrunt.

§. VIII. Fruſtra vero nimis ſollicitæ mulierculæ de ſuis filiolis ocellis metuunt, quaſi Hæmorrhagia Narium cum tempore truculentam phthiſin poſt ſe trahat, id quod de moderata tali Hæmorrhagia neque expectandum neque obſervandum eſt, ſi vero ſalutaris talis ſangvinis fluxus improvide cohibetur, aut alia prodiga talis Hæmorrhagia repente ſupprimitur, tunc non fruſtra talis ominoſus ſucceſſus metuitur.

§. IX. Tacite utplurimum erumpit hæc Hæmorrhagia, ni nonnunquam inſolita quædam titillatio interiora narium offendat, quæ adhibita frictione aut digiti immiſſione intra nares, tandem hunc ſangvinis fluxum poſt ſe relinquit: &

quan-

quando paulo difficilius ſangvis e naribus erumpit, antecedunt moleſtiæ in capite gravativæ, oppletoriæ, temulentæ & æſtuantes, quæ vero iterum evaneſcunt, quam primum hic fluxus erumpit & ſuccedit.

§. X. Adjuvant etiam hanc ultimam eruptionem emunctiones aut compreſſiones narium, aut capitis inclinationes ad terram: ſicuti paulo remotius adhuc diverſæ occaſiones ad hanc hæmorrhagiam diſponunt, ut internæ & externæ corporis exæſtuationes & abhinc pendentes turgefactoriæ ſangvinis commotiones.

§. XI. Libere ſuccedentes & ſæpius recurrentes tales Hæmorrhagiæ facile & ſine multa moleſtia exeunt, rarius vero erumpentes aut diutius molientes, non modo acerbiores congeſtiones involvunt, ſed & alia graviora motuum augmenta invitant.

§. XII. Et ſi talia capitis incommoda alioquin aptas ætates invadunt, tunc Hæmorrhagia Narium ſuperveniens & ſufficienter ſuccedens ea ſublevat aut plane tollit, modo non ſerius erumpat.

§. XIII. Hæmorrhagiæ Narium incongruæ ſunt, quæ juſtam ætatis periodum transgrediuntur, & in adultiores ætates incidunt, ſicuti aliquando ejusmodi Hæmorrhagiæ in certis ſubjectis per notabile temporis intervallum repetunt, quando alia Hæmorrhagia ſive Menſium ſive Hæmorrhoidum, quæ hactenus intercurrit, ceſſavit.

§. XIV. Quæ ſymptomatice occurrit Narium Hæmorrhagia, licet propterea paſſiva non ſit, tamen illos uſus non infert, quos ſimplicior talis Hæmorrhagia promittit: unde in aliis morbis imprimis chronicis occurſans, parum levat, imo interdum magis enervat, quia inopportuna exiſtit.

§. XV. Ita etiam Hæmorrhagia talis per nimium impulſum concitata, aut erronee ab ipſa natura ſuſcepta, ſalutaris eſſe haud poteſt, quia præter neceſſitatem & ſine ordine congruo adminiſtratur.

§. XVI. Interea per hanc Hæmorrhagiam intenditur ſuperflui ſangvinis depletio, ex hoc imprimis loco, hac ætate perpetranda, in quo natura majorem operandi ſolertiam adhibet, licet adhuc variæ externæ cauſæ concurrant, quæ caput afficiendo, hunc naturæ motum in hanc regionem invitant.

§. XVII. Abſolvitur hæc ſangvinis excretio per reſtrictionem aut auctiorem tonicam commotionem & appulſionem ad & intra nares, unde ſangvis ex turgefacta venula perrumpit, ſiquidem oppletio capitis & inflatio faciei a ſangvine copioſius congeſto, ſed non promtius erumpente hujus fiendi modi & methodi teſtes ſunt.

§. XVIII. Venulæ quæ in hac Hæmorrhagia erumpunt, communiter ad interiora cerebri ſangvinem in ordinario ſtatu revehunt, unde per hunc ſangvinis fluxum interiores capitis partes præcipue ſublevantur, licet de reliquo quoad generi-

cum

nericum conſenſum de hac evacuatione ſangvinis totum reliquum caput participet.

§. XIX. Præſtat vero, quo talis Hæmorrhagia tempeſtive & proportionate ſuccedat: aliàs inopportunus illius ſucceſſus ſenſum & æſtimationem naturæ parum afficit, hinc infructuoſe decurrit.

XX. Cum vero in hac ætate puerili e larga voracitate ſangvis accumulari maxime incipiat, & ſubinde ob inquietudinem ætatis & diverſos malos mores, hæc abundantia ſangvinis valde commoveatur, inſuper vero tam certæ morales operationes, quam externæ & phyſicæ cauſæ & occaſiones, ſangvinis motum intra caput frequentius provocent, ita pro ventilanda plethora non modo in genere Hæmorrhagia, ſed & præcipue in capite & e naribus tanquam ſecuro loco ſuſcipitur.

§. XXI. Ad hoc opus naturæ contribuunt prædictæ cauſæ occaſionales, quo adhuc inebriationes & inferiorum regionum liberales atque ſenſibiles refrigerationes refero, quæ non modo ad genericam ſangvinis abundantis commotionem diſponunt, ſed & ad copioſiorem ſangvinis affluxum intra caput contribuunt.

§. XXII. Quid, quantum & an inopportunæ Venæ Sectiones in brachio in febribus acutis ſuſceptæ, maxime in ſubjectis junioribus & ad narium Hæmorrhagias diſpoſitis ad hanc evacuationem conferant, experientia erit conſulenda, quæ uberrima ſuppeditabit phænomena & exempla.

§. XXIII. Sublevat vero juſtus Hæmorrhagiæ Narium ſucceſſus non modo totum corpus, dum moleſtam quantitatem exonerat, ſed & imprimis levat liberum progreſſum ſangvinis per caput & pectus, unde ſub legitimo hujus Hæmorrhagiæ decurſu maxime hæ regiones liberantur & alacres atque vegetæ reddantur, quin contra, perturbatâ, ſuppreſsâ aut difficilius exeunte hac Hæmorrhagia, hæ partes maxime infeſtantur & affliguntur.

§. XXIV. Si Hæmorrhagiæ Narium ceſſant vel ſupprimuntur, tunc alia molimina hæmorrhagica capitis loca invadunt, vel ſucceſſive in collum & pectus deſcendunt & congeſtoriis, inflammatoriis, ſpaſmodicis ſimilibusque ſchematibus morborum ſeſe ſiſtunt.

§. XXV. Occurrunt etiam Hæmorrhagiæ Narium criticæ in certis febrium ſpeciebus, quæ peculiaribus naturæ directionibus ſubjacent, unde active, critico quodam ſelecto & deſtinato die, larga ſatis quantitate decurrunt, atque ſimultaneam ſalubritatem conciliant, ni aliqua irregularitas intercedat.

Conf. Diſp. mea de Hæmorrhagiis criticis.

§. XXVI. Quam ſalutaris vero Narium Hæmorrhagia prædicatur, nihilominus tamen eadem excedere ſolet, ut vel ſimul & ſemel immoderato impetu erum-

pat,

pat, vel nimis frequenter repetat, & ex depravata consvetudine decurrat, quo quidem diversæ causæ concurrunt, quæ vel simultaneam illius eruptionem invitant, vel ad hanc consvetudinem magis magisque disponunt.

§. XXVII. Homines qui in junioribus ætatibus Narium Hæmorrhagiis expositi fuerunt, hisce desinentibus aut qualitercunque oppressis in futurum variis incommodis obnoxii fiunt, quæ motibus sangvinis translatoriis & eluctatoriis nituntur, ni iisdem congruo consilio & auxilio prospiciatur.

§. XXVIII. Activa harum Hæmorrhagiarum directio inter alias observationes fluit ex palmariis hisce circumstantiis, quod sangvis tam exquisite hac ætate, in hanc regionem & partem transferatur, & quidem quod hic motus statis sæpe temporibus repetatur, aut aliis Hæmorrhagiis iterum subordinetur, quando hæ cessant & Narium Hæmorrhagia olim successit, quod animi pathemata & consvetudines magnum jus habeant in hanc Hæmorrhagiam, quod legitimus hujus successus salubritatem inferat, perturbatio vero ejusdem, noceat.

§. XXIX. Molimina ad Hæmorrhagiam Narium in senibus non boni ominis sunt, quin interdum cum apoplecticis aut hemiplecticis effectibus desinant; cæterum vero in junioribus, cum exitu Hæmorrhagiarum Narium cohærent molestiæ congestoriæ, tensoriæ, gravativæ, ardentes, inflammatoriæ, aut perturbationes vertiginosæ, aurium tinnitus (quos Hippocrates aliquoties cum fluxu sangvinis e naribus conciliat) sensuum hebetationes, affectus rhevmatici & similes alii.

CAPUT II.

DE

SPUTO CRUENTO.

§. I.

CONfunditur interdum Cruentum Sputum cum actuali illa & periculosa pectoris Hæmorrhagia sive Hæmoptysi, cum tamen ab hac discretum sit, neque tantum periculum involvat: interim tamen quibusdam sputum cruentum & Hæmoptysis Synonyma sunt & unam eandemque rem significare debent, licet prius pro mitiori gradu excreationis sangvinis e pectore reputetur.

§. II. Subest vero inter utrumque statum differentia, siquidem per sputum cruentum communiter sangvis paucus excernitur, & quidem non e profundis pectoris, sed tantum e faucibus & vel ex infundibulo narium vel gingivis, proinde sangvis ipse est utplurimum grumosus non raro cum muco, qui unà ex-

exſcreatur, commixtus, unde etiam poſt unam & alteram talem exſcreationem ſputum illud ceſſat, neque alia gravia ſymptomata involuit.

§. III. Occurrit imprimis in ſubjectis, quibus Hæmorrhagiæ narium familiares fuerunt, ſed iterum ceſſarunt, vel difficulter erumpunt, vel rarius exeunt, attamen adhuc diverſa & repetita occaſione moliuntur; unde etiam evenit ejusmodi ſputum in confiniis illius ætatis, qua hæmorrhagiæ narium proceſſerunt & jam motus congeſtorii alias partes & regiones, videlicet pectus, occupare videntur.

§. IV. Prodit ſeſe hoc cruentum ſputum, quando ſubjecta quædam plethorica ſub gravativo, oppletorio, tenſorio, æſtuante & inſolitæ ſiccitatis ſenſu in capite, aut preſſione moleſta in fronte & ad narium radicem, matutinis horis ſub ſcreatu aliquoties ſangvinem ſincerum communiter in grumis educunt ſibique exinde perſuadent, quaſi hic ſangvis e pectore proveniat, cum tamen e narium infundibulo protractus ſit: interim brevi iterum ceſſat hæc ſangvinis exſcreatio, ut propterea ſtatus hic vix tantum metum mereatur, præcipue cum nullum evidens pectoris vitium aut conſpiratio alterationis in pectore occurrat.

§. V. Obſervatur tale cruentum ſputum tam in junioribus quam paulo adultioribus ſubjectis, & hiſce quidem, quæ inaptis ætatis ſuæ periodis molimini-bus & affectibus Narium Hæmorrhagicis laborarunt, unde interdum reditus talis in antiqua loca & prægreſſas inventiones obtingit, ſub conamine ſangvinem ſuperfluum & moleſtum e naribus exprimendi; quemadmodum etiam ſua ſponte vel poſt moderatam affrictionem & ſuctionem laxiores gingivæ ſangvinem interdum fundant.

§. VI. Eſt itaque ſputum cruentum, conſectarium imperfecti & irregularis moliminis hæmorrhagici ad nares deſtinati, quo natura ſangvinis immutionem reſpicit & urget, ſed inſufficienter deducit & perficit, unde variæ moleſtiæ huic conamini ſeſe jungunt, cum variæ difficultates illius efficacem ſucceſſum, effectum & eventum premant & comitentur.

§. VII. Ad ejusmodi difficultates pertinet, vel ſangvinis ſpiſſitudo vel deſvetudo motuum in adminiſtrando hoc opere neceſſariorum, vel erronea motuum eorundem exercitatio & applicatio, vel variæ animi perturbationes & irregularitates in vitæ genere obviæ vel aliæ perturbationes, prægreſſis narium hæmorrhagiis inductæ.

§. VIII. Quæcunque etiam cauſæ ad narium hæmorrhagias commovendas & promovendas concurrunt & contribuunt, illæ ad hoc cruentum ſputum concitandum, quadrant, inprimis vero qualescunque ſangvinis commotiones; unde quibusdam ſubjectis evenit, ut ſi prægreſſo die præter conſuetudinem vel ſaturatiorem cereviſiam vel potum ſpirituoſum aut vinoſum ingeſſerunt, proxi-

mo mane ſub prædictis moleſtiis ſangvinem ex infundibulo exſcreent & denique exſpuant.

CAPUT III.
DE
HÆMOPTYSI.

§. I.

NUlla ferme alia, quam hæc, adeo periculoſa præſumitur Hæmorrhagia, eum e loco tam nobili & parte tam tenera proveniat, videlicet e pulmonibus, imo quia experientia teſte, non modo frequentiores ſed & celeriores ſiniſtros effectus & eventus involuit, aut in adverſum illum phthiſeos affectum, quem omnes homines metuunt, facile degenerat.

§. II. Et hæc Hæmorrhagiæ ſpecies e pectore, nimirum e pulmonibus plurimum provenit, & ſangvinem non modo ſincerum, ſed & valde floridum & communiter ſpumidum præbet: ſiquidem ex eo dignoſci poteſt, an ſangvis e pulmonibus an ex vaſculo quodam ſangvifero aſperæ arteriæ eruperit, ſi floridus & tenuis tantum vel ſimul ſpumidus fuit.

§. III. Quamquam vero actualis talis ſangvinis eruptio e pectore non ita frequenter obtingat, tamen molimina hæmoptyica ſunt frequentiora, quæ partim idiopathica ſunt, partim ſymptomatica & hæc quidem, quando aliis Hæmorrhagiis ſuppreſſis, ut menſibus aut hæmorrhoidibus, ſuperveniunt & earundem vices ſupplere videntur.

§. IV. Evenit Hæmoptyſis iuvenibus plethoricis, narium Hæmorrhagiis olim adſuetis, pectus vel vociferando vel comprimendo multum affligentibus, animi commotionibus, inprimis iracundis frequentius addictis, vel a tuſſi plane liberis vel non niſi exiguam, ſiccam & clangoſam interdum tuſſim ſubeuntibus, quibus hæc eructatio ſangvinis tacite contingit, præcedente interdum capitis temulenta & gravativa oppletione, ſtrictura in ſcapulis & hypochondriis, horripilatione extremitatum & confiniorum pectoris, præcurrente etiam interdum vel ſenſu oppreſſoriæ renitionis profundioris in pectore, quando ſangvis e pulmonibus erumpit, vel titillationis aſperioris in aſpera arteria, quando ex hac ſangvis erumpere minatur.

§. V. Servant proinde motus hæmoptyici communiter exquiſitas ſuas periodos, unde Hiſtoria practica de annua Hæmoptyſeos reverſione, varia teſtimonia profert, quæ tacitam hanc Hæmorrhagiæ ſpeciem, adeoque activam ab altera paſſiva & per qualemcunque violentiam inductam evidenter diſcernunt.

§. VI. Qui

§. VI. Qui ſemel Hæmoptyſin ſunt experti, hi frequentiori illius repetitioni ſubjiciuntur, & quotiescunque recurrit, toties impetuoſior & copioſior eſſe obſervatur, unde non raro denique funeſte excurrit: cæterum vero in primis ſuis terminis interdum mitior eſſe ſolet: quando vero mox in initiis vehementer erumpit & graviter affligit malum omen eſt.

§. VII. Repente ſubſiſtens Hæmoptyſis, affectus ſuffocativos aut inflammatorios pectoris & febriles poſt ſe trahit: impetuoſius vero erumpens aut ſæpius recurrens, funeſtam phthiſin pediſſequam habet, quæ non raro cum Hæmoptyſi recurrente vitæ finem imponit: haud vero ita indiſcretim & in omni caſu phthiſis Hæmoptyſin excipit.

§. VIII. Licet vero Hæmoptyſis nunquam ſuſpicione & periculo careat, tamen ut ſpontanea Hæmorrhagia eſt omnino actus naturæ, quo ſangvinis ſuperflui & moleſti exonerationem e pectore tamquam loco eruptioni quidem congruo, ſed quoad reliquos reſpectus non ſatis ſecuro, eadem proſequitur: unde in genere ſpectatus hic actus ad ſalutarem ſcopum, nimirum ad liberandum corpus a moleſto ſangvine directus eſt, licet in ſpecialiori executione excuſari non poſſit.

§. IX. Sunt vero pulmones, tamquam locus affectus, quoad teneritudinem ſuam non inepti pro ſubeunda tali perruptione, quo peculiares reſtrictiones ſangvinis ab extra & a diſſitis locis introrſum & in regionem pectoris directæ contribuunt: unde non ita paſſive ſangvis eructat, quoniam alias ſæpius & ex levi cauſa, propter loci ſubtilitatem perrumpere poſſet.

§. X. Hæmoptyſis vel eſt ſimultanea, adeoque exceſſu peccat, vel eſt parca & defective quidem decurrit, ubi ſangvis extravaſatus in veſiculis pulmonum obhæreſcit, neque penitus evacuatur, quo præmaturus & immoderatus adſtringentium remediorum uſus concurrit: huc etiam alter gradus & ſtatus defectivus Hæmoptyſeos pertinet, quando congeſtoria commotio ad pectus vehementius quidem urget & inſiſtit, ſed ad promptum & ſufficientem exitum non pertingit, quin potius infarctus, ſtaſes, inflammationes aut corruptiones pediſſequas habet.

§. XI. Abſoluitur Hæmoptyſis congeſtoriis ſangvinis motibus, ad pectus directis, e quo etiam citra ullam violentiam aut craſſam & vehementem cauſandi rationem, ſed communiter tacite ſuccedit, proinde ſtata tempora & annuas periodos in recurſu ſuo ſervat, ſed ſubinde moderatis aliis ſangvinis ſubtractionibus artificialibus mitigari poteſt, utpote quæ circumſtantiæ activam Hæmoptyſeos rationem comprobant & paſſivam declinant.

§. XII. Concurrunt vero ad hanc Hæmorrhagiam diverſæ aliæ cauſæ impulſivæ, antecedentem moventes, occaſionales, remotiores quidem ex parte,

ut ſunt Hæmorrhagiarum narium, Menſium aut Hæmorrhoidum ceſſatio, paulo propiores vero, adhuc tamen remotæ, ut frequens, ſtrenua aut operoſa pectoris commotio, animi præceps & iracunda perturbatio, corporis & ſimul ſangvinis exæſtuatio & admiſſio aut ingeſtio talium ſubſtantiarum quæ ullo modo ſangvinis motum augent & impellunt.

§. XIII. Cum ejusmodi ſangvinem e pectore excretoriis conatibus & congeſtoriis contentionibus cohærent quædam pathemata, hanc Hæmorrhagiam ſtipantia, ut anguſtia in pectore & circa diaphragma, ſenſus reniſus in pulmonibus, ſtrictura ſubtilis & ſenſibilis in confiniis pectoris, tonica extremitatum corporis occluſio & ſangvinis ad interiora repreſſio.

§. XIV. Et ſi motus tales aut molimina hæmoptyica ad verum ſuum effectum & ſcopum non pertingunt, tunc tranſeunt in ſpecimina ſpaſtica, inflammatoria, anguſtatoria, rheumatica, aut conſtantius pectus oppreſſoria & oppletoria, phthiſica, aut in confiniis pectoris alia ulceroſa, turgefactoria, interdum ſcirrhoſa & alia anomalicorum decurſuum hæmoptyicorum conſectaria.

§. XV. Hæmoptyſis quæ Menſes aut Hæmorrhoides excipit, conſiderari debet ut vicarius naturæ actus, quæ per ſuperiorem regionem ſangvinem ſuperfluum expellere contendit, quem de præſenti ob varia impedimenta per inferiora loca exonerare non poteſt: adeoque hic recurſus ſimiliter activus, minime vero paſſivus eſt.

CAPUT IV.

DE

VOMITU CRUENTO.

§. I.

HÆc Hæmorrhagiæ ſpecies conſiſtit in eructatione ſangvinis per Vomitum repetitum ex ventriculo, & uti hactenus recenſitæ Hæmorrhagiæ, ſimiliter ſponte oritur, licet in Hiſtoria practica occurrant Vomitus Cruenti cum corroſivis, virulentis, draſticis & vehementer emeticis ſubſtantiis provocati, vel ex qualicunque hyperemeſi & violento modo producti, quorum tamen hoc loco mentionem non facio.

§. II. Egeritur vero per vomitum ex ventriculo cruor & non floridus aut fluidus ſangvis, ſed coagulatus, ſpiſſus, in fruſtis notabilis magnitudinis conſiſtens, qui quam primum ex inducta apertura intra ventriculum emanavit, per aliquam moram illic detentus & a reliquiis aceſcentibus ventriculi alteratus & coagulatus, denique in tali notabili copia repetitis vomitibus expellitur.

§. III. In-

§. III. Infrequentior hæc Hæmorrhagia præ plurimis reliquis & ſubinde ſequiori ſexui familiarior quam virili eſt, licet teſtimonia practica comprobent, quod in confirmatis hypochondriacis, ſpleneticis & perturbatis hæmorrhoidariis viris aliquando evenerit, de quo phænomeno obſervatores erunt conſulendi: interim fœminæ huic motui cruentum Vomitum reſpicienti facilius ſubjiciuntur.

§. IV. Et licet hi motus rarius ad ultimam actualem perruptionem pertingant, tamen frequentius in conatu & molimine ad eandem tendente, conſiſtunt, quod molimen viri ſub prædictis tamen circumſtantiis interdum experiuntur: quoad eventum vero ſive perfectam ſangvinis eruptionem in fœminis familiarius quam in viris Vomitus Cruentus occurrere obſervatur.

§. V. Quando hic Vomitus occurrit, adultiores magis ætates corripit, non tamen ſenectuti propiores, ſiquidem in fœminis communiter illam periodum comitatur, qua menſtruæ purgationes adhuc vegete ſuccedere debent, cujus anomalicum decurſum hæc ſangvinis excretio nunc ſupplet.

Conf. Stahlii Diſp. de Motu Tonico Vitali.

§. VI. Quoad hiſtoricum ſuum conſpectum obtingit hic Vomitus in ſubjectis plethoricis, vel antehac Hæmorrhagiis facilioribus obnoxiis, vel in easdem tamen inclinantibus, animi pathematibus potentioribus expoſitis, imprimis vero fœminis menſium vitiis defectivis laborantibus: antecedunt alvi inordinati ſucceſſus: excipiunt inſignes anguſtationes præcordiales & in hypochondriis, appetitus eſt dejectus: cardialgia proclivis eſt in Lipothymiam, caput eſt perturbatum, affligunt in ſiniſtro hypochondrio intenſiores anguſtationes & tenſiones: ſupervenit nauſea, denique conatus vomendi ſuccuſatorius magis magisque increbeſcens, qui in actuales ſangvinolentos vomitus deſinit, quales vomitus poſt aliquam moram repetunt & ita ſucceſſive notabilem ſangvinis quantitatem excutiunt.

§. VII. Singulares adhuc hæ merentur annotari circumſtantiæ, quod Vomitus Cruentus in fœminis cum menſtruis periodis revertatur, non æque in viris, nam in hisce circa æquinoctialia tempora talis conatus denuo inſultat: perinde in viris impetuoſior & periculoſior exiſtit, neque ita ſponte ceſſat ut in fœminis, licet interdum quoad impetuoſum ſuum ſucceſſum gradu variet & cum maxima, repentina & immoderata efficacia decurrat: unde etiam frequentius repetens in quolibet ſexu magis periculoſus eſt & graviores conſecutiones minatur.

V. VIII. Cum hoc Cruento Vomitu tam concurrunt quam eundem certius ſequuntur irregulares Menſium ſucceſſus & motus, ſiquidem ſucceſſive hanc Hæmorrhagiam excipiunt affectus cachectici, œdematoſi, hydropici, importunio-

niores hypochondriaci, hysterici, splenetici, melancholici, hectici, scirrhosi interni, colici, convulsivi, suspecte icterici aut inflammatorii aliique.

§. IX. Est vero Vomitus Cruentus actus naturæ, quo sangvinem in hypochondriorum & reliqui abdominis regione maxime molestum per ventriculum eliminat, quem ob varios difficultates deorsum vel per uterum vel per hæmorrhoidalia loca educere non potest: quem actum etiam natura ita condigne instruit & interdum etiam absoluit ut hypochondriorum regio a sangvine tali molesto liberetur.

§. X. Dum enim vel per Menses vel per Hæmorrhoides sangvinis ad Venam Portæ refluens exoneratur, ita si hisce Hæmorrhagiis aliquod impedimentum supervenit salutari & rationali inventione motus congestorius & excretorius ad ventriculum applicatur, ex cujus tunicis sangvis per vasa brevia refluit in venam splenicam & ex hac in venam portæ: unde contingit, si ostiola horum vasorum brevium intra ventriculi cavitatem erumpunt, ut similiter Vena Portæ ventiletur ac si Menses vel Hæmorrhoides successerint.

§. XI. Quare Vomitus Cruentus vicaria naturæ operatio est & insolitas Mensium aut Hæmorrhoidum vias constituit, non vero propterea penitus confusa aut simpliciter perniciosa, unde motus ad Vomitum Cruentum spectantes tam Mensium quam Hæmorrhoidale negotium sedulo comitantur & per exquisitas periodos, Mensibus vel Hæmorrhoidibus familiares, recurrunt; quid quod tunc iterum remittunt & ventriculum deserunt, quando Menses aut Hæmorrhoides in justum ordinem restituuntur.

§. XII. Sicut vero Menses & Hæmorrhoides motibus congestoriis & interdum moderate spasmodicis obsoluntur, ita vicarius hic actus simili tonici motus gradu & augmento administratur, licet ad alia tantum loca applicetur, e quibus tamen sangvis extra corpus duci & pelli potest, & meretur certe harmonia hujus actus cum negotio Mensium & Hæmorrhoidum, nec non harmonia motuum & consensus progressus sangvinis bene pensitari.

§. XIII. Ex hisce motibus strictoriis, superiorem regionem hypochondriorum & viciniam diaphragmatis atque pectoris occupantibus, oriuntur pathemata illa angustatoria, tensoria & similia in hisce confiniis & locis occurrentia, quæ toties remittunt, quoties illa molimina hæmorrhagica acquiescunt & hæc toties cessant, quoties vel actualem eruptionem nacta, vel per aliquam temporis moram hunc finem prosecuta sunt.

§. XIV. Unde Historia anatomica comprobat, quanta efficacia sangvis congeratur & restringatur versus ventriculum & quomodo tam Lien, quam Vasa Brevia & Vena Splenica inturgescant ob spasmodicam strictúram circa ingressum hujus venæ splenicæ in truncum venæ portæ susceptam, quo reflagnans sangvis

sub

ſub ultima tunicarum ventriculi torſione mediocriter ſpasmodica erumpat: interim obſervarunt in eodem opere committendi Vomitus Cruenti autores, quomodo interdum hæc ſangvinis reſtrictio, ad alia loca vel ventriculi, vel inteſtini duodeni vel reliquorum annexorum jejunorum inteſtinorum directa & eruptio ſimilis intra eadem obtenta fuerit, facilius interim, ob teneriorem ventriculi conſtitutionem, ubi vaſa brevia ſangvinem revehunt, eruptio intra ventriculum fieri poteſt, quam alibi.

§. XV. Quamquam vero principalior ſcopus ſit cum hiſce motibus ad ventriculum tranſeuntibus, ſangvinem ſuperfluum exturbare, tamen ſecundarius adhuc finis in conſiderationem venit, quando videlicet ſpiſſus ſangvis, qui venæ portæ ſyſtema adeo impedit & diverſas ſuſpectas ſtagnationes aut ſtaſes minatur ad talem exonerationem urgetur, ut ventilata hoc modo vena portæ, reliqua ſangvinis quantitas commodius profluere, aut facilius dilui & attenuari poſſit.

§. XVI. Haud vero veritati conſonæ ſunt illæ opiniones, quæ Vomitum Cruentum ſimpliciter adſcribunt phyſico-mechanicæ qualitati, vel affectorum locorum oppletioni, vel reſtagnationi, vel obſtructioni viſcerum, vel acrimoniæ & aciditati hypochondriacæ ſangvinis, vel corroſivæ acrimoniæ reliquarum in ventriculo deliteſcentium materiarum, quippe quæ traditiones inprimis repugnant periodicis Vomitus Cruenti recurſibus & exacerbationibus ab animi pathematibus accedentibus, ſiquidem hæc magnam vim habent pro Vomitu tali vel revocando vel exaſperando.

§. XVII. Et cum hæc vicaria actio vt extraordinaria non modo, ſed plane inverſa ſit, ita ad illius adminiſtrationem & efficacem deductionem non tantum vires neceſſariæ, ſed & reſolutio moralis requiritur, quæ cum non in omnibus ſubjectis, ita vegeta & præſentanea eſt, ita in hiſtoria practica obſervatur, quomodo ſubjecta hisce moliminibus & effectibus Cruenti Vomitus obnoxia, præ aliis, quoad animum activiora exiſtant & ad immoderatiores patheticas, inprimis iracundas, commotiones proniora.

§. XVIII. Denique hæc molimina vicaria hæmorrhagica, fœminis præ viris familiariora eſſe deprehenduntur, quia fœminis magis familiare eſt ſangvinem profundere & dimittere, nimirum per Menſes, quam viris: unde ſpasmi illi ad Vomitum Cruentum tendentes, in fœminis ſunt vegetiores, acerbiores & breviores.

CAPUT V.

DE

MENSIUM FLUXU LEGITIMO.

§. I.

UTerina hæc Hæmorrhagia in ordinario ſtatu omnibus fœminis, in juſtæ ætatis periodo comprehenſis, familiaris eſt, ita quidem ut certo termino annorum inchoet & iterum ceſſet, certis vero & exquiſitis hebdomadarum decurſibus recurrat & per menſtruam periodum ſeſe legitime determinet, unde menſium appellationem nacta eſt, atque hoc ipſo ſtatario ſuo recurſu menſtruo, nec non reliquo generico juſto initio & exitu comprobat, quod ad peculiarem uſum deſtinata ſit.

Conf. Stahlii diſp. de Menſium Muliebrium Fluxu ſ. n. & ſuppreſſione p. n.

§. II. Quapropter fœminæ ex legitimo hujus menſtrui fluxus ſucceſſu & recurſu, ſuam ſanitatem tuentur & viciſſim ex vitioſo ejusdem ſtatu multis & ſonticis ægrotationibus ſubjiciuntur, ita ut colligere facile liceat, quomodo hæc purgatio rebus non naturalibus accenſeri mereatur, quæ omnino ad ſanitatem conſervandam & confirmandam ſpectat, & quomodo in hac Hæmorrhagiarum ſpontanearum ſpecie, evidenter ſalubritas quædam directa commonſtrari queat, dum ſangvis ſub præſentibus circumſtantiis ſuperfluus, ſtatis temporibus aut periodis imminuitur & evacuatur.

§. III. Sangvis qui per Menſes profunditur ſincerus eſt & ejusdem bonitatis ac reliqua individui maſſa, niſi per accidens ipſi, dum genitalia transgreditur in fœminis, præcipue laſcivis, orgaſtica quædam ſpermatica inquinamenta communicentur, per quæ poſtmodum diverſos illos effectus, qui virulentiæ alicui occultæ vulgo attribuuntur, exſerit, qui in alteratione craſeos humorum & perturbatione motuum vitalium conſiſtunt & cardialgicis, ſyncopticis, convulſivis, emeticis, inflammatoriis, febrilibus, phreniticis & ſimilibus pathematibus ſeſe produnt.

§. IV. Proſluit hic ſangvis vel ex venulis cervicem uteri ingredientibus & ſangvinem tam ad venam portæ quam iliacas internas revehentibus, vel ex venulis vaginæ uteri, quæ ſimiliter per propagines quasdam ſangvinem aliàs in venam portæ reducunt: qua conſideratione nititur harmonia affectuum tam Menſium negotium, quam progreſſum ſangvinis per Venam Portæ & per ramos iliacos concernentium, unde evidentior occurrit demonſtratio, quam ſi nimis generalis nervorum conſenſus aut obſcura & innominata obſtructio occuſatur.

§. V. Oriuntur Menſes in fœminis jam pubertatis tempora ingredientibus, circa annum decimum quartum, utpote qua ætate eædem ad concipiendum & geſtan-

geſtandum fœtum habiles exiſtunt: deſinunt vero circa quadrageſimum nonum ætatis annum, adeoque circa finem ſeptimi annorum ſeptenarii, quo tempore etiam fœminæ naturaliter & per ætatem ſterileſcunt: quemadmodum illo tempore, natura humana a ſui corporis nutritoria confirmatione activitatem hactenus continuatam abſtrahit & reliquæ conſervatoriæ operationi applicat: unde peregrini corporis ſuſtentationem reſpuit & connexas reliquas operationes emittit.

Conf. Stahlii Progr. de Sterilitate fœminarum per ætatem.

§. VI. Habet itaque hic menſtruus fluxus exactam ſuam relationem & conſpirationem cum negotio conceptionis & geſtationis fœtus in utero, quare facta hac conceptione fluxus hic ſubſiſtit, dum ſangvis nunc ad formandum fœtum applicatur, niſi una aut altera vice per initia conceptionis Menſes in fœminis vel plethoricis vel activioribus recurrant, cum tanta alimenti copia exiguus adhuc fœtus non indigeat: proinde idem menſtruus fluxus tam diu deficit quam diu fœminæ infantem ſuum lactant, qua occaſione in conſiſtentia lactis illa ſubſtantia excernitur, quæ alias in augmentationem ſangvinis cederet.

§. VII. Extra hanc geſtationem & lactationem in ordinario ſtatu & tempore, Menſes fluunt & quidem per aliquot dies, ut quarta totius recurſus ſeptimana ad hanc purgationem applicetur, ab hinc vero per tres hebdomadas menſes iterum acquieſcant atque denuo quarta ſeptimana revertantur & hoc ordine atque modo menſtruam periodum abſolvant.

§. VIII. Fluxus ipſe non eſt ſimultaneus aut prodigus: interim firmiori ſanitate gaudent fœminæ, quando largius ſuccedit, & facilius ægrotant ſi parcius promanat: raro vero in exceſſu peccant menſes, frequentius tamen in defectu, neque ab exceſſivo menſium fluxu tam fontica & tot conſectaria extimeſcenda ſunt, quam a defectivo; quod poſterius vitium innumerorum pathematum mater & nutrix exiſtit: ſi vero exceſſus menſium ſimul & ſemel obruit, gravia æque exinde damna erunt metuenda & expectanda.

§. IX. Vulgo etiam denominantur Menſes, purgatio lunatica, eo, quod a quibusdam fluxus hic efficaciæ influxus lunaris adſcribitur, aut quod circa eminentiores lunæ mutationes revertitur: prior ſententia eſt nuda perſvaſio, poſterior non abſoluta eſt, licet quibusdam circa evidentes tales lunæ phaſes, inprimis vero circa novilunium obtingat, cum tamen multis extra hæc tempora eveniat, adeo ut non æque luna talem fluxum neceſſitet: quemadmodum vero in diverſis ſubjectis ordinariæ excretiones circa ejusmodi ſolemnia tempora interdum, licet ex alia quam mere phyſica cauſa, alterentur, ita hæc ſangvinis evacuatio aliquando in eadem tempora incidit.

§. X. Quando Menſes extra fœtus præſentiam in utero deficiunt & ceſſant, morbidum omnino ſtatum cauſantur, ſi vero poſt factam conceptionem

emanent, per ſe nihil morbidi inferunt, quod teſtimonium eſt relationis fluxus menſtrui ad negotium formationis fœtus in utero: redeunt inde menſes ſi fœtus extra uterum excluſus & infans lactationi ſubtractus eſt, ex quo ſangvis denuo in ſuperfluam quantitatem tranſiens, per conſueta loca educitur.

§. XI. Erumpunt Menſes, legitime conſtituti, tacite & ſine ullo doloris aut moleſtiæ ſenſu, ſi vero in diverſis ſubjectis ſangvis eſt ſpiſſior, viæ ſunt ſtrictiores, quantitas ſangvinis valde turgida & immoderatior impulſus ſangvini conciliatur, tunc proxime ante eruptionem varii dolores corripiunt & quidem tenſorii, ſtrictorii, ſpasmodici, anguſtatorii, torminoſi, cardialgici, diſtenſorii in abdomine & regione inguinum atque interdum hypochondriorum.

§. XII. Sub Menſium fluxu vix aliæ moleſtiæ corripiunt, quam animi torpor, corporis laſſitudo, inprimis femorum, lumborum & pedum fatigatio, appetitus moderata imminutio, extremitatum aliqualis frigidior conſtitutio, pallor faciei, genarum & labiorum, livor oculorum, animi impatientia & faſtidium, ſub qualicunque voluntaria commotione corporis citior defatigatio & mitior difficultas reſpirandi, ſub inſolitis corporis motibus; quibus vero hic fluxus non modo impeditius erumpit, ſed & difficilius ſuccedit in illis præter multa alia incommoda capitis dolores ingruunt, & de anotericis congeſtionibus ſangvineis teſtimonium perhibent.

§. XIII. In fœminis plethoricis, agilibus, iracundis, laſciuis, mobili vitæ generi addictis, laute etiam viventibus & voluptuoſis, communiter Menſes largius fluere ſolent, quæ annotatio & diſcretio inter notabilem & conſvetum largum menſium fluxum in praxi medica non exiguum uſum habet, cum interdum ſub notabili Menſium ſucceſſu tamen defectivus aut inſufficiens fluxus, qui conſuetæ largiori evacuationi non reſpondet, lateat.

§. XIV. Sunt vero Menſes exquiſite ſalutare opus naturæ, quo ſangvinem ſuperfluum pro fœtu aſſervatum, in hujus defectu, vel exiguo admodum ſtatu, per uterum certis, proportionatis & deſtinatis temporibus ſufficienti quantitate eliminat: quam ſalubritatem totus Menſium conſpectus hiſtoricus, tam diagnoſticus quem prognoſticus comprobat: unde præter commodam & neceſſariam occaſionem reſtitantibus Menſibus variæ afflictiones ſuperveniunt.

§. XV. Et hoc opus activum naturæ directorium comprobat, tam ſtato & exquiſito ſuo initio & fine, quam periodica & menſtrua ſua recurſione, ſiquidem alias rationali diſpenſationi naturæ adſcribendus eſt juſtus temporum ſelectus, juxta quem ſingulares functiones per ſeptenarias annorum, menſium & dierum mutationes ordinat & adminiſtrat, unde ſecundo annorum ſeptenario exeunte menſes incipiunt, & ſeptimo ſeptenario annorum excurrente, menſes definunt.

§. XVI. Similis ratio valet de menſtrua hujus uterinæ hæmorrhagiæ purgatione,

tione, quam criticæ menſuræ & rationi adſcribo, ſiquidem materiarum non repente nocentium ſingulares & extraordinariæ, adeoque eccriticæ evacuationes circa tertii ſeptenarii finem ſuſcipiuntur: cum vero jam applicatio ſangvinis menſtrui certis menſium terminis reſervatur, dum per novem menſes fœtus in utero geſtatur, ita abſente fœtu, evacuatio hujus ſangvinis, pro eitori corporis liberatione, circa exitum tertiæ ſeptimanæ, per quartam adminiſtratur, & eo ipſo menſtruus terminus obſervatur.

Conf. Stahlii Progr. de fluxus Muliebris quatenus Menſtrui cauſa.

§. XVII. Cum fœminæ ad concipiendum deſtinatæ ſint, ita in iisdem ſemper apparatus ſangvinis adeſſe debet, quo fœtus ſuſtentari queat; quando vero hic deficit & interea ſangvis copioſius per multas arterias largius ad uterum appellitur, ita evenit, ut dum tam copioſum ſangvinem ſine metu imminentis ſtagnationis aut ſtaſeos pauciores venæ non recipiant, propterea hæc pars, nimirum uterus, a ſuperfluo ſangvine liberetur, qui alias ad uterum, fœtu præſente, dirigitur & deſtinatur.

§. XVIII. Adminiſtratur hoc negotium motibus congeſtoriis, circa uterum applicatis & quidem cum citiori effectu, quo magis ſufficienter ſangvis eſt fluidus & viæ perviæ ſunt, neque aliæ cauſæ impediunt: ſi vero difficultates quædam intercurrunt, tunc ex augmento motuum majori & retardata eruptione atque partium & viarum oppletione, prædicta incommoda oriuntur, quæ ad tonici motus augmenta & partium tum affectarum tum vicinarum oppletiones & infarctus referri merentur.

§. XIX. Dum porro ad hunc actum extraordinarium etiam extraordinariæ vires & motuum applicationes, ſangvinis ad interiora loca reſtrictiones, nec non ſuperfluæ quantitatis ſangvinis eliminationes pertineant, ita ob has rationes animi torpor in moralibus, appetitus imminutio & reliqua prædicta phænomena oriuntur: quo magis vero ordinarie animus eſt alacris in actionibus ſubeundis, eò promtius & copioſius etiam hæc evacuatio menſtrua ſuccedit.

§. XX. Quod ſi itaque natura in hoc opere turbatur, non modo conſveta illa ſuperflui ſangvinis imminutio offenditur, ſed & uterus eo magis periculoſis futuris infarctibus ſubjicitur & ad ſubeundas ſuſpectas ſtaſes præparatur, quid quod reliquum corpus cum nimia ſangvinis quantitate oneratur, ſubinde actus connexi ſe- & excretorii perturbantur, & in reliqua habilitate & promtitudine concipiendi & geſtandi fœtum iners & tædioſa redditur natura, ſiquidem communiter ejusmodi Menſium vitia, ſterilitatem fœminarum pariunt, quo propterea in cauſis ſterilitatum explorandis animus advertendus erit.

Conf. Stahlii Diſp. de Sterilitate Fœminarum.

§. XXI. De reliquo tam in hiſtoria quam experientia medica memori mente tenendum eſt, quomodo in multis ſubjectis, Menſes per juſtam ætatis periodum ceſſantes initia diverſorum morborum fiant, & talium quidem, qui ad menſtruam ſangvinis imminutionem retroſpiciunt, eandemque aliquo modo eminus & quaſi a tergo proſequuntur: ubi non rarum eſt obſervare ſchemata hyſterica, ſpasmodica, colica, ſemi convulſiva, aut ex abrupto erumpentes immodicas uterinas hæmorrhagias, quæ extra menſtruum terminum prodeunt, & cum diverſis ſpasmodicorum motuum gradibus & augmentis urgentur & excipiuntur.

Conf. Stahlii Diſp. de Fine Menſium initiis morborum variorum opportuno.

CAPUT VI.

De

IMMINUTIONE ET SUPPRESSIONE MENSIUM.

§. I.

PRæcedens tractatio, qua Menſium Fluxum Legitimum commendavi, ducit me ad conſiderationem vitioſi Menſium progreſſus, & primo quidem loco ad defectivum Menſium fluxum, qui vel in inſufficienti ſangvinis excretione per uterum adeoque imminutione, vel in plenaria ſuppreſſione aut abſoluto defectu conſiſtit, quando per plures menſes imo integrum annum, & quod adhuc excurrit, menſes ſubſiſtunt & varias morbidas affectiones pariunt.

§. II. Et tales quidem defectus menſium non modo frequentius occurrunt quam exceſſus, ſed & numeroſiora pathemata poſt ſe trahunt: unde partim in ſe ſpectati difficilius medicis directionibus obtemperant, partim conſequentes hæ multiplices periclitationes deterioris magisque refractariæ indolis eſſe deprehenduntur, cum contra exceſſus paulo facilius adhibitis admiuiculis obſecundet.

§. III. Imminutio Menſium præcurrit interdum plenariam Suppreſſionem, licet hæc non raro ſimul & ſemel cooriatur, interim etiam interdum prior in ſuo ſtatu continuat & contumaciter perſiſtit, neque in perfectam Suppreſſionem degenerat: uterque vero ſtatus morbidis concurſibus & conſecutionibus eminentibus vel evidentibus ſubjectus eſt, & quandoque tanto gradu affligentibus, ut vix ex hisce pathematibus diſcretio inter Imminutionem & Suppreſſionem inſtitui poſſit.

§. IV. Ad defectiva hæc Menſium vitia efficaciſſime contribuunt animi

pathemata, imprimis terror, multus timor & mœror, desiderium cum anxietate & sollicitudine conjunctum, proinde etiam communia diætæ vitia, imprimis sub mensium fluxu commissa, vita multum sedentaria, potus parcus, alvi constat s occlusio, repentina corporis, imprimis pedum, refrigeratio, animi consvetus torpor & dejectio, adstringentium ingestio & qualiscunque primarum viarum offensio spasticas strictvras excitans, quæ potiores causæ sunt, ad quas reliquæ specialissimæ commode referri possunt.

Conf. Stahlii Disp. de Mensium Muliebrium Fl. s. n. & Suppressione p. n.

§. V. Quando Menses insufficienter fluunt aut plane suppressi sunt, ferme eadem pathemata affligunt, ex quibus hæc sunt familiariora: cruciatus spastici, tensorii, torminosi in abdomine, alvi siccitas & segnities, urina pallida & turbida, molestiæ cardialgicæ, difficilis respiratio & pectoris oppressio, maxime vero quando loca sublimia ascendunt, appetitus inordinatus, & post assumtos cibos pressio & angustatio in ventriculo, pedum intumescentia, capitis dolores & temulentiæ, flatulentiæ, insolita abdominis durities & alternans inflatio, lassitudo membrorum & facilis defatigatio atque varia alia adhuc specialiora, quæ cum hactenus dictis conveniunt.

§. VI. Ad hos Mensium defectus tam juniores quam adultiores fœminæ dispositæ sunt, citius vero priores admodum sensibiles, licet non raro contingat, ut ante justum terminum ex levi causa & occasione in adultioribus fœminis menses subsistant: quanquam in hac circumstantia singularis naturæ moderatio & activitas annotanda sit, quæ maturius inchoato mensium fluxu & negotio, tot etiam annis maturius desinit & cessat, & vice versa.

§. VII. Præter hactenus commemoratas defectivi vitii fluxus Mensium occasiones, merito accenseo insolitas excrescentias sive actuales molas, quæ in utero detinentur & vices fœtus in tantum supplent, unde a retento sangvine magis magisque obfirmantur & augentur, quæ interdum ob magnitudinem suam uteri orificium occludunt & multifaria incommoda pariunt.

§. VIII. Imminuuntur vero vel supprimuntur Menses per motus constrictorios spasmodicos in utero & circa illum contingentes, sicut prædictæ causæ, quæ ad hunc defectum disponunt, communiter illius efficaciæ sunt, quo vel repentinas vel vehementes & contumaces spasmodicas strictvras, sive in intestinis, sive in universo corpore, sive in proximis uteri regionibus, sive in inferioribus locis excitent, quæ proinde hoc tempore in illum locum transeunt, in quo extraordinaria naturæ activitas occupatur.

§. IX. Memori vero mente tenenda est illa consideratio motuum spasticorum, in intestinis & reliqua Venæ Portæ connexione: cum itaque motus sangvinis per uterum & ex illo consentiat cum motu progressivo sangvinis per Venam

Por-

Portæ, adeoque per venas gaſtricas, meſentericas, ſplenicam & ſimiles, ita facilius connexio inveniri poteſt inter diætæ vitia & perturbationes menſium, quam inter ſalſedines ſupppoſitas, ſuſpectas & efficias & Menſium defectus.

§. X. Si itaque contingit, ut in inteſtinis inſolitæ ſpaſticæ commotiones ſuſcipiantur, evenit ut hæmorrhoidalis interna vena (quæ ramulos ab utero exipit) & per connexionem & tranſitum motuum ſpasmodicorum, hæ propagines uterinæ motu hoc inſolito ſtrictorio afficiantur: ſicuti talis ſtrictura in ventriculo facta per venam ſplenicam in hæmorrhoidales & uterinas denique regiones operatur, ut eo planius ex hoc conſenſu turbæ Menſium ex diverſis ingeſtis ortæ, cognoſcantur; quæ etiam ingeſta propterea hoc maxime tempore, quando Menſes fluunt, adverſum talem effectum exſerunt.

§. XI. Principaliora itaque pathemata in hiſce affectibus per motus ſpasmodicos in Venæ Portæ ſyſtemate ſeſe exſerunt & Ventriculum, Splenem, Inteſtina imo Hepar in conſenſum trahunt, ſiquidem per tales ſpasmodicos motus vel proxime vel eminus, vel congruis vel incongruis locis menſtruus fluxus urgetur, aut abundans nunc ſangvis præter conſvetudinem & quaſi præter privilegium fœminarum moleſtus quaquaverſum comprimitur, ne ullibi in ſtaſin ruat, aut partem obruat, & oppleat, ſed vel progreſſum neceſſarium vel exitum inveniat.

§. XII. Et cum hiſce circumſtantiis hactenus indicatis, cohærent reliqua ſymptomata, quæ vitiatam Se- & Excretionem, ſucceſſivam ſangvinis depravationem, viſcerum infarctum, habitus corporis deteriorationem, virium languorem, functionum animalium torporem & iacturam concernunt: dum partim ad coacervationem ſangvinis, nec non ad ſpasmodicos illos exorbitantes & varias partes invadentes motus & ordinariarum excretionum negligentiores vel impediti-ores ſucceſſus reſpiciendum eſt.

§. XIII. Dum vero neque citius neque efficacius ejusmodi ſpasmodici conſtrictorii & deobſtruentes motus, niſi ſub animi pathematibus prædictis occurrunt, ita horum repentina & prompta efficacia in alterandos menſes evidens & quotidiana eſt, imo etiam ita contumax, ut ægrius medicis uſibus & directionibus obtemperet, hinc conſectaria Menſium per animi motus imminutorum aut ſuppreſſorum acerbitate & pluralitate aliarum cauſarum ad eundem effectum concurrentium conſecutiones ſuperant.

§. XIV. In fœminis paulo adultioribus hæc defectiva Menſium vitia proxime ad affectus hypochondriaco-hyſtericos diſponunt, qui in abdomine & præcipue in ſyſtemate Venæ Portæ & connexis viſceribus cruciatus ſuos exſerunt & partim promotioni partim emotioni ſangvinis dicantur: inprimis vero inter alia pathemata quæ Menſium defectus excipiunt notari debent molimina ad Vomitum Cruentum ſpectantia, cardialgica, ſyncoptica, anoterica torminoſa & ſiniſtrum

niſtrum hypochondrium evidentius affligentia, ſiquidem hyſterico - emetica illa ſymptomata ſpasmodicis illis motibus circa ſplenico - hæmorrhoidalem ramum contingentibus nituntur.

CAPUT VII.

DE

MENSIVM ANOMALIIS.

§. I.

QUamquam hactenus variæ Menſium ataxiæ commemoratæ ſint, tamen hoc loco ſeorſim, breviter tamen, anomalicos Menſium ſucceſſus indicabo: conſiſtunt vero hæ irregularitates in eo, quod menſtruus fluxus neque proportionato motu, ſed vel excedente vel deficiente conamine, neque in congruis locis & regionibus, neque debito tempore urgeatur, ſed diverſa incommoda ſive ſub largo & excesſivo, ſive parco, ſive ſuppreſſo plane ſtatu eidem inferantur.

§. II. Anomaliæ tales circa menſtruum fluxum ſuccedentes minime infrequentes ſunt, ſed diverſis Menſium vitiis ſeſe jungunt & contumacius per diuturnum ſatis tempus inſiſtunt, quin magis magisque increbeſcunt & periculoſas conſecutiones involvunt, aut interdum talem morborum faciem aut ejusmodi ſchemata aſſumunt, qualia ſunt convulſiva in corpore & delira in animo, quæ ſecundum vulgarem pathologiam, vix facile cum menſtruo negotio comparari poſſunt.

Conf. Diſp. mea de Menſium Anomaliis.
de Menſium Anomaliis convulſivis.

§. III. Plurimum vero hæ irregularitates motibus vitioſis & exacerbatis nituntur, unde indoles earundem eo contumacior & immoderatior exiſtit, facilius enim motus incitari poſſunt, quam materia alterari: interim nonnunquam alterata ſangvinis conſiſtentia occaſio eſt, quo motus tales menſtrui unà alterentur & in tales evagationes degenerent, quæ ſub diverſis pathematibus, doloribus & effectibus ſeſe produnt.

§. IV. Sunt vero talia pathemata ferme innumera, quæ præcipue principalem ſuam ſedem in abdomine habent, & communiter ſpasmodico - convulſivis motibus ſeſe produnt: ut ſunt pertinaciores ſtricturæ, torſiones, colicæ, teneſmi, alvi obrigeſcentiæ, inteſtinorum, meſenterii & uteri ſemi convulſivæ ſuccuſſatoriæ commotiones, concuſſiones diaphragmatis, ventriculi, ructus anxii, cardialgiæ frequentes, affectus ſplenetici, motus vomibundi, cordis palpitationes, op-

preſſione; pectoris repentinæ, actuales convulſiones in externis membris varie, mutantes, deliria & multa alia.

§. V. Superveniunt tales anomaliæ facilius fœminis animo ſenſibilioribus magisque immoderatis & per varias cauſas tum morales tum phyſicas, ſive ideales & materiales exacerbatis, frequentibus patheticis commotionibus obnoxiis, cæteroquin admodum immorigeris, impatientibus & inquietis: ſiquidem in tali anomalia excitanda multum valet hæreditaria diſpoſitio: utpote qui ſinguli reſpectus, motus magis concernunt, quam materias.

§. VI. Hi motus adeo alterati minime a materia quadam, cujus qualitas demonſtrari non poteſt, efficienter neceſſitantur, ſed potius a natura immoderate, acerbe, impatienter, impetuoſe & incontinenter menſium ſucceſſum urgente, proveniunt, quæ ſicut in moralibus certos imo interdum conſvetos fines impatienter, vehementer & auſtere proſequitur, ita in vitalibus ſimiles exorbitantias committit, adeoque erronea tali methodo menſtruam purgationem intendit.

§. VII. Sunt itaque tales anomaliæ aberrantes motus naturæ, quibus ſub maxima incontinentia & immodeſtia menſtruam evacuationem per diverſos gradus in diverſis locis & regionibus, & talibus interdum, quæ ultimis eruptionibus non facile quadrant, urget: ſunt vero talia loca, vel Hæmorrhoidalia, vel Ventriculus, vel Pulmones, vel Caput, in quibus vicariam menſtruam evacuationem, ſive per hæmorrhoides, ſive Vomitum Cruentum, ſive Hæmoptyſin, ſive Narium Hæmorrhagiam eadem natura adminiſtrat, quæ cum ſemel commota eſt, nimio motuum augmento ſub maxima incontinentia eandem proſequitur.

§. VIII. Et cum alias fœminarum animus in incontinentes & contumaces exceſſus inclinat, ita imprimis in hoc negotio Menſium promovendorum, (ad quod a natura deſtinatæ & quaſi privilegio quodam confirmatæ ſunt,) facile in immoderatos tales exceſſus illæ degenerant, quin interdum ſubinde ob vitalium motuum maximam incontinentiam in moralibus actionibus in confuſiones & perturbationes incidunt, & deliras actiones adminiſtrant, ita ut animus & corpus ſimul laborent: neque impedit, quo minus ſub ſtrenuo Menſium ſucceſſu motus ad hoc negotium ſpectantes excedant, adeoque talem finem & exitum immoderate & impatienter comitentur.

§. IX. Quicquid itaque ad motuum exacerbationem contribuit, illud citiſſime & efficaciſſime ad anomalias confert, unde præcipue animum ſenſibilem, immorigerum, præcipitem, exorbitantem, in patheticis moribus incontinentem, aut a nativitate erronea quadam idea imbutum, ad pravas conſvetudines pronum, mollem ac mobilem, contumacem & impatientem accuſavi, ex quo irregularitates & exceſſus tales in adminiſtrandis motibus menſtruis proxime fluunt & viciſſim per eundem contumaciter ſuſtentantur, ob id medica correctio talium,

ano-

anomaliarum tam difficilis eſt, quia earundem fundamentum tam ſubtile & intimum exiſtit.

§. X. De reliquo ad anomalicos ejusmodi motus menſtruos diſponunt, qualiacunque impedimenta, Menſium fluxui illata, imprimis hujus imminutionem vel ſuppreſſionem conciliantia, quo incommoda ſangvinis ſpiſſitudo, viarum adſtrictio & motuum ſolitorum diverſio aut inverſio referri merentur: non excluſis immoderatioribus commotionibus & impulſibus tam in humoribus quam in viis & partibus affectis & ad menſium promotionem deſtinatis, qui deinde in tales exceſſus delabuntur & legitimum ordinem transgrediuntur atque violant.

CAPUT VIII.

DE

MENSIUM DECOLORATIONE.

§. I.

AD Menſium vitia pertinent etiam illæ mutationes, quæ ſeſe in ſangvine, qui profunditur, manifeſtant, quando videlicet ille naturalem ſuum colorem non præſentat, ſed vel in conſiſtentia, vel craſi & colore valde mutatus effluit, quales Menſes veteribus medicis decolores vocantur, ex illa videlicet qualitate, qua ſeſe citius & ſimplicius ſenſibus exponunt, & ex qua certius illorum vitium agnoſci & indicari poteſt.

§. II. Ejusmodi decoloratio conſiſtit vel in ſangvine ſpiſſo, nigricante, grumoſo & ſimul parcius effluente, vel in aquoſo valde diluto, loturam carnium referente, parcius tingente, & flaveſcente, aut admodum pallido, vel juxta particulares obſervationes in ſangvine virideſcente, intenſius flaveſcente aut cum inquinamentis purulentis & ulceroſis referto, vel etiam fœtido & orgaſtico; omiſſis aliis maxime ſingularibus obſervationibus in medicina practica circa talem decolorationem occurrentibus.

§. III. Neque tantum Menſes ita decolores effluunt, ſed & communiter impeditius & parcius ſuccedunt, unde varia incommoda unà inferunt, maxime vero ſpaſtica, tenſoria, ſtrictoria, quæ vocantur a fœminis Schneiden im Leib, colica torminoſa, cardialgica, cum inordinato alvi ſucceſſu conjuncta, virium langvore & torpore in membris concurrente, flatulenta moleſtia, & interdum abdominis intumeſcentia & duritie, quæ poſt aliquam moram denuo remittit.

§. IV. Fœminæ quæ hac Menſium decoloratione laborant, præ ſe communiter ferunt morbidum & cachecticum corporis habitum, pallorem, livorem

aut ictericam flaveſcentiam faciei; utplurimum etiam ſedentariæ vitæ indulgent, parum bibunt, in irregulari & craſſa diæta verſantur, tacitis & frequentibus iracundis commotionibus exponuntur, neque regimine congruo utuntur, ſed ex diverſa occaſione variam ſangvinis depravationem & ordinariorum vitalium motuum & effectuum alterationem incidunt.

§. V. Peculiarem annotationem meretur illa, certo reſpectu dicenda, Menſium decoloratio, quando loco genuini fluxus menſtrui ſangvinei, moleſtus ille fluor albus occurrit atque Menſium vices ſupplet, ſed cum multis moleſtiis & doloribus & talibus imprimis ſtipatus eſt, qui reliqua Menſium vitia comitantur & non alterius quam ſpaſticæ indolis ſunt: qualis moleſtia & perverſa Menſium converſio in praxi medica multum laboris faceſſit.

§. VI. Nititur hoc ultimum Menſium vitium perverſo motu menſtruo, qui loco congeſtionis & eruptionis ſangvineæ materiæ lymphatico-mucilaginoſæ e genitalibus glanduloſis tunicis excretionem proſequitur & cum contumaci ſpaſtico gradu, erronea quadam methodo, urget, ut reſpectus ad menſtruam evacuationem in hac vicaria excretione occurrat, hinc & periodo menſtrua & motibus ad menſes generice & eminus conſtituendos neceſſariis aut uſitatis, abſolvitur.

§. VII. Priores vero decolorationes Menſium nituntur communiter prava tam mixtione quam conſiſtentia ſangvinis, vel uteri etiam læſione: mixtio vel de biliоſis materiis multum participat, vel vitio inſufficientis ſubagitationis cum ſero & lympha laborat: conſiſtentia eſt ſpiſſa & immobilis, quæ hisce effectibus quadrat; uteri labes conſiſtit interdum in interno abſceſſu ulceroſo, ex quo ſub Menſium fluxu unà impuritates promanant & fœtor oritur: ſiquidem aliquando in laſcivis fœminis intenſius commota & fermentativo orgaſtico motu affecta materia ſpermatica ſangvini menſtruo communicata adverſum talem fœtorem ſpargit, ut obſervatores inde obtineant variam occaſionem ejusmodi hiſtorias commemorandi.

§. VIII. Si tali modo vel in ſangvinis mixtione vel conſiſtentia, vel uteri ſtructura, læſio quædam & perverſa qualitas adeſt, tunc motus ad Menſes legitime adminiſtrandos non parum alterantur, & ad diverſos irregulares gradus & ſucceſſus diſponuntur, ſi non ob incongruam proportionem & mobilitatem ſangvinis imminutam plane impediuntur, hinc tam quoad quantitatem ipſius fluxus menſtrui, quam quoad ordinem & gradum motuum menſtruorum variæ mutationes aut diverſi defectus occurrunt.

CAPUT IX.

CAPUT IX.

DE

MENSIUM FLUXU EXCESSIVO.

§. I.

AD vitiosum Mensium fluxum pertinent etiam excessus, quando tempore menstruo Menses legitime quidem erumpentes nimium fluunt, & vel simul & semel larga, enormi & prodiga quantitate perrumpunt, vel diutius durando, sub minori licet fluxu, tamen excessum constituunt, dum non satis mature cessant, adeoque durabiliori successivo fluxu sangvinis quantitatem in individuis admodum depauperant.

§. II. Excessus vero talis in relatione ad defectum rarius occurrit, inprimis vero ille, qui circa quantitatem sangvinis versatur: licet motuum excessus, quorum hactenus mentionem feci, non similiter infrequens existat, sed diversis & multiplicibus causis & occasionibus sese jungat: interim occurrunt nonnunquam excessivi motus menstrui sine excessivo fluxu; cum ex adverso excessivus fluxus communiter per excedentes motus menstruos concurrentes sustentetur, sive hi manifesti & valde dolorifici sint, sive taciti, obscuri & intimi.

§. III. Ad Mensium excessum disponuntur fœminæ adhuc juniores, tanto magis vegetæ, alacres, iracundæ & in actionibus suis præcipites & contumaces, nec non voluptuosæ aut plethoricæ, in plena aut lauta & spirituosa, tenui diæta versantes; quibus per aliquam occasionem consuetus & legitimus Mensium fluxus perturbatus fuit, aut aliquamdiu retentus & in aliquam desuetudinem conversus alio vero tempore iterum excitatus, qui tunc facilis est in ejusmodi excessum, de quo dicunt fœminæ es sey verhalten Geblüt, welches sich jetzo reinige.

§. IV. Ejusmodi excessivo vitio Mensium expositæ imprimis sunt fœminæ maritatæ, quæ vel in puerperio prægresso variis Lochiorum perturbationibus subjectæ fuerant, vel post infantis ablactationem non ita prompte in pristinam purgationum uterinarum consvetudinem abeunt, unde denique evenit, ut hic fluxus immoderate perrumpat & in hac vehementia & excessivo successu continuet.

§. V. Proinde vero ad ejusmodi excessum disponit qualiscunque Mensium excitatio & impulsio medica per calefacientia, aut immoderata & repentina sangvinis commotio & exæstuatio, maxime circa tempora menstrua commissa, ingurgitatio potuum vinosorum & spirituosorum, diæta aromatica & tenuis & quicquid alias ad repentinas commotiones tum animi tum corporis contribuit.

§ VI. Ad excessivum Mensium successum certo respectu referri potest, nimis frequens Mensium recursio, quando videlicet intra menstruam periodum

bis occurrunt, adeoque numerica tali eruptione copiosius sangvinem projiciunt, ad quam periodi menstruæ anticipationem & frequentem aut superfluam Mensium recursionem singulæ prædictæ causæ disponunt: unde simul subjecta variis aliis connexis incommodis & pravis consectariis submittuntur.

§. VII. Raro tales excessivi fluxus sine omni sensu succedunt, quin interdum eosdem tensio & interna angustatio comitetur, sub illo vero concurrunt animi & virium languor, eximia lassitudo tum in reliquo corpore, tum in lumbis, propensio in lipothymias & mollities illa circa præcordia, es sey einem so weich-lich ums Hertz pallor & contabescentia in facie & reliquo corpore frigidulus sensus in superficie & extremitate corporis, interdum alternans incalescentia cum angustia stipata, debilitas capitis & inclinatio in somnum.

§. VIII. Absolvitur omnino talis excessivus fluxus, motu aucto & exacerbato congestorio sangvinis ad vterinas partes, & magna atque multiplici vasorum sangviferorum eruptione, quo motu durante, durat etiam prodigus ille fluxus & vice versa, ad quem propterea in medica tractatione respiciendum est, ne temere fluxus talis opprimatur, quam diu sangvis adhuc in immoderato affluxu continuat.

§. IX. Ad hunc motum excitandum satisfaciunt omnes illæ causæ & occasiones, quæ vel animum ad impetuosas & immoderatas operationes provocant, vel sangvinem valde turgefaciunt & hac ipsa spumefactoria commotione molestiorem reddunt, vel quando sangvis præter consvetudinem diutius retentus & coacervatus fuit & suppeditata quadam occasione & impulsione repente exprimitur, quo tempore nunc majori & intensiori activitate natura id supplet, in quo hactenus defecit: Sicuti ipsa sangvinis turgidior abundantia ad copiosiores profusiones disponit, quoniam eadem magis molesta & incommoda est.

CAPUT X.

DE

MENSIVM INSOLITIS VIIS.

§. I.

MEnstrua purgatio, licet multam salubritatem involuat, tamen multis etiam sinistris successibus & alterationibus subjecta est, quarum indolem tanto magis nosse refert, quia cum negotio sanitati adeo eximie subserveniente communicat: adhunc numerum sinistrorum successuum refero motus & conatus illos exquisite menstruos, qui ex aliis quam consvetis locis erumpunt, adeoque Menses ex novis, insolitis, vel plane inauditis regionibus & partibus educunt.

Conf. Stahlii disp. de Insolitis Mensium viis.

§. II.

§. II. Quamquam vero rarius contingat, ut Menſes ex aliis viis erumpant, quin familiarius & facilius deficiant, tamen molimina ad menſtruam eruptionem pertinentia haud infrequenter alias regiones atque partes occupant, licet eadem ad perfectam ſangvinis eructationem haud ſæpe pertingant: occurrunt tamen inter reliquas inſolitas Menſium vias, quædam adeo inſolite inſolitæ & præ omnibus reliquis rariſſimæ, ut tam ſingulares naturæ evagationes & locorum ſelectus mirari merito liceat.

§. III. Haud vero novas alias & inſolitas vias Menſes inquirunt, niſi ordinariæ viæ præcluſæ & impeditæ fuerint, unde communiter Menſium imminutio aut ſuppreſſio præcurrit & concurrit, ut ita defectus legitimi fluxus hac inſolita methodo, & inverſa quaſi exoneratione ſangvinis ſuppleatur: ex eo itaque ad Menſes inſolitæ hæ evacuationes referebantur, quia partim occaſione impeditorum Menſium oriuntur, partim menſtruis periodis progrediuntur.

§. IV. Fœminæ quæ Menſes ex inſolitis viis experiuntur, obſervantur eſſe admodum plethoricæ, juniores, animo & corpore alacriores, in patheticas commotiones pronæ, non nimium ſedentariæ vitæ deditæ, neque propterea ſangvinis ſpiſſitudine laborantes, interdum in lauta & ſimul ſpirituoſa diæta viventes, nec non per diverſas alias cauſas, (quibus perverſas medicationes annumero,) commotæ, & ad anotericas ſangvinis congeſtiones & reſtrictiones provocatæ.

§. V. Vſitatiores inſolitæ menſium viæ ſunt Caput, per quod Narium Hæmorrhagiæ ſuccedunt; Pectus, e quo Hæmoptyſis erumpit, Ventriculus, qui Vomitum Cruentum eructat; utpote quæ Hæmorrhagiarum ſpecies non modo Menſium vitia excipere deprehenduntur, ſed & menſtruis terminis loco Menſium, & ſuppreſſo adhuc legitimo Menſium fluxu recurrere conſpiciuntur, quemadmodum obſervatio talis non modo recentioribus medicis innotuit, ſed & veteribus & inter illos Hippocrati probe cognita fuit.

Conf. Hipp. Sect. V. aph. 32, 33. de Morb Mul. Lib. I.

§. VI. Sic etiam Hiſtoria practica reminiſcitur Menſium per Hæmorrhoides evacuatorum, per Mictum Cruentum, Sudorem ſangvineum, ex Vmbilico, e Mammis, ex Gingivis, alueo dentis, ingvinibus, pedibus, poro oculorum, vulnere, pollice pedis, reliquis digitis, unguibus, crure, ulcere, ventilatorum, de quibus ſingulis ſpeciebus inſolitarum viarum varia teſtimonia in practicis paſſim occurrunt.

§. VII. Neque ita tacite ex ejusmodi inconſvetis viis Menſes erumpunt, ſed cum inſolitus hic plane ſit actus, variæ moleſtiæ præcurrunt & concurrunt, maxime vero ſpasmodicæ, quæ communiter menſtruum negotium vel difficul-

ter

ter vel irregulariter & extraordinarie admodum ſuccedens, comitantur, quali motus gradu particulares tales ſangvinis reſtrictiones omnino indigent: unde totus apparatus inſoliti ejusmodi fluxus menſtrui morbidum ſtatum prodit.

§. VIII. Quamquam ſub Menſium legitimo ſucceſſu fœminæ ad conceptionem idoneæ exiſtant, tamen Menſibus per inſolitas vias procedentibus communiter ſterilitas fœminas obruit, quia ataxia talis reliquum ordinem concipiendi & uterina loca ad formationem fœtus adhibendi, offendit: quæ obſervatio tamen frequentiorem ſtatum concernit; cum interdum rariores quidam caſus contrarium edſſerere & continere poſſint.

§. IX. Minime vero paſſive aut fortuito ſangvis ex aliis talibus locis erumpit, quin potius per activum & exquiſitum directorium naturæ in ſubſidium legitimi Menſium fluxus ad diverſa talia loca congeratur & ex iisdem excernatur: quoniam vero actus talis plane extraordinarius & inſolitus exiſtit, ita motus, qui ad exprimendum ſangvinem pertinent, magno gradu augentur & in ſpasmos convertuntur.

§. X. Paulo proximius cum motu Menſium conveniunt reſtrictiones ſangvinis ad loca hæmorrhoidalia, ad ventriculum & veſicam ob harmoniam motus progreſſivi ſangvinis per vaſa uterina, Venam Portæ, hæmorrhoidalia & hypogaſtrica vaſa: ſi itaque contingit ut ex uterinis locis ſangvis non exprimatur, tunc motus hic congeſtorius mox in has partes applicatur, inde evenit, ut, ſi actualis eruptio ſupervenit, æque Vena Portæ, vaſa hæmorrhoidalia & hypogaſtrica leventur & ventilentur, ac ſi ſangvis ex locis uterinis effluxiſſet.

§. XI. Unde hi motus ratione menſtruæ ſuæ recurſionis apprime cum negotio Menſium congruunt, adeoque in genere ſpectati ſalutarem finem proſequuntur; & dum totum corpus, ſub dominio naturæ ſtat, ita hæc vicarium talem actum diverſis regionibus & partibus applicat, in quibus modo facilius modo difficilius finem ſuum propoſitum aſſequitur.

CAPUT XI.

DE

HÆMORRHOIDIBVS INTERNIS.

§. I.

HÆmorrhoidum appellatio licet inter veteres generalis ſit & quemlibet ſangvinis fluxum denotet, tamen etiam ſpecialem illam ſangvinis profuſionem inter veteres ſignificat, quæ ex venulis in anum ſeſe immergentibus, provenit, adeoque ſpecialem attentionem meretur, quia tam ſingularia prædicata, attributa & prognoſtica de hæmorrhoidum fluxu inter ipſos veteres proſtant & ſubinde illius ſalu-

ſalubritas multis modis ſeſe comprobat, licet nondum condigne ſatis veritas hæc agnita ſit.

Conf. Stahlii Diſp. de Hæmorrhoidum internarum motu.
de Motu ſangvinis hæmorrhoidali.
de Vena Porta, Porta Malorum

§. II. Et quamquam Hæmorrhoides a poſteritate in obſervationibus medicis aliquo modo neglectæ fuerint, proptereaque pro rariori accidente habitæ, tamen adhuc defectus illi ſuppleri poſſunt, præprimis cum ad minimum quoad maxime evidentes effectus multis jam earundem ſalubritas innotuerit, ut adeo admodum conveniat illarum veram atque legitimam indolem recte perquirere atque ab accidentalibus ſucceſſibus debite & provide diſcernere.

§. III. Teſtatur proinde experientia attenta, quod omnino Hæmorrhoidum fluxus frequentius occurrat, quam vulgo quidem reputabatur, & ſi per mala artificia & regimina non perturbatur aut præcipitatur, illius ſucceſſus frequentior omnino eſſet, quam quidem alias eſſe ſolet: licet molimina Hæmorrhoidalia etiam haud infrequentia exiſtant, quæ ſub diverſis morborum ſpeciebus & ſpeciminibus ſeſe produnt & vel fluxum hunc antecedunt, vel ſequuntur, ſi deficit aut ſuppreſſus eſt.

§. IV. Sunt itaque Hæmorrhoides vel externæ vel internæ, quamquam hujus differentiæ adeo perfecte gnari non deprehendantur veteres, niſi ex anatomicorum quorundam induſtria, hæc diverſitas magis innotuerit: ſiquidem internæ Hæmorrhoides, ex oſtiolis illius rami venoſi erumpunt, quæ per totum inteſtini recti tractum excurrunt, & ex hoc inteſtino ſangvinem in Venam Portæ revehunt.

Conf. Stahlii Diſp. de V. P. Porta malorum.

§. V. Frequentiores ſunt internæ Hæmorrhoides, quæ etiam copioſius fluunt, neque ſub tantis impedimentis ac externæ procedunt: quælibet vero talium Hæmorrhoidum cum alvi depoſitione exprimuntur, poſteaquam major vel minor conatus deſidendi præcurrit; ipſa vero actualis eruptio contingit facilius in exteriori inteſtini tractu, cujus textura tenerior eſt, quam intimior & profundior illius inteſtini ductus: abſolvitur vero talis fluxus motibus tam congeſtoriis quam ſtrictoriis & interdum moderate ſpaſticis.

§. VI. Sunt porro Hæmorrhoides virili ſexui & ætati familiariores, quam ſequiori, licet varia exempla Hæmorrhoidum in fœminis proſtent, quando Menſes ceſſare aut deficere ceperunt: adeoque tam in hoc quam altero ſubjecto inferunt præſentiam abundantiæ ſangvinis; quemadmodum temperamentum Sangvineo-Melancholicum, aut Sangvineo-Cholericum, una cum vitæ genere magis ſedentario, ad easdem diſponit, ut alias cauſas & quidem accidentales eundem fluxum provocantes non commemorem.

Conf. Diſp. mea de Hæmorrhoidibus fœminarum.

§. VII. Sangvis hæmorrhoidalis eſt ſincerus & fluidus, ni motus hæmorrhoidales difficilius & rarius erumpant, ubi interdum ſpiſſus & nigricans ſangvis effunditur: occurrit vero talis fluxus in quibusdam ſubjectis ſemel vel bis per annum, verno & autumnali tempore, in aliquibus alio ſtato termino, in nonnullis menſtrua plane periodo & quidem ſi legitime ſuccedit cum Euphoria.

§. VIII. Ex eo obſervantur Hæmorrhoides non modo ſanitatem conſervare & præſervare, ſed & eo ipſo longævitatem conciliare: ob id attenti practici hujus fluxus utilitatem probe annotarunt, & hæc ipſa etiam eſt ratio, cur in vernacula audiat der güldene Fluß, quoniam qualitates illius fluxus auro digniores & pretioſiores exiſtunt: id quod etiam a contrario demonſtrari poteſt, dum Hæmorrhoidum ſuppreſſio multorum malorum proxime conſequentium & citius increbeſcentium cauſa & origo exiſtit.

Conf. Diſp. mea de Hæmorrhoidibus Longævitatis cauſa.

§. IX. Quemadmodum vero hæmorrhoidalis fluxus bene decurrens omnino ſalutaris eſt, ita tempeſtive recurrens & a ſuppreſſione rediens, aut poſt interpoſita impedimenta congrue erumpens, multorum imminentium damnorum medicina eſt, quod imprimis valet de internis Hæmorrhoidibus, licet etiam externæ ab affectibus nephriticis, iſchiadicis, arthriticis, podagricis &c. præſervent, ſicut internæ, affectus hypochondriacos & multa alia intimiora abdominis pathemata præoccupant.

Conf. Diſp. mea de Hæmorrhoidibus Medicina hypochondriacorum.

§. X. Conſpirant non raro motus hæmorrhoidales interni cum affectu ſplenetico, imprimis vero quando ramus hæmorrhoidalis internus & ſplenicus uno oſtio coëunt, & in Venæ Portæ truncum ſeſe immergunt: & ita etiam motus ſpasmodici circa Venam Portæ decurrentes cum motibus hæmorrhoidalibus non raro conſpirant, viciſſim etiam fluxus hæmorrhoidalis internus legitime ſuccedens motum progreſſivum ſangvinis per abdomen & officia viſcerum abdominis valde ſublevat, ſiquidem viciſſim ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus internis iisdem viſceribus varia damna accidunt, quo fundamento etiam nititur conſenſus hæmorrhoidum male ſuccedentium cum ſcorbuto.

Conf. Diſp. mea de Conſenſu Hæmorrhoidum cum Scorbuto.

§. XI. Internæ Hæmorrhoides internis apparatibus atque motibus abſolvuntur & quidem congeſtoriis, preſſoriis, ſtrictoriis, magis vel minus ſpasmodicis, acerbioribus quidem, quando difficilius erumpunt, interdum vero etiam admodum lenibus & tacite procedentibus, proximius etiam in tunica inteſtini recti carnoſa & meſenterii continuatione ſive lacinia, inteſtinum rectum contingente, occurrentibus, aliquando ſine ullo ſenſu doloris & moleſtiæ, interdum vero cum

mode-

moderato teneſmo exeuntibus & poſt alvi exonerationem ſangvinem ſincerum effundentibus.

§. XII. Interdum etiam evenit, ut Hæmorrhoidibus hisce impeditius erumpentibus internæ ſenſationes doloriſicæ accidant, quaſi durior ſubſtantia intimius in inteſtino hæreat, cujus expreſſio frequentibus illis deſidendi conatibus urgetur, donec interdum hæc molimina ad actualem eruptionem pertingant, vel poſt aliquam moram iterum ceſſent: interim tale & ſimile incommodum externis Hæmorrhoidibus magis familiare eſt, quam internis.

§. XIII. Salubritas quæ ex internarum Hæmorrhoidum fluxu oritur, præcipue primis regionibus accidit, maxime vero Venæ Portæ cum ſuis propaginibus, Hepati, Spleni, Ventriculo, Meſenterio, Pancreati, toti inteſtinorum tractui & glandulis, quarum ſingularum partium functiones ex legitimo Hæmorrhoidum internarum fluxu multa commoda acquirunt; contra vero perturbationes Hæmorrhoidum internarum, primario hisce partibus harumque functionibus præjudicioſæ evadunt, quin denique in totum reliquum corpus redundant, & multiplicia ſontica morbida conſectaria pariunt.

§. XIV. Specialiora & periculoſiora conſectaria Hæmorrhoidum ſuppreſſarum ſunt inflammationes internæ, affectus interni convulſivi, ut & pathemata aſthmatica & colica convulſiva, hydrops, icterus niger, ſcirrhi ſuſpecti hepatis, hectica, vomitus cruentus, affectus hypochondriaci, ſplenetici, melancholici, maniaci & apoplectici eventus, omiſſis pluribus aliis conſecutionibus, inter quas hæ potiores exiſtunt, quarum quasdam ſub imperita tractatione tum ab ipſo patiente, tum etiam ab artifice commiſſa in actualem corruptionem ſphacelosam degeneraſſe, experientia atteſtatur.

§. XV. Subjiciuntur etiam motus Hæmorrhoidales hæreditariis communicationibus, licet ſub hoc ſtatu diverſis anomalicis ſucceſſibus expoſiti obſerventur, id quod etiam valet de habitualibus moliminibus hæmorrhoidalibus aut reliquis talibus apparatibus ad Hæmorrhoides ſpectantibus, incongruis artificiis perturbatis.

§. XVI. Sunt vero Hæmorrhoides internæ particulare opus naturæ ſalutare, quo abundantem & in ſuſpectam ſpiſſitudinem proclivem ſangvinem maxime Venam Portæ & connexa organa moleſtantem, ventilare contendit: eoque ipſo hunc ſangvinis fluxum ab illis vulgaribus accuſationibus, quaſi paſſive aut coacte & fortuito decurrat & elabatur, repurgo, & ad ſingulares naturæ actus, certum, proficuum atque utilem ſcopum concernentes, refero & id ipſum ex illa communi ſalubritate, quæ legitimum Hæmorrhoidum fluxum ſequitur, & damno atque detrimento, quæ perturbationes illius excipit, comprobo: non æque in illam veterum opinionem conſentiens, quaſi per Hæmorrhoides ſangvis atrabilarius ſive melancholicus ejiciatur.

§. XVII. Ad hunc fluxum hæmorrhoidalem itaque disponit plenitudo sangvinis, variis incommodis commotionibus subjecta, & successive invalescens spissitudo illius, quæ Venam Portæ ægre afficit, ob quas primarias causas natura humana commovetur, quo corpus suum offensum liberet; id quod e tali loco committit, in quo sangvis tam copiosus quam aliquo modo spissus, plures molestias creat, & in quo loco ejusque vicinia, frequentiores sangvinis commotiones & congestiones aut affluxus administrat, quod in virili ætate per occasionem matrimonii conciliatur.

§. XVIII. Disponunt proinde ad motus hæmorrhoidales vel qualescunque stimulatoriæ provocationes intestinorum, maxime vero intestini recti, per purgantia usitata & communiter sub certis pilularum formulis, domestica, aloëtica maxime, nec non Elleborina, aut efficaciores sangvinis commotiones in primis regionibus excitatæ, per aromatica, cepas, porrum, allium, ut & commotiones intensiores generales sangvinis in corpore cum vinis spirituosis, aut sulphureis & expansorias exagitationes provocantibus hungaricis, hispanicis, italicis, gallicis, lusaticis, misnicis; quin denique fortiores & operosiores expressiones alvinæ, quæ sub virili ætate & adsveto sedentario vitæ genere contingunt.

§. XIX. Exprimuntur Hæmorrhoides & quidem internæ, motibus tonicis proxime ad intestinum rectum directis, interdum etiam per abdomen & mesenterium discurrentibus, adeoque liberum & promtum recursum e vena hæmorrhoidali in Venæ Portæ truncum impedientibus, copiosiorem vero restagnationem ad loca hæmorrhoidalia promoventibus, & si simul aliæ connexæ Venæ Portæ propagines comprimuntur (quo imprimis splenicam venam aut vasa gastrica hoc loco notare placet) hanc regurgitationem in cohærentia viscera conciliantibus.

§. XX. Et hi motus, quo proximius magisque regulariter applicantur, quo magis subinde partes flexiles & a stricture & occlusione aliunde inducta vacuæ, sangvis cæteroquin mobilior est, eò facilius & promtius hæmorrhoidalem sangvinem effundunt; e quarum circumstantiarum defectu & qualicunque perturbatione diversa incommoda, tam quoad sensum, quam quoad gradus motuum, ut & quoad materiam evacuandam illiusque consistentiam oriuntur.

§. XXI. Excessus hæmorrhoidalis fluxus raro occurrit, quotiescunque vero obtingit, toties haud tam facile & certo noxam parit, ac defectus, ni per fortiora adstringentia repressus fuerit: interim interdum etiam evenit, ut post remoratam repetitionem consveti hujus fluxus, simul & semel talis eruptio hæmorrhoidalis contingat, quo etiam variæ causæ occasionales, sive animi pathemata maxime iracunda, sive commotiones immoderatiores corporis & exæstuationes sangvinis referri merentur, quippe quæ usitatiores & principaliores impulsiones existunt, non exclusis tamen pluribus, vias & humores afficientibus & commoventibus, causis.

CAPUT

CAPUT XII.

DE

HÆMORRHOIDIBUS EXTERNIS.

§. I.

EXternæ hæmorrhoides erumpunt e venulis iliaci interni rami in extimam inteſtini recti partem ſeſe immergentibus, numero quidem paucis & magnitudine exilibus ex inferiori hoc tractu ſangvinem revehentibus per internam in externam iliacam, & denique in venam cavam infundentibus, adeoque quoad progreſſum cum venis cruralibus, hypogaſtrica, lumbaribus, emulgentibus, ſacra, pudenda, iliaca externa conſpirantibus, quo conſenſu progreſſus nititur etiam conſenſus morborum ex Hæmorrhoidibus externis ſiniſtre decurrentibus provenientium.

§. II. Difficilius, inordinatius & parcius hæ externæ Hæmorrhoides fluunt, & propterea frequentioribus & majoribus moleſtiis expoſitæ ſunt, quæ communiter conſiſtunt in motibus & doloribus ſtrictoriis, preſſoriis, lacinatoriis, ardentibus, cum frequentibus tenesmis conjunctis, inordinatam alvi exonerationem continentibus, & non raro etiam urinæ vitia inferentibus; quemadmodum ipſe fluxus, quando ſemel ad aperturam & ſucceſſum pertingit, citius iterum ceſſat, aut difficulter ſuccedens, loco ſangvineæ profuſionis, albicantem mucidam materiam, a concurrente congeſtoria ſangvinis commotione provenientem, ſubminiſtrat.

§. III. Et dum ex minoribus hisce ramulis venoſis, ſangvis mox in capaciores ramos, quin in amplum venæ cavæ truncum profluit, adeoque commode progreditur, ita non modo difficilius ſuccedit ille congeſtionis & reſtrictionis gradus ad loca hæmorrhoidalia, quo eruptio actualis contingat, ſed & propterea proximiores motuum adminiſtrationes ſpa modicæ, ad inferiorem inteſtini recti regionem oſſis ſacri & iſchii muſculoſas & membranaceas partes, quibus prædictæ venæ interſperſæ ſunt, diriguntur.

§. IV. Interea etiam hi exteriores motus hæmorrhoidales ob difficiliorem ſuum ſucceſſum atque plenariam perruptionem in locis hæmorrhoidalibus ſæpius moleſtis turgefactionibus anſam præbent, ut in limbo ani promineant & quaſi efflorescant veſiculæ, cum ſangvine purpureo impletæ, absque tamen ſingulari dolorifico ſenſu, niſi ſub alvina depoſitione moleſtia præſſoria in loco affecto, quaſi inſolitum quoddam ſubjectum inhæreat, occurrat, unde arbitrariæ expreſſiones alvinæ & urgentur & repetuntur, eaque propter protuberantiæ illæ perrumpuntur; quæ tamen in defectu hujus eruptionis artificioſe aperiri poſſunt.

§. V. Excurrunt hi motus adhuc in alias moleſtias, quæ cæcas hæmorrhoides, præter modo dictas, conſtituere ſolent, & quæ ſingula phænomena difficilem horum motuum ſucceſſum, aut facilem ſiniſtrum effectum & eventum comprobant: ſiquidem ex reliqua indole & experientia hujus fluxus fluit, quod per eundem magis externæ quam internæ partes ventilentur & ſubleventur: licet etiam interdum fiat, ut propter viciniam loci affecti, motus hæmorrhoidales interni & externi colludant aut alternent: Cæterum vero anomalici ſucceſſus exteriorum horum motuum, diverſis ſpasmodicis cruciatibus & ſchematibus in prædictis regionibus, nimirum renum, lumborum, oſſis iſchii, coxendicum, pedum, ſupervenientibus, anſam præbent.

§. VI. Sunt vero tales affectus nephritici ſimplex & calculoſi, dolores lumbares, coxendicum, podagrici, gonagrici, arthritici, rheumatici, quo vitia urinæ refero & molimina ad mictum cruentum pertinentia, in quibus locis per motus ſpaſticos eminus & vicario interdum actu, excretio hæmorrhoidalis urgetur ſiquidem contra hic externus Hæmorrhoidum fluxus aut tempeſtivus recurſus ab ejusmodi affectibus vel præſervat vel liberat.

§. VII. Hic fluxus magis in defectum, quam exceſſum inclinat; de reliquo vero etiam conamen naturæ eſt, quo abundantem & moleſtum ſangvinem exonerat adeoque magis externas corporis partes liberat, ſicut Hæmorrhoides internæ internas magis ventilant; ob ſingulas vero prædictas circumſtantias, non tam facile & cito ſalutaris eſſe deprehenditur fluxus hæmorrhoidalis externus ac internus; ſed propterea etiam non perniciosus eſt, licet ſub multis impedimentis excurrat, quæ reliquam hujus fluxus indolem aggrauant & moleſtant, interdum etiam ſuſpectam reddunt.

§. VIII. Convenit omnino hic externus fluxus quoad formalem rationem cum interno, ſiquidem ad illum eædem cauſæ tam antecedentes quam occaſionales diſponunt, quarum in præcedenti capite mentio facta fuit, inprimis vero ad hos motus hæmorrhoidales externos excitandos contribuunt violentiores & fortiores alui ſegnioris & ſiccioris expreſſiones, quæ externa hæc loca ani magis affligunt atque urgent: ſiquidem non raro fœminæ ejus modi motibus & protuberantiis hæmorrhoidalibus, ob commemoratam hanc cauſam expoſitæ exiſtunt, licet actualis perruptio hæmorrhoidalis deficiat.

§. IX. Et quoniam hi motus externi hæmorrhoidales tot ac tantis difficultatibus abnoxii ſunt, propterea recurſus harum Hæmorrhoidum haud ita exacte ſtatarius aut interdum periodicus exiſtit, ac internarum hæmorrhoidum, unde irregulares repetitiones ſervant, & frequentius in vagis & vacuis molimínibus quam perfectis emptionibus perſiſtunt, quid quod denique facilius in noxias verrucoſas, ulceroſas, & fiſtuloſas conſecutiones degenerant.

§. X.

§. X. Ob hunc eundem difficiliorem progreſſum facilius & uſitatius in perfectas anomalias mutantur motus hi hæmorrhoidales externi & in iisdem magis magisque confirmantur & augeſcunt, ita ut denique ad nullam amplius perruptionem pertingant, ſed plane alia & quaſi diverſa morborum ſpecimina conſtituant, quæ cum ab eventu hæmorrhoidali evidenter diſcrepant, propterea juxta vulgarem ætiologiam a toto negotio hæmorrhoidali, ſed perperam, ſeparantur.

CAPUT XIII.

De

HÆMORRHOIDIBUS CÆCIS.

§. I.

CÆcæ Hæmorrhoides communiter de proſapia motuum hæmorrhoidalium externorum ſunt, & dicuntur, quando ſub reliquo molimine, vel nulla vel perquam difficilis actualis perruptio contingit, ſed in extimo ani ambitu protuberantiæ veſiculoſæ oriuntur, quæ interdum vel molles exiſtunt, cum ſangvine oppletæ, ſine ſingulari dolore & propterea turgentes Hæmorrhoides vocantur, quæ ſub alui exoneratione, moleſtiam, quaſi in ano nucleus deliteſcat, faceſſunt, adeoque ad impatientiorem expreſſionem alui urgent, ſub qua denique eruptio perfecta interdum contingit.

§. II. Deinde oriuntur nonnunquam tales protuberantiæ duriores, paulo intimius in inteſtino recto hærentes, dolentes valde, maxime vero ardentes, lancinantes, ſtrictoriis tenſoriisque moleſtiis præditæ & in actualem inflammationem admodum inclinantes, magis magisque intumeſcentes: unde Hæmorrhoides tumentes appellantur, quin denique ſuppurantes & abſceſſum hæmorrhoidalem, in ulcerationem pronum, formantes.

§. III. Turgentes quandoque ſub diuturna & contumaci continuatione pluribus papularibus protuberantiis coëunt & racemoſam congeriem papularium talium exilium infarctuum veſiculoſorum conſtituunt, unde evenit, ut ob debilitationem talium partium, tum vaſculoſarum, tum tunicacearum, refluxus impeditior reddatur & corruptio ulceroſa ingruat, quæ in calloſam aliquando duritiem tranſit & verrucoſam aſperitatem induit.

§. IV. Tales protuberantiæ irregulariter oriuntur, inordinate decurrunt & ſine ordine revertuntur, attamen cum contumacibus ſpasmodicis cruciatibus ſtipantur, ita ut immoderate tractatæ vel repreſſæ, in vehementes maximeque impatien-

tientes affectus ſpasmodicos, variæ denominationis degenerent, ſiquidem impetus illi, exceſſus & evagationes hæmorrhoidales facile alia loca aliasque regiones occupant; uti etiam non rarum penitus eſt, quomodo cum prædictis efflorescentiis hæmorrhoidalibus veſiculoſis, affectus iſchiadici, arthritici vagi & nephritici vel concurrant vel alternent.

§. V. Similiter cæcis Hæmorrhoidibus annumero reliquas illas efflorescentias in locis hæmorrhoidalibus & limbo ani puſtulares ſerpiginoſas, valde pruritentes & cum doloribus ſtrictoriis in vicinia conjunctas, quæ poſt frictionem & attritionem ſub maxima moleſtia tenuem humorem effundunt & aliquamdiu manant, iterumque exſiccantur, ſed mox alio tempore ita redeunt atque eandem ſcenam ludunt; quæ ſi incongrue exſiccantur & repelluntur, in eadem conſectaria delabuntur, quæ alioquin perturbatos motus hæmorrhoidales externos excipiunt.

§. VI. Ita interdum per motus hæmorrhoidales externos & ſub reliqua hæmorrhoidum cæcarum tragœdia, ſub tenesmis moleſtis atque urgentibus loco ſangvineæ eruptionis, materia mucilaginoſa exprimitur, qua vicaria quaſi hæmorrhoidalis ventilatio exiſtit & per intervalla decurrit & recurrit, conſtanter vero cum apparatibus hæmorrhoidalibus, a parte ante & a parte poſt ſtipatur.

§. VII. Sed dum ejusmodi protuberantiæ & vacuæ ſive vagæ commotiones & cæcæ conſtitutiones hæmorrhoidales ſunt, propterea talem ſtatum ad molimina hæmorrhoidalia refero & quidem magis activa quam paſſiva, quæ ob reliquam externarum hæmorrhoidum difficultatem ad ultimam perruptionem non pertingunt; quo interdum etiam irregulares motuum applicationes, humorum & quidem ipſius ſangvinis minus congrua mobilitas & viarum qualiscunque ineptitudo contribuit, non excluſis etiam illis cauſis occaſionalibus, quæ inconvenientes preſſiones & eniſiones in locis hæmorrhoidalibus excitant & urgent: de reliquo paſſivos illos infarctus atque puſtulares collectiones, a præcedentibus & concurrentibus activis commotionibus conſtanter diſtingvo.

CAPUT XIV.

DE

HÆMORRHOIDUM ANOMALIIS.

HÆmorrhoidales motus, licet ſalubritate ſua non deſtituantur, ſi legitime decurrunt, tamen in experientia medica diverſæ irregularitates, circa eosdem occurrunt, ut propterea eventus alius ſit, quam utilis, & ex accidentali hoc inverſo decurſu Hæmorrhoidum ſalubritas aliquo modo obſcuretur, ne vero hoc judi-

judicium indiſcretim de Hæmorrhoidibus feratur, præſtat pro meliori hujus negoti commendatione etiam inordinatos ſucceſſus motuum hæmorrhoidalium annotare, quos ſub nomine Anomaliarum Hæmorrhoidalium ſignifico.

Conf. diſp. mea de Hæmorrhoidum Anomaliis

§. II. Sunt vero anomaliæ hæmorrhoidales motus illi, evagationes & excretiones legitimo Hæmorrhoidum fluxui ſubſervientes, ſed minus proportionato gradu, tempore, loco & ordine ſubſcepti atque adminiſtrati, unde variæ moleſtiæ & dolorificæ ſenſationes, ut & morbidæ conſecutiones ſuperveniunt, quæ tamen cum primigenio hæmorrhoidali negotio apprime conveniunt.

§. III. Circa gradus motuum hæmorrhoidalium exorbitantes & irregulares notandum, quod communiter magis excedentes quam deficientes motus in anomaliarum hæmorrhoidalium claſſe occurrant, quales ſunt vehementiores & contumaciores ſpasmi, imo ſemi convulſivi impetus concuſſorii & ſuccuſſatorii, quamquam aliquando juxta Hiſtoriam practicam ad ſucceſſus & futuros exitus horum exceſſivorum motuum advertendo defectiva motuum vitia ſupevernire ſoleant.

§. IV. Quod converſionem locorum attinet, quæ in anomalico Hæmorrhoidum negotio occurrit, tunc e diverſis regionibus & partibus excretio hæmorrhoidalis urgetur, ſiquidem totum corpus ſub dominio naturæ ſtat & hæc quaquaverſum motus ſuos transferre adeoque e diverſis locis præfixum finem, circa excretionem ſangvinis occupatum, proſequi poteſt & ſolet: unde vel ad veſicam eluctationes tales hæmorrhoidales, vel ad ventriculum, vel ad pectus vel ad caput tranſeunt, aut per nudos ſpasmodicos cruciatus in aliis corporis extremitatibus ſeſe ſiſtunt: ſiquidem non modo mictus cruentus, vomitus cruentus, Hæmoptyſis, Varices, Narium Hæmorrhagiæ ad inſolitas hæmorrhoidum vias & anomalicos earundem ſucceſſus referri merentur, ſed & adhuc varia connexa pathemata in diverſis talibus locis occurrentia, anomaliis hæmorrhoidalibus annumerari debent.

§. V. Talia pathemata vero vel ordinariarum excretionum ſucceſſum alterant, imprimis alui & urinæ liberationem, ut varia vitia circa hanc occurrant, deinde etiam conſiſtunt in variatione materiæ, quæ loco ſangvinis hæmorrhoidalis exprimitur, & interdum albuginea, ac mucilaginoſa, interdum ſangvinolenta & aquoſa eſt: quo adhuc ſpectant immoderati illi motus & affectus hypochondriaci, ſplenetici, hepatici, cardialgici, vomibundi, ſuccuſſatorii, colici, aluum & abdomen retractorii, hectici, phthiſici, podagrici, nephritici, iſchiadici, arthritici, aſthmatici, aſcitici, oedematoſi, vertiginoſi, apoplectici &c. quo ipſo ſeſe anomaliarum hæmorrhoidalium conſpectus multis modis manifeſtat & comprobat.

§. VI. Talibus anomaliis vero occaſionem ſubminiſtrant perturbationes undecunque fluxui hæmorrhoidali illatæ fuerint, ſive eædem ex animo immorige-

ro & impatienti, ſive ex frequentibus patheticis animi commotionibus, ſive ex malo regimine, prava diæta, malis artificiis aut a ſangvine in ſpiſſitudinem prolapſo vel viarum proximarum ad Hæmorrhoidum profuſionem ſpectantium occluſione, ſive aliunde provenerint: inter quas ſingulas cauſas merito hoc loco & ordine reprehendo pravas medicationes, quæ ordini & negotio hæmorrhoidali præjudicium intulerunt.

§. VII. Maxima culpa in disquiſitione anomaliarum hæmorrhoidalium, motuum vitio tribuenda eſt, ſiquidem in tota œconomia animali nihil magis, nihilque citius, certius & promtius perturbationi ſubjectum eſt, quam motus vitales, quippe qui partim per ideales & morales, partim etiam per materiales & phyſicas cauſas alterationibus talibus ſubmittuntur; ſicuti poſterioris animadverſionis teſtimonia ſunt major fluidorum immobilitas & minor ſolidorum permeabilitas.

CAPUT XV.

DE

MICTU CRUENTO.

§. I.

AD Hæmorrhagiarum ſpontanearum ſpecies pertinet Mictio cruenta, quæ licet etiam per violentas cauſas provocari poſſit, tamen in hac claſſe illam ſpontaneam ſangvinis excretionem cum urina intelligo & explico, quæ digniores reſpectus involvit, quam altera, licet interdum ſpontanea repetita ſangvinis mictio vel vere vel apparenter violentas cauſas & occaſionest amquamprimas provocationes ſequi ſoleat.

§. II. Eſt vero hæc ſangvinis cum urina permixti profuſio rariſſima & quantum quidem experientia comprobavit viris paululum familiarior quam fœminis, ſiquidem illa cauſa cum qua hic Cruentus Mictus communionem habet viris etiam uſitatior quam fœminis, exiſtit, uti fœminæ magis alios & quidem cum menſtruo ſuo fluxu cohærentes, affectus experiuntur; interim etiam ſequiori ſexui, quando hæmorrhoidalibus motibus ſubjicitur, certo reſpectu atque tempore hic cruentus mictus evenire obſervatur.

§. III. Obtingit hæc Hæmorrhagia in ætate magis virili conſumata & jam ſenectuti proximiori aut in ipſa ſenectute tacite & citra cauſam impetuoſam, præſente tamen adhuc alacritate animi, aut ut dicunt vivido ſenio, concurrente notabili ſangvinis abundantia, ſuccedente diverſa animi pathetica commotione, & interdum etiam conjuncto vitæ genere libidinoſo, lauto & luxurioſo (quo etiam matrimonia ſenum referri debent) ſervata diæta plena, ſpirituoſa, vinoſa & concurrentibus aliis ejusmodi circumſtantiis ad humorum commotiones contribuentibus.

§. IV.

§. IV. Et quamquam hic Cruentus Mictus tacite occurrat, tamen proxime eundem antecedunt vel plane adhuc comitantur ſpasmodicæ commotiones, partim in lumbis, partim in ingvinibus, una cum ſenſationibus ſuſpectis lancinatoriis, tenſoris & intimioribus ardentibus circa pectinis regionem contingentibus: occupat proinde inſolita laſſitudo, actionum moralium & animalium torpor, alvi vel inordinatus ſucceſſus vel actualis ſtrictura, donec tandem ſub mictione ſangvis copioſus, ſincerus tamen, ſed a ſalſedine urinæ nonnunquam paululum alteratus, excernatur.

§. V. Minime in hiſtorica hujus Hæmorrhagiæ commemoratione oblivioni tradendum eſt, quomodo affecta ſubjecta, vel in juventute Narium Hæmorrhagiis interdum expoſita fuiſſe obſerventur, vel quomodo proxime ante ſenium Hæmorrhoides actu fluxerint, vel motus hæmorrhoidalis aut propenſio ad Hæmorrhoides in ſubjectis præſto fuerit, quippe quæ circumſtantiæ ad ætiologicum verum ſenſum & conceptum multum conferunt: quemadmodum viciſſim hic Mictus Cruentus juxta obſervationem attentorum practicorum cum motibus hæmorrhoidalibus in diverſis ſubjectis alternare aut certis periodis æque ac Hæmorrhoides recurrere ſvevit, quin denique ludicre ſuppreſſus in eadem conſectaria degenerat, quo Hæmorrhoides, imprimis externæ, perturbatæ, tranſeunt.

§. VI. Ex eo jam quoad conſpectum pathologicum judico, quod hæc Hæmorrhagia perinde ſingularis naturæ actus ſit, quo in ſubſidium hæmorrhoidalis externæ evacuationis ſangvinem ſuperfluum, incommodum & per varias cauſas commotum ex veſica urinaria, adeoque per hanc e toto denique corpore ejicit, & ita hoc vicario modo illas partes ventilat, quas alio modo, ordine atque tempore cum hæmorrhoidali fluxu ſublevat.

§. VII. In hac formali Cruenti Mictus conſideratione ſpecialis illa communio motus ſangvinis progreſſivi per veſicam urinariam & hæmorrhoidalia externa loca annotari meretur, ſiquidem ex veſica urinaria per hypogaſtricæ venæ ramulos, ſangvis in eandem internam iliacam refluit, quo ſangvis venæ hæmorrhoidalis externæ profluere ſolet, ita ut motus illi congeſtorio-ſpaſtici, qui alias hæmorrhoidalibus locis applicantur, nunc ad viciniam, nimirum veſicam urinariam dirigantur, ad quam mutationem partim motuum & ſucceſſuum hæmorrhoidalium impedimenta, partim interdum actuum libidinoſorum exercitia, ſtantibus reliquis cauſis ad commotionem plethoræ efficacibus, contribuunt.

§. VIII. Exercetur itaque hic actus plethoram imminutorius eodem motu, quo reliquæ Hæmorrhagiæ ſpontaneæ abſolvuntur, ſiquidem hujus ſangvineæ Mictionis harmonia cum Hæmorrhoidibus ex ſingulis prædictis ſignis & circumſtantiis eluceſcit, quo adhuc refero illas conſecutiones, quæ temere ſuppreſſum hunc Mictum excipiunt, & quæ amuſſim cum illis conſectariis conſpirant, quæ

Hæmorrhoidibus externis offenſis ſuperveniunt: ſiquidem adhuc merito ſtatarios hujus hæmorrhagiæ recurſus pro formanda neceſſaria conciliatione commendo.

§. IX. Quo ordine itaque & cauſandi ratione ac dependentia diverſi effectus, ſucceſſus & eventus hæmorrhoidales nituntur, juxta easdem conditiones etiam Mictus Cruenti phænomena erunt explicanda & menſuranda: & quamquam per hanc Hæmorrhagiam natura ſalutarem omnino finem intendat, tamen ob inſolitam motuum directionem & affectæ partis qualemcunque inconvenientiam, nec non proclivitatem ſenii in finiſtros & defectivos effectus & errores, hic mictus præfixos ſalutares eventus non aſſequitur, ſed ſub qualicunque ſuo legitimo ſucceſſu, alienis imo etiam contrariis conſecutionibus ſubjectus eſt.

CAPUT XVI.

DE

SUDORE SANGVINEO.

§. I.

DUm de diverſis Hæmorrhagiis, quotquot etiam in Hiſtoria practica occurrunt hoc ordine diſſerere animus eſt, mentionem nunc injicio inſolitæ imo admirandæ & facile pro ſupranaturali habendæ Hæmorrhagiæ, qua videlicet ſangvis ſincerus vel ex univerſa corporis ſuperficie & illius porulis, qui ad tranſpirationem inſenſibilem, aut ſudorem ordinario deſtinati ſunt, vel e particularibus membris ſucceſſive, guttatim tamen & ſufficienter aut etiam copioſe transſudat, adeoque juxta medicam appellandi rationem Sudorem Sangvineum conſtituit.

§. II. Occurrunt vero omnino naturales cauſæ & reſpectus circa talem ſangvineum ſudorem, ſiquidem hic vel in ſubjectis ſangvine abundantibus & adhuc junioribus & vegetioribus, vel olim aliis Hæmorrhagiarum ſpeciebus obnoxiis deprehenſus fuit; quemadmodum Hiſtoriæ quædam teſtantur, quomodo talis ſudor in pedibus aut talo, Menſes ſuppreſſos menſtruis plane periodis ſequutus ſit, adeoque vicariam quandam depletionem præſentaverit.

§. III. Circa ipſum actum exponendum non immorabor, ſiquidem ſub aliquali interna anguſtia, oppletione ſuperficiei corporis, inſolita laſſitudine & calore majori in ambitu corporis, ſangvis tenuior tandem per poros transſudat, qui ſudor poſt aliquam moram iterum remittit, & priſtinæ vires tum animi tum corporis facile revertuntur, ni exceſſive partim decurrere partim recurrere obſervetur: interim etiam Hiſtoriæ practicæ atteſtantur, quomodo hic ſudor ſimultaneam retropulſionem ægrius perferat, ſiquidem ex eadem internæ inflammationes, febres acutæ, hectica, apoplexia, quin ipſa denique mors ortum traxit.

§. IV.

§. IV. Eſt itaque hic Sudor ſingulare extraordinarium opus naturæ, quo ad imminuendum ſangvinem aut ad compenſandam aliam, magisque ſolitam, Hæmorrhagiam non modo peculiari reſtrictione & affuſione ſangvinem paulo intimius in ſuperficiem corporis transvehit, ſed & ſub aliquali cutis relaxatione denique transmittit, ad quam ſudationem omnino requiritur hæc intimior ſangvinis appulſio & peripheriæ atque cutis, quæ alias ob teneritudinem ſuam craſſiorem ſangvinem non transmittit, ſufficiens amplificatio & relaxatio.

§. V. Ob id ad hoc inſolitum opus requiritur in ſubjecto neceſſaria activitas & promtitudo ad agendum, qualis in juniori ætate adeſſe ſolet; deinde etiam ſangvis ſufficienter fluxilis eſſe debet, aliàs per arctiorem corporis ſuperficiem non penetrat, quare etiam ſangvis, qui ita exſudat, ſincerus, fluidus & floridus exiſtit: activam denique & ad ſangvinis imminutionem deſtinatam fluxus hujus adminiſtrationem comprobat ſtataria & interdum periodica illius adminiſtratio & vicaria aut aliis prægreſſis Hæmorrhagiis ſubordinata evacuatio.

CAPUT XVII.

DE

CRUENTATIONE GINGIVARUM.

§. I.

AD inſolitas & maxime extraordinarias Hæmorrhagias pertinet etiam hæc Gingivarum, aut ex dentium alveis prodiens, Hæmorrhagia, quo loco haud de familiari illa cruentatione loquor, quæ vel quamlibet dentis evulſionem ſequitur, vel leviter vulneratas Gingivas excipit, ſed quæ vel exceſſive adeoque extraordinarie plane contingit, vel etiam ſponte ſuccedit, proptereaque ſingularem attentionem in pathologia medica meretur.

§. II. Conſiſtit hæc, de qua hoc loco loquor, Gingivarum Cruentatio in eo, ut vel ſponte ſangvis copioſe transſtillet ex Gingivis intra fauces & per plures horas ita emanare continuet, ad quem fluxum vel levis ſuctio, vel mediocris gingivarum affrictio contribuit: vel oritur etiam hæc Hæmorrhagia, quando dens extractus fuit, adeoque hoc reſpectu violentam cauſam ſequitur, attamen non ſimpliciter paſſive ſuccedere continuat, ſed quia tamdiu inſiſtit & ſimul largiter decurrit, juſtum metum de activis illis congeſtoriis commotionibus incutit: unde obſervatores ſciunt allegare tales caſus, quibus ex ejusmodi ſtupenda cruentatione mortis metum expoſuerunt.

§. III. Deterruit interdum ſubjecta hic cruor ſangvinis e faucibus excretus, quaſi e pectore provenerit & ominoſam Hæmoptyſin conſtituat, in quibus tamen

tamen pectus a quibuscunque offensis & apparatibus, ad Hæmoptysin spectantibus, liberum est, vel qualiscunque angustia concursans ex morali illa afflictione & trepidatione ortum traxit, ut propterea tale sputum cruentum ab actuali Hæmoptysi merito distingvi debeat.

§. IV. Quamquam vero ad hanc cruentationem interdum violentæ & crassiores provocationes contribuant, tamen totum negotium haud nude passivis conditionibus & rationibus nititur, quin potius observanda & annotanda veniat particularis activa congestio sangvinis ad gingivas, tamquam ad viciniam narium, aut ad locum, qui ad superiorem corporis regionem pertinet, e quo, ob convenientiam ætatis, natura molestum sangvinem exonerare contendit: & quanquam violatio & ruptura vasculi sangviferi accusari possit, vix tamen venula tam exiguæ proportionem ad magnam illam sangvinis quantitatem subit, quin rectius successiva congestio & copiosa affusio, ad locum affectum directa, copioso huic fluxui magis adæquata sit, præprimis cum non integrum sit, talem Hæmorrhagiam ludicre & temere reprimere, sed experientia etiam jubeat, motibus hisce accusatis tonicis auctis congestoriis, sangvinis imminutionem urgentibus, prospicere atque mederi.

CAPUT XVIII.

DE

LOCHIORUM FLUXU.

§. I.

AD Hæmorrhagias, sequiori sexui usitatas, pertinet ille fluxus sangvinis uterinus, qui comitatur partum sive fœtus & secundinarum exclusionem, quippe quæ Hæmorrhagia medicis Lochiorum nomine venire solet, & ordinario ex violenta causa, nimirum gravi uteri dilaceratoria vulneratione, ortum trahit, licet nihilominus hic fluxus per peculiares tonicos motus, in utero & circa illum exerceri solitos, promoveatur, dirigatur aut etiam plane invertatur & alteretur.

Conf. Stahlii Disp. de Affectibus Puerperarum.

§. II. In legitimo suo statu comitatur fluxus Lochiorum secundinarum exclusionem, unde non sine omine est, si vel ante partum, vel sub fœtus exclusione, remanente adhuc diutius uterina placenta, sangvis hic lochialis comparet, sicut viciſſim neque periculo caret, si post secundinarum excussionem sangvis effluere cessat, cum potius longe utilius deprehendatur, si justo tempore sufficienter effluit.

§. III.

§. III. Unde communiter in primis duobus aut tribus puerperii diebus lochiorum fluxus ſtrenue & ſufficienter procedit, quod tanto magis in fœminis plethoricis, vel quibus olim Menſes largius fluere ſveverant, contingit; neque ita periculoſum eſt, ſi largius lochia ſuccedunt, quam ſi defective progrediuntur: de reliquo quidem idem ille fluxus indies imminuitur, ut in fine ſangvis dilutus aquoſus, carnium loturam referens, effluat, & ita mox totus hic fluxus omittatur.

§. IV. Eſt proinde hic Lochiorum Fluxus omnino ſonticis alterationibus ſubjectus, quæ minime a paſſiva illa cauſa & nuda læſione uteri proveniunt, ſed peculiaribus motuum tonicorum directionibus & activis intentionibus atque deſtinationibus nituntur, unde Lochia tam exceſſibus, quam imminutionibus & plenariis ſuppreſſionibus ſatis ſæpe poſt primum legitimum fluxum ſubjiciuntur, imprimis vero ſecundum plethoricum fœminæ ſtatum & patheticas animi commotiones evidenter mutantur.

§. V. Imminutio aut actualis Lochiorum ſuppreſſio peſſima maximeque periculoſa conſectaria involuit, e quibus principaliora ſunt, internæ inflammationes, febres acutæ, ſuffocativæ, ſyncopticæ, extreme cardialgicæ, vomibundæ, aut hæmato-emeticæ afflictiones, quæ communiter præcipitem exitum ſortiuntur, licet quædam aliarum conſecutionum chronicum morbum conſtituant, ut ulcreatio maligna uteri, Hectica ſuſpecta, cachexia, Colica convulſiva, tympanitis, aſcites. &c.

§. VI. Et dum primario quidem hic fluxus ob vulneratum uterum & continui læſionem ſuccedit, tamen prædicti activi concurſus directi ſunt ad efficaciorem plethoræ, tam diu geſtatæ & tam moleſte conſervatæ imminutionem, unde ſangvis ad affectum locum copioſius congeri poteſt imo etiam ſolet, quo præſente apertura atque exitu natura, per puerperium ſemel commota, alterum moleſtum objectum, nimirum ponderoſam ſangvinis quantitatem, ſtrenue & cum ſufficienti emolumento eliminet & excutiat, ſiquidem contra eadem natura ad repentinas & immoderatas conſtrictiones occluſorias per terrorem, aut internam vel externam refrigerationem, inducta, ad uterum, tamquam illam partem, in quo jam operoſior exiſtit, eandem rigidam conſtrictionem transfert & ita Lochiorum fluxum vel imminuit vel ſupprimit.

§. VII. Cæterum alterationes motus ſangvinis per uterum, communionem ſuam habent cum alteratis motibus per reliqua primarum regionum viſcera decurrentibus, quo loco provoco ad illam demonſtrationem, quam ſuperius in legitimi Menſium fluxus tractatione propoſui, quomodo videlicet perturbationes motus tonici & provocationes ſtricturarum perverſarum in inteſtinis, ad Menſium perturbationes contribuant, adeoque varia diætæ vitia, juſtum Menſium ſucceſſum impe-

impediant, id quod etiam hoc ordine & vi ejusdem demonstrationis de Lochiorum impedimentis, ex irregulari diæta ortis, valet.

§. VIII. Singula vero fluxus Lochiorum impedimenta præjudicant tam sufficienti purgationi uteri a sangvine affluente & influente, quam motui congestorio & a tergo quasi sangvinem advehenti, nec non reliquæ intentioni sangvinis abundantiam imminutoriæ, unde graves & periculosæ abhinc expectandæ sunt alterationes, quæ consistunt in repentinis stagnationibus & stasibus sangvinis, supervenientibus internis inflammationibus, concurrentibus febribus, aut exorientibus actualibus corruptionibus, vel accedentibus repentinis immoderatis maximeque impatientibus tonicis restrictionibus sangvinis, in alia abdominis loca, vel promotionem vel emotionem sangvinis urgentibus: omissis reliquis tardioribus effectibus in depravationem sangvinis & obstipationem viscerum abdominis transeuntibus & chronico modo alios affectus constituentibus.

CAPUT XIX.

DE

HÆMORRHAGIIS ABORTVVM.

§. I.

AD fluxus sangvinis uterinos & ad latus Fluxus Lochiorum pono & numero illas Hæmorrhagias, quæ cum abortu erumpere, decurrere & eundem aliquamdiu stipare solent, & quæ etiam ob singularem quandam, quam servant, indolem, peculiarem pathologicam considerationem merentur, siquidem tum ratione præsentis sui successus, tum etiam ratione consecutionum, circumstantias quasdam discretas pathologiæ practicæ exhibent & commendant.

Conf. Stahlii Disp. de Abortu & fœtu noxio.

§. II. Quoad præsentem successum hæ Hæmorrhagiæ communiter non modo largæ aut aliquo modo immodicæ, sed & impetuosæ, contumaces & cum immoderatis motibus stipatæ sunt, in qua circumstantia adhuc plus involuunt, quam simplicior Lochiorum Fluxus, siquidem in Arbotu vix tam magna uteri læsio ac in legitimo puerperio, attamen major, vehementior & largior sangvinis profusio occurrit, ad quam circumstantiam vero decidendam, prout simplicior conspectus infert, mimine nuda physica ratio quadrat & satisfacit.

§. III. Quoad vehementiam motuum vero, ad totum Abortus statum retrospiciendum est, quemadmodum præmatura talis fœtus exclusio sonticas maxime causas sequitur, quæ impetuosas, fortes, immoderatas vel animi vel corporis commotiones præcurrentes involuunt, utpote qui gradus atque impetus non modo

modo in actum excludendi fœtus, sed & simul emovendi sangvinis transeunt; tanto magis vero, quia non raro experientia teste, sangvis superfluus & valde molestus, sive per animi pathemata, sive per alias occasiones immoderatius commotus ad abortum disponit, unde etiam contingit, ut commisso abortu reliquus impetus in primam hanc causam, nimirum sangvinem abundantem & molestum transeat.

§. IV. Quapropter motuum maxime, sive ex idealibus sive aliis & naturalibus occasionibus provocatorum, in hoc negotio ratio habenda est, quorum impetus sese in afflictis fœminis, cum multiplici inquietudine spasmodica in abdomine prodit, sub quibus sangvis copiose ad uterum congeritur, & impatienter atque immoderate ex eodem projicitur: siquidem communiter talibus impetuosis Hæmorrhagiis, abortum comitantibus, subjectæ esse deprehenduntur fœminæ plethoricæ, in animo sensibiles, contumaces & præcipites, antehac vegetis & largis menstruis purgationibus adsuetæ, aut ad patheticas commotionis admodum proclives, quin denique diversis aliis frequentibus commotionibus sangvinis obnoxiæ.

§. V. Neque tantum hæ immoderatæ Hæmorrhagiæ de præsenti sub prædictis conditionibus comprehensæ observantur, sed & insuper in suspectas consecutiones sese extendunt: etenim ni provide tractentur & magis mitigentur, quam simul & semel obruantur & repellantur, id incommodi facile inferunt, quo ad futuras & iteratas tales profusiones, magis immodicas magisque immoderatas, contribuant; unde hic inveniet prudens artifex, quo tempestive præoccupet, ne adversum illud phænomenon obtingat, quo Abortus non modo frequentius, sed & plane periodice cum constanti excedente sangvinis profusione recurrant.

CAPUT XX.

DE

HÆMORRHAGIIS UTERI.

§. I.

QUamquam hactenus variarum Hæmorrhagiarum ex utero provenientium, mentio facta fuit, tamen adhuc species quædam occurrit, quæ neque ad menstruum, neque ad Lochiorum, fluxum spectat, licet ad eundem retrospiciat & cum illo aliquo modo, respectu successus sui aut consecutionis, cohæreat, quam propterea simplici Hæmorrhagiæ uteri denominatione significo, eo quod in larga imo communiter excessiva & impetuosa sangvinis profusione ex utero contingente, consistat.

§. II. Differt proinde hæc Hæmorrhagia a Menſibus excedentibus in eo, quod poſt omnigenam Menſium ceſſationem, per ætatem ſientem, adeoque extra periodum menſtruam contingat, de reliquo vero fœminis vel in matimonio adhuc, vel extra illud conſtitutis obtingat, talibus vero, quæ hoc tempore adhuc plethoricæ & animi agilioris & ad patheticas commotiones, pronæ exiſtunt, quæ antehac expeditos & largos Menſium ſucceſſus expertæ fuerant, de præſenti vero multiplicibus ſangvinis commotionibus ſive e moralibus reſpectibus ſive diæta & regimine provenientibus, expoſitæ ſunt, quo adhuc annumero animum voluptuoſum & ad libidinem pronum, quomodo videlicet interdum viduæ luxurioſæ priſtinos actus matrimoniales affectant, in quibus circumſtantiis potiores cauſæ, ad hanc Hæmorrhagiam diſponentes, conſiſtunt.

§. III. Comitantur hunc ſangvinis fluxum variæ dolorificæ ſenſationes e motuum congeſtorio-ſpasmodicorum applicatione prodeuntes, quales ſunt tenſoriæ, ſtrictoriæ, torminoſæ, auguſtatoriæ, oppletoriæ cum multa inquietudine conjunctæ in abdomine, lumbis & dorſo; accedunt etiam nonnunquam cardialgiæ torminoſæ cum animi & corporis torpore, extremitatum refrigerio & propenſione in Lipothymias, ſub quibus afflictionibus ſangvis interdum ſimultaneo impetu erumpit atque effluit, nonnunquam vero paulo moderatius quidem, attamen diutius, profluere continuat.

§. IV. Eſt vero & hæc Hæmorrhagia non turbulenta aut confuſa ſangvinis perruptio, ſed activa naturæ operatio, qua ſangvinem adhuc turgentem & urgentem indiſcreto quidem tempore, tali tamen, quo ſangvinis multam moleſtiam in corpore individui creat, poſt prægreſſas & finitas menſtruas purgationes e tali loco, per quem olim ſangvinem effundere ſveverat, imminuere & expellere laborat: ad quam operationem præter moleſtam quantitatem reliqua animi & virium promtitudo & alacritas, nec non diverſa commotio, ſangvini ſuperveniens, contribuit.

§. V. Quoniam vero hic actus reſpectu ætatis ſub inſolitis circumſtantiis comprehenſus eſt, dum tali tempore in fœminis uſitatius a purgamentis ſangvineis natura abſtinet, propterea totum opus immoderatius ſuccedit & profuſio ſangvinis facile, aut utplurimum excedit, præprimis cum adhuc cum hoc actu concurrat reminiſcentia conſuetarum purgationum ſangvinearum, ex utero prægreſſarum, quod negotium eo magis exaggerant concupiſcentiæ libidinoſæ, quæ ad uterum maxime collineant, concurrente illa circumſtantia prægreſſarum lochialium purgationum, quæ violento modo, nimirum per partum, decurrunt.

CAPUT

CAPUT. XXI.

DE

VARICIBUS.

§. I.

ANnumero denique Hæmorrhagiis, ſponte evenientibus, Varices, non tam tumentes quam manantes, ſiquidem priores conſiſtunt in protuberantia nodoſa, circa Venarum divaricationes contingente & communiter cum multis & magnis doloribus ſpasmodicis, ſtrictoriis, tenſoriis, ardentibus & ſimilibus ſtipata, quæ licet varius ſua ſponte erumpat, tamen adhibita attritione & frictione denique aperturam concipit & ſanguinem copioſius effluentem dimittit, quo poſteriori reſpectu manantes tales Varices, omnino Hæmorrhagiis accenſendi erunt, præprimis cum ex diverſis hiſtoriis & practicorum tum neotericorum obſervationibus ſpontanea eorundem eruptio in experientia medica innotuit.

§. II. Quamquam vero Varices quidam, ex impedito progreſſu ſanguinis reflexo per Venas oriantur, quales gravidis obtingere in pedibus imprimis conſpiciuntur, imo quamquam Varices in brachiis æque ac in pedibus occurrere ſoleant, tamen frequentius iidem in pedibus ſuboriri obſervantur, & propterea ſingularem quandam conſpirationem cum aliis motuum deſtinationibus ſubire videntur.

§. III. Loquor itaque hoc loco de Varicibus citra eraſſam aliquam cauſam provocatis, ſed ſponte orientibus, in quibus poſterioribus evidentes & eximii dolores concurrunt, qui tamen in prioribus, neque ita certi, neque ita conſtantes, neque ita urgentes ſunt, unde ſpontanei illi Varices longe aliam genealogiam & deſtinationem habere obſervantur, ſiquidem id ipſum hiſtoricus illorum conſpectus pluribus comprobat.

§. IV. Unde etiam experientia medica atteſtatur, quod Varices adultioribus ſubjectis eveniant, niſi hæreditaria diſpoſitio in hac circumſtantia aliquam exceptionem interponat, quomodo videlicet in adoleſcentibus ab hæmorrhoidariis parentibus natis, Varices interdum comparuerint, de reliquo vero ex experientia *Hippocrates* uno loco *in Coac. Prænot.* dicit, quod Varices ante pubertatem non eveniant, & altero loco *de Aëre, Locis & Aquis* aſſerit, quod Varices Viris familiares ſint: unde illud hoc loco indico, quod ſpontanea Varicum geneſis in hæc ætatis tempora incidat, quibus motus hæmorrhoidales occurrere ſolent.

§. V. Ob id eveniunt ſubjectis talibus, quæ ratione temperamenti aliarumque circumſtantiarum cum hæmorrhoidariis conveniunt, maxime vero plethoricis, in juventute Narium Hæmorrhagiis adſvetis aut aliis evacuationibus ſanguinis ſive ſpontaneis ſive artificialibus addictis, nec non diverſis ſanguinis com-

motionibus obnoxiis, adeoque adhuc in exonerationem ſangvinis propendentibus: quo adjungo illam notabilem circumſtantiam, quomodo Varices exquiſitam communionem habeant cum motibus & ſucceſſibus hæmorrhoidalibus, ita ut Varicibus improvide & incongrue tractatis, tales motuum anomaliæ & ſingulares ſangvinis reſtrictiones ſuperveniant, quales Hæmorrhoidibus inconvenienter tractatis accidere ſolent.

§. VI. Illud interim breviter & quidem thetice quaſi, ſine demonſtratione obteſtor, quod inter Varices & Hæmorrhoides, magna intercedat affinitas, tam a parte ante, quam a parte poſt, unde urgetur hic fluxus ſangvinis e Varicibus, ſimilibus motuum ſpeciminibus, nimirum congeſtorio-ſpaſmodicis, quibus aliæ Hæmorrhagiæ concitantur.

§. VII. Sunt itaque Varices ſecundaria & vicaria quædam, vel commotio hæmorrhagica vel actualis Hæmorrhagia, fluxui hæmorrhoidali, imprimis externo, ſubſerviens, quem natura e tali loco proſequitur, e quo refluus ſangvis eò pervenit, quo ſangvis hæmorrhoidalis externus pertingit, nimirum e cruralibus Venis in Iliacam externam, in quam ex iliaca interna alter ille hæmorrhoidalis ſangvis transfluit, unde ob impeditiorem exitum in locis hæmorrhoidalibus, natura ex aliis, quoad motum progreſſivum ſangvinis conſentientibus, partibus, plethoræ moleſtæ depletionem ſeligit & ſuſcipit.

§. VIII. Sicuti itaque natura humana ab intra & ex abdomine committere ſolitas Hæmorrhagias ſpontaneas, velut Hæmorrhoides internas & Menſtruum fluxum, alia vicaria, & anoterica quidem, ſecundaria evacuatione ſangvinis ſublevare contendit, videlicet Vomitu cruento, ita cum hisce, Varices pari paſſu ambulant, dum hi externis Hæmorrhoidibus miniſtrare eluceſcunt: æque ac ad apparatus Vomitus cruenti motus illi ſpaſmodici, hypochondriaci pertinent; quo ordine etiam ad Varicum fluxum, affectus podagrici & ex parte iſchiadici reſpiciunt, ex qua harmonia, aſſertum hoc, quod Varices active decurrant & Hæmorrhoidum externarum fluxum reſpiciant, confirmabitur.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

DE MOLIMINIBUS HÆMORRHAGICIS HORUMQVE CONSECTARIIS ET CONNEXIS AFFECTIBUS.

§. I.

Sicuti hactenus ex Hæmorrhagiarum ſpontanearum indole commonſtravi, quod ipſæ illæ Hæmorrhagiæ ſint medicina pro moleſta ſangvinis abundantia, quam invenit & in corporis ſui commodum adhibet, natura humana, & cum quibus Hæmorrhagiis legitime decurrentibus ipſamet ſollicite præoccupat, quo minus in futurum qualitas ſangvinis vitietur & vel conſiſtentiæ vel craſeos alteratio oriatur, quarum illa ſpiſſitudo ſangvinis, hæc vero Cacochymia audit; ita pro meliori ordine atque nexu, jam illos motus explicabo, quibuscum eadem natura, Hæmorrhagias tales proſequitur, ſed non perfecte exſequitur, adeoque in nudo quodam conatu ſubſiſtit; quæ ipſa conſideratio vero me manuducit, ad diverſos eventus, reciprocas horum motuum communiones & varia conſectaria perquirenda & explicanda.

§. II. Sermo itaque jam eſt de molimine hæmorrhagico, per quod intelligo illam commotionem, ad producendam Hæmorrhagiam præviſam & deſtinatam, vel proximius vel remotius circa locum hæmorrhagicum adminiſtratam, attamen ultimo ſuo atque directo effectu & ſucceſſu perruptionis & fluxionis ſangvineæ deſtitutam, qualis commotio vero aliquamdiu inſiſtit & eventum hæmorrhagicum urget, ſed vel in alium quam ſangvineum effectum excurrit, vel quando quaſi defervuit, iterum acquieſcit, poſt aliquam tamen moram denuo recrudeſcit & priſtinam ſcenam ludit.

§. III. Inter hæc molimina hæmorrhagica mox primo loco recenſeo & ſeligo *Congeſtiones ſangvineas*, quas tamen a paſſivis illis motus progreſſivi ſangvinis alterationibus merito & conſtanter diſtingvo, nimirum a ſtagnationibus, obſtructionibus & ſtaſibus, cum *Stagnationes* conſiſtant in impedito valde progreſſu & tranſitu ſangvinis, per certas partes, ſive poroſas ſive vaſculoſas, ita ut copioſe quidem ſangvis affluat, ſed non juxta hanc proportionem tam facile & expedite refluat, qualis ſtagnatio vero ſibi relicta, citra concurſum tonicæ directionis, ſed vel propter ſpiſſum vel nimium ſangvinem contingit: *Staſis* vero eſt perfecta interceptio, alicujus quantitatis ſangvinis a ſuo qualicunque progreſſu, ſive in po-

ris, sive vasis sangviferis, in quibus talis sangvis obhæresçit atque absolute progressu vitali destitutus est, quod etiam valet de obstructione, quæ usitatius prædicatur de occlusione & incarceratione sangvinis in certis vasibus & meatibus, maxime vero exilioribus & angustioribus, deinde vero etiam dicitur de viscerum sangvinis transitui alias dicatorum oppilatione, sive ab ipso sangvine spisso & coagulato inhærente, sive ab aliis humoribus & materiis præstita, unde evenit, quo minus talia viscera sangvinem affluentem transmittant.

Conf. Stahlii Disp. de Obstructione vasorum sangviferorum.

§. IV. Per congestiones sangvineas itaque rectius intelligo activam sangvinis copiosiorem collectionem & affusionem ad diversa loca & quidem talia, quæ antehac ad actuales Hæmorrhagias adhibita fuerant, vel adhuc ad futuros sangvinis fluxus adhiberi possunt, quorum locorum & quarum regionum vicinitates, nullo modo excluduntur: administrantur itaque ejusmodi congestiones cum motu tonico auctiori, per cujus efficaciam moderate constrictoriam, tam facilis & volubilis refluxus sangvinis ex aliqua parte active impeditur, dum paulo capaciores Venarum ramuli quadantenus comprimuntur, ut propterea pars illa, ex qua sangvis per hos ramulos refluere deberet, cum majori illius quantitate oppleatur, sub illa activa naturæ intentione, quo circa ostiola quædam talium Venarum perruptio fiat, & ita actualis Hæmorrhagia acquiratur.

§. V. Tales congestiones itaque directæ sunt ad imminutionem sangvinis superflui, unde subjectis plethoricis & ad Hæmorrhagias dispositis, vel adivetis, familiares observantur, nec non per Hæmorrhagias congruas, legitime succedentes, præservantur, aut impeditas & perturbatas vicissim excitantur aut exacerbantur; & licet nunquam tales Hæmorrhagiæ in diversis subjectis ob multiplices causas, sive ex animo sive ex corpore profluentes, ad successum suum pervenerint, tamen congestoriæ tales commotiones ejusmodi conatus existunt, qui Hæmorrhagias illas urgent.

§. VI. Dum vero has congestiones activas & subinde etiam ad certum finem destinatas esse dico, mox præoccupo illam communem opinionem, quod congestiones effectus obstructionum in vasis sangviferis esse debeant, siquidem juxta reliquum ordinem vitalem, panicus omnino ille terror aut vanus metus est, quasi obstructio vasorum, tam frequens accidens sit in corpore vivo, siquidem tam pernicioſus effectus, qui absolute ad mortem & interitum corporis ruit, a provida natura raro admittitur: neque facile hæc obstructionis suppositio cum tota congestionum sangvinearum historia & reliqua rationabili tractatione medica conciliari potest.

§. VII.

§. VII. In hac congeſtionum ſangvinearum pathologia, merito adhuc notanda eſt illa circumſtantia, quod ſatis accurate eædem, harmoniam ſuam cum Hæmorrhagiis comprobent, præter prædictas animadverſiones, dum per ætates ita variare ſolent, ac in Hæmorrhagiis obſervatur, unde etiam quælibet Hæmorrhagiarum ſpecies ſuas peculiares congeſtiones, tanquam comites & vicarias actiones habet & involuit: ſiquidem eædem cauſæ ad congeſtionum harum provocationem & exacerbationem contribuunt, quæ Hæmorrhagiis excitandis & augendis quadrant: & quamquam aliquando ejusmodi motus congeſtorii loco ſangvinei exitus, ſeroſam excretionem poſt ſe trahunt, minime tamen propterea abſolute iidem ab intentionibus hæmorrhagicis diſcrepant, ſed ob ſangvinem ſeroſiorem & reliquam tum motuum, tum ſubjecti accidentalem circumſtantiam, ad talem eventum pertingunt.

CAPUT I.

DE

CEPHALALGIA SANGVINEA.

§. I.

IN Hæmorrhagiarum tractatione ſpecialiori cepi ab Hæmorrhagia Narium, hinc in moliminum hæmorrhagicorum explicatione, illas etiam ſpecies ratione ordinis commendare placet, quæ cum Narium Hæmorrhagiis aliquam juſtam affinitatem habent: inter has vero primum ſeſe commendant Cephalalgiæ ſangvineæ, quæ admodum frequentes ſunt, & cum variis phænomenis ſeſe exhibent, ſiquidem præcipue junioribus ſubjectis, quoad primam invaſionem, familiares conſpiciuntur & quidem in confiniis illius ætatis conſtitutis, in quibus Narium Hæmorrhagiæ occurrere poſſent & deberent; non obſtante illa circumſtantia, quod talis Cephalalgia adultioribus ſubjectis etiam obtingat, & vel e juniori ætate in adultiorem progrediatur, vel poſt aliquam intermiſſionem ob certas circumſtantias in adulta ætate denuo revertatur.

§. II. Subjecta quibus talis Cephalalgia evenit, ſunt plurimum plethorica & ſubinde etiam diverſis ſuæ plethoræ commotionibus expoſita, quo imprimis pertinent immoderatæ animi & corporis commotiones, exæſtuationes ſive internæ ſive externæ, mala regimina & in ſubjectis ſenſibilioribus commiſſæ partium inferiorum refrigerationes, non excluſis inebriationibus & quibusdam diæteticis vitiis; ipſe vero affectus, prodit ſeſe cum doloribus tenſoriis, oppletoriis, pulſatilibus, æſtuantibus in capite, cum vaſorum ſangviferorum, externum caput percurſantium inflatione, oculorum inturgeſcentia & quandoque conjuncta vertigino-

ginosa perturbatione, quales dolores per aliquot horas continuant & postea iterum remittunt, imo quandoque sub somno evanescunt.

§. III. Recurrunt tales Cephalagiæ per intervalla, imo aliquando plane periodice, maxime vero affligunt subjecta quibus antea vel Narium Hæmorrhagiæ successerunt, nunc vero suppressæ sunt, vel fœminis Mensium imminutione aut suppressione laborantibus: unde etiam satis sæpe dolores tales capitis tensorii, imo gravativi & æstuantes sese protrahunt in anticam capitis regionem, circa narium radicem: & quando obtingit, ut in certis subjectis (quod imprimis in junioribus & puerili aut adolescentiæ ætate fieri solet) nares perrumpant & sangvinem stillent, tunc eo quasi momento, prægressi dolores mitigantur aut plane cessant: eo facilius denique & certius tales dolores recrudescunt, quando alvus obstructa est in talibus subjectis.

§. IV. Est itaque, uti antea dixi, hæc Cephalalgia simplicior congestio sangvinea intra caput, dum per augmentum toni sangvis copiosius intra caput profunditur, sub illa naturæ intentione & contentione, quo e naribus superfluum & molestum sangvinem depleat, siquidem alias actuales Hæmorrhagiæ mitioribus congestoriis motibus absolvuntur; ex hac largiori affusione sangvinis intra caput, pendent molestæ illæ distensiones & oppletiones, tum membranacearum tum vasculosarum partium, nec non pulsatiles illi dolores, cum effusione sangvinis extra arterias synchronæ, uti vegetior & efficacior ille affluxus æstum sensibilem in capite, impeditior vero restuxus oppletionem & inflationem tum certarum capitis partium, tum vasorum venosorum, post se trahit.

CAPUT II.

De

CEPHALALGIA SEROSA.

§. I.

Huic speciei Cephalalgiæ, quam Sangvineam vocavi, ad latus pono alteram speciem, quam Serosam appello, & quidem propterea, quia respectu prioris paulo mitior est, nec non in subjectis humidioribus magisque serosis, attamen unà plethoricis, occurrit, & denique quia, non tam in effectus & eventus sangvineos, quam potius serosos excurrit, uti Catarrhalis ille fluxus e naribus Coryza aut mucida illa faucium oneratio existit, quæ raucedinem constituit.

§. II. Subjecta quibus talis Cephalagia obtingit, sunt vel Sangvineo-phlegmatica vel cholerico-phlegmatica, ob plenitudinem sangvinis quam continent omnino ad Hæmorrhagias proclivia, proinde etiam talibus occasionibus obnoxia, quæ

quæ ſuperfluum ſangvinem commovendo ad conſilium ſuſcipiendorum motuum hæmorrhagicorum contribuunt: dolores ipſi ſunt quidem tenſorii, preſſorii, diſtenſorii & pulſatiles, nec non æſtuantes, ſed obtuſiores, mitiores & cum majori moleſtia gravativa conjuncti, temulentiæ ſenſum inferentes & aliquamdiu poſt ceſſationem ipſius cephalalgiæ poſt ſe relinquentes: denique interdum in ſeroſas excretiones deſinentes.

§. III. Motus hi, qui ad hos dolores contribuunt, ſunt ſimiliter ſangvinem congeſtorii, quoad principaliores intentiones ad ſangvinis excretionem directi, licet cum tempore ſeroſarum exretionum, quæ aliquoties congeſtionem talem exceperunt, proſecutionum concernant & loco ſangvinei eventus huic vicario exitui aſſveſiant: interim experientia medica ſatis ſuperque teſtatur, quid tempeſtivæ præſervatoriæ miſſiones ſangvinis, ad præoccupandas tales congeſtiones conferant.

§. IV. Congruit vero ſeroſus talis eventus, cum ſangvine ſeroſiore, qui per motus congeſtorios, copioſius capiti infunditur, & dum refluxus ſangvinis non ita promptus eſt, ſed loca glanduloſa & cribroſa capitis, ſub tardiori progreſſu & reſtagnatorio quodam effectu, alluit & opplet, tunc ſub hac mora ſucceſſive ſeroſior portio, in illas partes ſecedit, ex quibus denique (quia nunc easdem implet & moleſte detinet,) exprimitur, ut natura priorem ſuam intentionem, profuſioni ſangvinis dicatam, amittat & huic poſteriori effectui, quo accidentalis occaſio contribuit, auſcultet, & impoſterum adſveſcat.

CAPUT III.

DE

CEPHALALGIA ILIACO-HÆMATITICA.

§. I.

PEculiaris hæc Cephalalgiæ ſpecies eſt, cujus frequens mentio inter Practicos non occurrit, niſi Sydenhamius circa clavi hyſterici commemorationem anſam dederit, quo hic affectus magis enodetur; eſt interim ſpecies doloris capitis, quæ quaſi ex Iliaca regione origines ſuas ducit, & ad ſangvinis commotionem, promotionem & emotionem contendit, licet Hippocrates cum Ileo ſuo hæmatite tantum Colicum illum hæmorrhoidalem affectum denotaverit, juxta quam animadverſionem hæc Cephalalgia anomaliis hæmorrhoidalibus vel etiam Menſium annumerari poteſt.

§. II. Hinc quibusdam, tam medicis, quibus hoc negotium innotuit, quam aliis ſimplici obſervationi auſcultantibus, ſubjectis, hic affectus dictus de-

prehenditur Colica anoterica, die Ober-Colic, quæ ex inteſtinis aſcendit, & caput occupat: familiarior eſſe obſervatur fœminis, maxime hyſtericis, aut quibus præmature menſes ceſſarunt, vel maribus hypochondriaco-hæmorrhoidariis vel arthritico-hæmorrhoidariis, utrisque vero plethoricis & ſangvinis excretiones cum euphoria tolerantibus, aut ad easdem admodum proclivibus.

§. III. Exoriuntur hi dolores ex abdomine & adſcendunt intra caput, intercurrentibus pathematibus cardialgicis, nauſeabundis, & anotericis flatulentis, unde ſubjecta ita affecta, hos capitis dolores vaporibus illis inimicis, e Ventriculo aſcendentibus, adſcribere volunt: ipſi vero dolores ſunt gravativi, diſtenſorii, inflatorii, modo in cervice, modo in occipite affligentes, tempora occupantes, interdum proceſſibus maſtoideis adhærentes, quandoque pulſatiles & lancinatorii, cum vertiginoſis perturbationibus conjuncti, aut in vertice ſenſibilis aut inſoliti refrigerii ſenſum inferentes, nonnunquam tinnitum aurium, vaſorum temporalium & jugularium intumeſcentiam, alvi ſtricturam, virium langvorem, faciei ruborem &c. unà involventes.

§. IV. Quanquam vero hæc commotio ſangvinis, non ſimpliciter congeſtoria ſit, ſed & ſimul ſpaſmodica evadat, attamen illius reſpectus finalis non alius eſt, quam ut ſangvis, qui per Menſes aut Hæmorrhoides ob certas cauſas eliminari non poteſt, ſurſum & quidem in talem partem transferatur, in qua olim natura, ſimilem exonerationem ſangvinis vel præſtitit vel proſequta eſt, quæ cum hactenus præcedentes affectus hyſtericos, hypochondriacos aut anomalicos hæmorrhoidales per motus ſpaſmodicos tractaverit, ita ſimiles ſpaſmos huic intentioni, qua ſangvinis excretionem e capite urget, conjungit, ſiquidem viciſſim debitæ vel Menſium vel Hæmorrhoidum revocationes, vel ſubjunctæ congruæ artificiales ſangvinis Ventilationes, talem affectum quaſi in ſuo fundamento levant & mitigant: de reliquo præter has conſiderationes, modo commemoratas, etiam illæ cauſæ ad hujus affectus invaſionem concurrunt, quæ vel in genere ſangvinem irregulariter commovent, vel ſeorſim caput ita afficiunt, quo copioſius ſangvis eò affluat.

Conf. Stahlii Progr. de Cephalalgia Iliaco-Hæmatitica.

CAPUT IV.

DE

CEPHALALGIA APOPLEXIÆ PRODROMO.

§. I.

Brevibus etiam placet mentionem facere, illius ominoſæ & peculiaris Cephalalgiæ, quæ Apoplexiam præcurrere obſervata fuit, ſed quæ quoad cauſales ſuos

ſuos reſpectus ab hactenus commendatis fundamentis pathologicis non diſcrepat; cum vero hæc Cephalalgia, tam gravem affectum præcurrit, tamen quoad diverſa phænomena aliqualem ſpecialem differentiam continet, per quam quoad hiſtoriam ſuam aliquo modo ab aliis communioribus & frequentioribus cephalalgiarum ſpeciebus diſcerni & dignoſci poteſt, ita illius ſeorſim hoc loco reminiſcor.

§. II. Præter illas vero circumſtantias, quæ ad ſtatum ſubjecti in Apoplexiam ſangvineam propendentis, pertinent, de hac Cephalalgia notandum eſt, quod ſubjectis adultioribus, utplurimum plethoricis, & multis plethoræ ſuæ commotionibus obnoxiis eveniat, & quidem quod repente corripiat, quaſi e nucha aſcendens intra intimiora cerebri ſeſe motibus exquiſite tenſoriis & lancinatoriis diffundat, ſimul repentinas & inſolitas vertigineſas perturbationes atque ſenſuum ſuſpectas habetationes & obnubilationes inferat, poſt moram vero iterum remittat, ſed ferme ſemper gravius & cum majori omine recurrat, quin denique in actualem apoplexiam, niſi tempeſtiva medela ipſi feratur, excurrat.

§. III. Oriuntur itaque hi dolores e repentina & immoderata congeſtione ſangvinis intra caput, qualis in junioribus hisce ſubjectis cum faciliori effectu & eventu impetratæ Narium Hæmorrhagiæ præſtita fuerat, quæ ipſa congeſtio hac etiam ætate, priſtinum eundem finem proſequitur, ad quam intentionem naturæ, reliquæ in ſubjecto occurrentes circumſtantiæ, imprimis urgentis plenitudinis ſangvinis, aut oppreſſæ hæmorrhoidalis evacuationis, pluribus aliis etiam minime neglectis, contribuunt; dum vero hoc conamen quædam vel inſvetudo vel deſvetudo premit, vel contumacia in agendo, ex adulta ætate fluens, comitatur, ita neque ad congrua loca proxime applicatur, neque ad ſalutarem eruptionem e naribus perducitur, ſed per accidens & quidem citra intentionem naturæ in internam eruptionem & ſangvinis extravaſationem in cerebri ventriculos excurrit.

CAPUT V.

DE

CEPHALALGIA VENEREA.

§. I.

CUm in ordine diverſarum Cephalalgiæ ſpecierum explicandarum etiam illa ſingularis ſpecies Venereorum dolorum capitis occurrat, ita non alienum erit, in hac Cephalalgia aliquod diſcrimen a reliquis ſpeciebus annotare, attamen ſimul indicare, quomodo nihilominus eandem Veneream Cephalalgiam congeſtionis

ſtiones ſangvineæ certo reſpectu comitentur, licet ſubinde aliquid materiali efficaciæ inquinamenti venerei exaltati adſcribendum & concedendum ſit.

§. II. Præſupponit itaque hæc Cephalalgia præſentiam & concurſum inquinamenti Venerei, quod cauſam impulſivam, ad provocandos hosce dolores capitis idoneam, conſtituit, ipſa vero ſpecies doloris hujus per initia fixum quaſi locum in capite occupat, qui dolor mox rodens, ardens, pruriens, terebrans, quaſi intra cranium fodiens & ſalina roſione efficax eſſe percipitur, conjuncta gravitate & temulenta moleſtia capitis, qualis dolor maxime veſpertinis & nocturnis temporibus, quibus juxta ordinarium œconomiæ animalis ſtatum, heterogeneæ materiæ plus extenuantur & augentur diffunduntur, & per latifundium humorum diſperguntur, utpote quæ principaliores hujus Cephalalgiæ circumſtantiæ ſunt, cum quibus adhuc plures aliæ concurſant, quæ ad Venereum inquinamentum illiusque efficaciam in partes membranaceas, glanduloſas & lymphæ comeatui dicatas, pertinent.

§. III. Quoad cauſales reſpectus omnino quidem inquinamentum illud venereum, quod ſucceſſive acrem, ſtimulatoriam, vellicatoriam & in membranaceas partes efficacem qualitatem nanciſcitur, dolores illos rodentes & prurientes in ſenſibili pericranio cauſatur, ſed & eo ipſo, ad affluxus congeſtorios ſangvinis intra caput provocandos concurrit, id quod tanto certius & facilius in ſubjectis plethoricis contingit, imprimis junioribus & quæ alias ſangvinis commotionibus aut actualibus plane emotionibus adſveta fuerunt, in quibus non modo ſenſationes dolorificæ, tenſoriæ, diſtenſoriæ, æſtuantes, oppletoriæ, pulſatiles & turgefactoriæ occurrunt, ſed & reliqui concurſus dolorifici, magis magisque augentur: ut ita ex una parte congeſtiones ſangvineæ, propter roſivam vellicationem, caput infeſtent, ex altera parte etiam ex prægreſſis motibus hæmorrhagicis in diverſis ſubjectis, majora accrementa & incitamenta accedant.

CAPUT VI.

DE

CEPHALALGIA STOMACHALI.

§. I.

PEculiaris hæc eſt dolorifica capitis afflictio, quæ non modo diverſis ſubjectis familiaris eſt, ſed & multis opinionibus anſam præbet, cum in cauſali illius deductione, plurimi Medici conſenſum plexus illius nervoſi, ſiniſtrum Ventriculi orificium ambientis, accuſare ſciant, & pro qualicunque coloratione hujus aſſerti, certam diſpoſitionem Ventriculi, ſed certe neſcias qualem (fortaſſis talem,

quæ

quæ præsuppositioni & opinioni congruit) culpare & allegare soleant, in qua sententia vero meum dissensum ob varias rationes celare haud volo.

§. II. Res interim est vera & indubia, quod videlicet ex stomacho capitis dolor in variis subjectis ortum trahat, quando nimirum aliquid insoliti, durioris & dyspepti, aut acrius confermentantis & qualescunque turbas in Ventriculo causantis, comederunt; inde evenit, ut mox caput dolere inchoet & sensationibus consvetis, tensoriis, pressoriis, oppletoriis, semi vertiginosis & æstuantibus affligatur, qui dolor satis sæpe mox remittere incipit, quando talia subjecta tempestivo vomitu, hæc ingesta mox iterum egesserunt, alias hi dolores, per aliquot horas continuant & tunc iterum cessant.

§. III. Sunt vero tales dolores illis subjectis familiares, quæ in genere facilia sunt ad congestorias commotiones capitis & simul sensibilia in officio concoctionis, in quibus capitis dolores frequentius prægressi ex longe alia, quam e Ventriculo petenda, causa, primam occasionem subierunt, unde historia practica attestabitur, quomodo eadem subjecta communiter plus sangvinis contineant quam quidem necesse habent, aut in fluxus sangvinis incliuent, aut etiam impedito fluxu spontaneo sangvinis laborent, quod de menstruarum Mensium fluxu valet, ut itaque initia motuum horum congestoriorum intra caput magis propter sangvinem, quam propter aliam causam fiant, cui commotioni vero ita adsvescit natura, ut si corpori quicquam offertur, quod iterum per superiores regiones, cum sensu fastidii & aversionis rejiciendum est, eadem pristinarum commotionum sangvinearum in superiores & quidem capitis partes dirigendarum, memor, ex hac occasione pristinos mores & modos repetit, & tam diu continuat, donec objectum præsens, quod Ventriculum offendit, aliorsum promovit aut aliquo modo removit.

§. IV. Quod enim de consensu generis nervosi vulgo dicitur, illud nititur indemonstrativa, quæ tamen vulgo accusatur, certa dispositione ventriculi, deinde in omnibus subjectis unus quidem item q; adest consensus, sed deest unus idemque effectus, non vero in omnibus subjectis sensus & consuetudo unius ejusdemque gradus sunt; porro subjecta quædam, quoad corporis constitutionem teneriora & generice sensibiliora judicata, tamen sæpe non experiuntur tales dolores, ob famosum illum nervorum consensum, uti alias subjecta, quoad corpus robustiora, sed in hisce particularibus commotionibus sensibiliora; ut ita facile & si negotium promereret, multis phænomenis demonstrari posset, quomodo vulgares accusationes nervorum non satis faciant huic negotio.

CAPUT VII.

DE

CEPHALÆA.

§. I.

QUemadmodum hæc peculiaris denominatio doloris capitis est, ita peculiarem speciem Cephalalgiæ constituit, quæ a communi & vulgari quadantenus differt, non quidem quoad sensationum dolorificarum species, sed quoad certas intercurrentes circumstantias specialissimas: siquidem dolores in Cephalæa occurrentes æque tensorii, distensorii, pulsatiles, vibrativi & æstuantes existunt, non tamen ita immoderati & acerbi, ut in simplici Cephalalgia, sed mitiores & obtusiores, attamen constantia & durabilitate compensantes, in quo ratione gradus & valoris deficiunt.

§. II. Unde sunt diuturnæ & contumaces capitis dolorificæ afflictiones, quæ cephalæam afficiunt, per plures dies continuantes, paululum remittentes, ex levi causa iterum corripientes, neque per consveta salutaria auxilia, quibus vulgo Cephalalgia mitigari solet, facile compescibiles, sed insolentius persistentes, sub quibus unà insolita capitis infirmitas concurrit, quæ in hebetatione sensuum internorum consistit; affligit perpetua capitis gravitas atque temulenta molestia, licet per intervalla etiam rheumatici quidam motus cum prædictis doloribus concurrent.

§. III. Quantum quidem Historia practica attestatur, hoc ipso affectu facilius fœminæ corripiuntur, & quidem, quando circa mensium negotium in turbas & impedimenta incidunt, aut multum cum Cephalalgia afflictæ fuerunt, quæ una cum reliquis subjectis de singulari illa molestia in hoc affectu conqueruntur, quasi caput ipsis etiam quoad ossa distensum sit, unde jubent & efflagitant, quo ipsis caput circa tempora ad futuram sagittalem comprimatur: quid quod frequenter in ipso capite certum locum doloris indicant & jubent, quo post mortem hic antea indicatus locus inquiratur.

§. IV. Quantum Historiæ anatomicæ de subjectis cephalæa afflictis & denique demortuis testantur, observatum in ipsis fuit quomodo vasa sangvifera præter naturaliter dilatata & extensa occurrerint, quæ amplitudo & flacciditas vel per vehementes simultaneas cephalalgicas commotiones, vel per frequentes ordinarias cephalalgias vel per concitatas impetuosas commotiones sangvinis intra cerebrum factas (quo interdum artificiales vehementes vomitiones in sexu sequiori provocatæ recensendæ sunt) inducta fuit, ut adeo vasis imprimis venosis ita patentibus, & affluxus intra cerebrum copiosior & constantior fiat, ex eo oppletiones, distensiones, infarctus & partium membranacearum extensiones & relaxationes, inde-

indeque pendentes imbecillitates quasi perpetuæ existant: quo concurrunt per intervalla exardescentes activæ congestiones, juxta antiquum typum sangvinis excretionem e capite urgentes.

§. V. Interim fundamentales circumstantiæ comprobant, quod omnino tam ante cephalææ ortum, quam sub illius progressu molimina hæmorrhagica concurrant, sicuti extraordinariæ illæ copiosiores translationes sangvinis intra caput, ad molimina hæmorrhagica spectantes, id efficiunt, (quod ad Cephalææ veram indolem alias spectat) nimirum extensionem vasorum sangviferorum cum flacciditate eorundem conjunctam; unde aliarum salutarium Hæmorrhagiarum impeditiores successus vicarias tales commotiones involvunt, sicut in fœminis male menstruatis contingit: quemadmodum de reliquo sequiori sexui hic affectus facilius obtingere potest, & prout experientia confirmat etiam solet, dum laxior & mollior illius textura, talibus relaxationibus & per extensionem inducendis flaccescentiis citius subjacet.

CAPUT VIII.

DE

HEMICRANIA.

§. I.

INter species dolorum capitis adhuc hoc ordine Hemicraniam recenseo, quæ rarius quidem occurrit, sed satis indolens, contumax & refractaria existit, licet cæterum dimidium capitis latus occupet & detineat, unde etiam hanc appellationem nacta est; quanquam vero hic affectus non totum supremum caput, uti aliæ cephalalgiarum species solent, occupet, tamen hunc defectum in eo supplet, ut dolores acerbiores & acutiores existant, deinde vero etiam in totum capitis latus, usque in collum & humerum se extendant, & ita secundum longitudinem magis exspatientur, in quo secundum latitudinem defectum aliquem habere videntur.

§. II. Exserit hic affectus sese cum motibus non simpliciter congestoriis, sed & una spasmodicis in uno capitis latere, ita quidem ut a summo vertice, porro tempora, oculi, genæ, mentum, aures, collum & summus humerus corripiantur, non quidem simul & semel, sed alternatim, adeo ut si in affecto latere dolores, superiores forte partes detineant, eo tempore ab inferioribus cessent, & vice versa: deinde hic affectus tam junioribus, quam adultioribus interdum obtingere observatur, ita quidem ut in junioribus, dextrum præcipue latus capitis, in adultioribus contra sinistrum occupet, in quibus posterioribus, cum affectibus ar-

arthriticis, nephriticis & ischiadicis, aliquam communionem subit: de reliquo vero subjectis activioris indolis facilius quam aliis obtingit.

§. III. Porro experientia medica comprobat, quomodo Hemicrania interdum periodicas recursiones servet, aut aliis statis temporibus, quasi exquisitos paroxysmos teneat, ut & quomodo communiter in subjectis plethoricis & ad Hæmorrhagias proclivibus, occurrat, & quomodo quandoque e Cephalalgia simpliciori, male tractata & per remedia calefacientia aut minus secura opiata offensa, oriatur: quo adhuc illam circumstantiam refero, quomodo interdum ex mensibus impeditius procedentibus aut Hæmorrhoidibus retropulsis, primitias suas capessiverit, quæ singulæ observationes practicæ ad enodandam & illustrandam indolem hujus affectus inserviunt.

§. IV. Ob id quoad causalem Hemicraniæ explicationem dico, quod hic affectus constituat magis rigorosum & immoderatum molimen, ad eliminandum superfluum sangvinem in genere directum, a natura horum motuum præsule & efficiente causa susceptum, atque ad talem locum directum, qui partim reliqua ætati congruit, aut e quo olim similis evacuatio aut eluctatio, commissa fuit: concurrunt vero in hoc conamine hæmorrhagico motuum augmenta insolita, quæ partim cum temperamento porosiori & spasmodicis commotionibus magis subjecto, partim cum animo audaciori, præcipitanter & impetuose, aut tacite, sed admodum immoderate & contumaciter fines præfixos prosequente, partim cum prægressa immoderata artificiali commotione & excitatione, correspondent.

§. V. Unde in Hemicrania formalem rationem, ad usus medico-practicos applicandam, demonstro & comprehendo, quod constituat in genere salutarem destinationem ad molestam sangvinis ubertatem deplendam, neque habeo aut invenio, quo salinam aliquam acrimoniam accusem, quæ cum principalioribus & essentialibus circumstantiis historicis haud congruit, siquidem imprimis illa peculiaris horum congestorio-spasmodicorum motuum applicatio, ad diversum latus, pro diversitate ætatis ordinata, ab hac physica causa totidem discrepat, cum potius verior & simplicior ratio, inquirenda sit in illa generali motuum majori vel minori applicatione ad dextrum vel sinistrum latus, prout ætas est junior vel adultior: siquidem in juventute ob promtitudinem ad motus & labores usitatius & frequentius vires ad dexterum applicantur latus: ut non latius commemorem, quomodo natura humana ad primam suam intentionem deducendam in inferioribus corporis locis exquisitas strictluras & subinde etiam alvi occlusiones suscipiat, quo vires suas in superiores regiones magis transferre queat, & quanta exquisita temporis ratione affectum talem periodice repetat.

CAPUT

CAPUT IX.

DE

OPHTHALMIA, HYPOPIO ET EPIPHORA.

§. I.

CUm hactenus in explicandis Cephalalgiarum ſpeciebus, imprimis congeſtiones ſangvineas per ſupremum tam internum quam externum caput, vagantes, annotaverim, ita pro evidentiori ordine, jam ſimiles apparatus hæmorrhagicos & congeſtiones ſangvineas, harumque conſecutiones & connexiones, in diverſis capitis partibus explicabo: inter quas partes vero reſpectu dignitatis ſuæ, prærogativam tenent oculi, ob id ſolenniores & ad Pathologiam medicam ſimplicius ſpectantes, oculorum affectus commendabo, & quidem hoc loco Ophthalmiam, Hypopium & Epiphoram, quia partim ratione ſucceſſus & conſecutionis exquiſitam affinitatem habent, partim una eademque cauſa nituntur, ex qua primas origines capeſſunt, inter hos vero affectus, principalior eſt Ophthalmia, quæ generica ſua denominatione, quaſi per excellentiam, ſingularem oculorum morbum indicat.

§. II. Ophthalmia eſt affectus oculorum congeſtorio-inflammatorius, cum acuto & exquiſito dolore conjunctus, ſimpliciter ſangvineus, ſubjectis ſive in pueritia, ſive in adoleſcentia conſtitutis, familiaris, maxime ſangvine abundantibus, Cephalalgiis etiam interdum obnoxiis, in quibus talis affectus modo unicum, modo utrosque oculos occupat, cum dolore ſubtili & acuto tenſorio, pulſatili, ardente, oppletorio, compunctorio, lancinatorio, concurrente inturgeſcentia Venularum, oculum percurſantium, & impatientia applicationis oculorum ad luminis ſplendorem: & hæ moleſtiæ acutæ, non raro ad intimiora & bulbum usque oculi penetrant, ſicuti interdum etiam albuginea tunica, cum ſtagnante ſangvine perfunditur, qui ſucceſſive reſolvitur & reſorbetur.

§. III. Durant tales dolores interdum per exiguos dies, qui de reliquo circa veſperam, (quo tempore ob diverſas functiones vitales, motus conſveti augentur) exacerbantur, & concurrunt etiam aliquando oppletoriæ capitis moleſtiæ, donec ſucceſſive totum hoc ſchema affectûs remittat, aut interdum vel ſua ſponte vel qualitercunque exacerbatum, per omnia prædicta ſymptomata augeſcat & increbeſcat; maxime vero dolor lancinatorius, compunctorius, ardens & pulſatilis exaſperatur, qui ſeſe ad certam oculi regionem intra Uveam & tunicam corneam concentrat, atque cum actuali inflammatione pergit, quin denique in ſuppuratorium effectum excurrit, ut micula quædam purulenta albuginea promineat, qui morbus affectum illum, a medicis HYPOPION dictum, conſtituit, e qua exigua

prominentia pauca admodum puris quantitas exprimi poteſt, qui abſceſſulus in tenera tunicarum oculi textura, legitime iterum concreſcens nihil viſum impedit, quando vero irregulariter concretio hæc contingit, & cartilaginoſa quædam cicatrix & protuberantia oritur, tunc ille ſpecialis oculi affectus provenit, qui UNGVIS oculi aut PTERYGION vocatur & communiter viſus functionem valde lædit.

§. IV. Interdum Ophthalmia ſimplicior & ſangvinea mutationibus quibusdam ex diverſitate ſubjectorum provenientibus ſubjicitur, quando videlicet eadem humidioris vel temperamenti vel intemperiei exiſtunt, ut adeo ſeroſi quidam effectus aut feceſſiones & ſucceſſivæ emanationes ſeroſo-ſalivales lacrymales ex oculo affecto oriantur, & affectus ille qui EPIPHORA ſive LIPPITUDO OCULI audit, prodeat, in quibus præcurrentes & concurrentes motus congeſtorii, hanc humidam fecceſſionem intra laxiorem & glanduloſam oculorum texturam cauſantur, quoniam talis humiditas in reliqua maſſa ſangvinis horum ſubjectorum non deficit, ſed potius abundat: hoc ſerum vero in teneram & ſenſibilem hanc partem ſecedens, eandem non parum ſtimulat & offendit, adeoque congeſtorium humorum affluxum conſtanter provocando, ſuſtentat, ut denique tale malum in perverſum illum habitum degeneret, proptereaque hic affectus tam inſolens tamque chronicus fiat, & de reliquo neceſſariam hujus affecti organi vivacem tenſionem alteret & relaxet, ut poſthac obſcurior non modo compareat, ſed & largioribus affluxibus & oppletionibus humorum pateat.

§. V. Fundamentum horum connexorum affectuum conſiſtit in congeſtione ſangvinis activa in hanc partem translata, minime vero in fortuita & cum reliquis circumſtantiis principalibus hiſtoriæ practicæ nihil cohærente obſtructione vaſorum minimorum, vel ſimplici ſalſuginoſa vellicatione: ſcopus hujus congeſtoriæ commotionis eſt emotio ſangvinis ſuperflui & commoti e capite, quam natura nunc in tali loco urget, nimirum in oculo, qui per varias, maxime externas cauſas & occaſiones offenſus & quaſi provocatus fuit, ſiquidem hic locus in vicinia narium poſitus, harmoniam motuum hæmorrhagicorum inter oculos & nares prodit: quo illa animadverſio merito referenda eſt, quomodo in obſervationibus medicis non deficiant exempla Hæmorrhagiarum ex oculo, imprimis menſium ex oculo ventilatorum, vel quomodo natura humana ex generali dominio, quod in corpus ſuum habet, ſpeciales has hæmorrhagicas intentiones ſuſcipiat, ſive ad effectum ſuum pertingant, ſive minus proxime in hunc locum transferantur & dirigantur; cum qua conſideratione adhuc concurrit ætas, in quam Ophthalmia uſitatius incidit, qualis communiter etiam Narium Hæmorrhagiis obnoxia eſt, nec non ille concurſus cauſarum, tum antecedentis tum occaſionalis,

quæ

quæ ſicuti ad Hæmorrhagias provocandas, ita etiam ad ophthalmiam excitandam, teſte quotidiana experientia, quadrant & ſatisfaciunt.

§. VI. Quando talis congeſtio ſangvinea intra teneram atque denſam oculorum texturam paulo immoderatius transfertur, facile exinde evenit, ut aliqualis ſangvinis ſtaſis ſuboriatur, quæ ne in putredinem actualem ruat, a natura ſalutari conſilio, inflammatorio, ſuppuratorio motu, urgetur, ut adeo ob ſtaſin per accidens natam, prima intentio, quam natura per motus congeſtorios proſequebatur, amittatur, & ne ex illa ſtaſi deterius malum proveniat, alius effectus, nunc magis neceſſarius obtineatur; de reliquo in illis ſubjectis, quorum ſangvis cum multa ſeroſa humiditate permixtus eſt, ſub genericis maſſæ ſangvineæ congeſtionibus ad oculos aliter fieri haud poteſt, quin ſucceſſive tenuior & fluidior hæc humiditas ſeroſa intra oculorum texturam copioſius ſe dimittat, adeoque hoc ſchema affectus, alium eventum ſortiatur, interim experientia teſte ejusmodi affectus evidenter ceſſat, quando vel puerulis Narium hæmorrhagiæ redeunt vel fœminis menſes erumpere inchoant & conſtanter fluere continuant.

CAPUT X.

DE

CATARACTA.

§. I.

PEculiaris hic eſt oculorum affectus, qui partim theoreticis, quoad modum fiendi & eſſendi, partim practicis quoad motum tractandi, multam crucem figit, & in ſe ſpectatus celebre illud officium viſus, admodum offendit, quod ſucceſſive penitus & perfecte abolitur & ex obſcuritate in abſolutam cæcitatem convertitur: vulgo quidem adſcribitur ſucceſſivæ affuſioni, perfuſioni & ſuffuſioni pituitæ mucilaginoſæ & in coagulum pronæ intra uveam tunicam & criſtallinum humorem, qua ſucceſſive inſpiſſata & condenſata pelliculam humoribus oculorum accreſcentem & increſcentem ſtatuunt medici, quæ pupillam denique in totum occludendo radios ſolares intercipit & cæcitatem cauſatur, ſiquidem hujus pelliculæ genetin, ſucceſſivam vulgo ſupponunt & ex eo inter incipientem & confirmatam, Cataractam diſtinguunt.

§. II. Quamquam hujus ſententiæ, antiquitus receptæ, argumenta & demonſtrationes habere glorientur illi, qui eidem addicti ſunt, dum non modo poſſibile eſſe videtur, ut ejusmodi pellicula in loco indicato generetur, ſed & e depoſitione illius atque repetita relapſione, hujus aſſerti veritatem comprobare nitantur: protraxerunt tamen in recentiori ævo Ophthalmiatri quidam ſolertiores

& acutiores Galliæ è ruderibus antiquitatis evidentiorem ſententiam, de ſtatu Cataractæ, dum videlicet obſcurationem anticæ ſuperficiei lentis cryſtallinæ accuſant, ut propterea facilis radiorum ſolarium tranſitus præcludatur, & cæcitas exinde oriatur; qualis obſcuratio dum ſucceſſive augetur ita Cataractæ confirmationem ſucceſſive conciliare dicitur.

§. III. Oritur ejusmodi cryſtallini humoris obſcuratio, a materiis perverſis cum humoribus intra Oculum congeſtis, ad affectum locum ſucceſſive ſecedentibus & ſuperficiei hujus humoris adhærentibus, unde ob diverſitatem ejusdem materiæ color Cataractæ variare ſolet & propterea alia dicitur cinerea, alia fuſca, alia albicans, alia livida, quæ diſcreta denominatio operatoribus valde uſitata eſt: & dum talis depravatio non ſubito oculis accidit, propterea communiter obſervatur, quomodo Cataractæ geneſin antecedant prædictæ congeſtiones ſangvinis ad oculos, undecunque etiam provocatæ fuerint, ſive e junioribus ætatibus finem illum hæmorrhagicum intendere compareant, ſive diverſas immoderatas oculorum offenſiones ſequantur, ubi non penitus excludenda eſt qualiscunque humorum dyſcraſia ſeroſa, aut bilioſa, quæ tanto facilius ad obſcuritatem talem inducendam concurrit.

CAPUT XI.

De

OTALGIA.

§. I.

AD Aurium morbos ſolenniores nunc progredior & inter illos primarium hunc præmitto & explico, qui a medicis per eminentiam vocatur dolor aurium & qui in ſimpliciori quodam ſtatu obſervatur, licet cæteroquin non adeo frequenter occurrat, neque utrasque aures ſimul corripiat, ſed qui tamen gravis ſatis, urgens & acutus eſt, unde ſimpliciori doloris nomine indicatur.

§. II. Eſt vero hic dolor ſenſibilis, tenſorius, diſtenſorius, pulſatilis, lancinatorius, ardens & ſemi inflammatorius: evenit ſubjectis plethoricis, imprimis junioribus, Narium Hæmorrhagiis aut aliis apparatibus ad easdem pertinentibus antehac obnoxiis: continuat per aliquot dies, & ob ſenſibilitatem admodum afficit ſubjecta, ut propterea morales, animales & vitales functiones, in mutationes quasdam incidant: concurrit ſubinde hic affectus cum doloribus rheumaticis, ſiquidem de reliquo vel idiopathice corripit, vel juxta veterum obſervationes, primum commendatas, ſymptomatice & quidem in febribus acutis, occurrit.

§. III.

§. III. Interdum hic affectus ſine viſibili effectu & producto decurrit, interdum vero etiam ita inſoleſcit & increbeſcit, ut prædicti dolores acerbius continuent, capitis concurſans oppletio dolorifica affligat, ardor maxime angat, & perfecte inflammatorium ſchema ſubnaſcatur, quod poſt aliquot dierum decurſum nonnunquam in perfectum Apoſtema definit, ut denique pus extra affectam aurem erumpat & impoſterum abceſſus iterum concreſcat, atque modo minorem, modo majorem auditus gravitatem aliquando poſt ſe relinquat: vel evenit ut abſceſſus talis apoſtematicus, in abſceſſum ulceroſum degeneret, adeoque diu fœtidus fluxus ex aure cum gravi auditus impedimento, vel plenaria abolitione continuet.

§. IV. Hæc Otalgia oritur a ſimili acerbiori congeſtione ſangvinis ad aurem facta, quam ſpecies dolorum & reliquæ circumſtantiarum connexiones comprobant, ſicuti interdum cauſæ quædam externæ occaſionales, aures afficientes maxime vero repentinæ aëris frigidioris penetrationes, intra aurem huc contribuunt; qualis commotio vero in genere concernit eventum illum hæmorrhagicum, quem natura per modum aberrationis a vera via in auribus & circa illas proſequitur, uti circumſtantiæ in ſubjectis annotandæ id confirmant, videlicet ſtatus plethoricus, prægreſſæ Hæmorrhagiæ, aut prægreſſa alia molimina hæmorrhagica, & concurrentes adhuc commotiones ad Hæmorrhagias diſponentes, quo ſpectat veterum obſervatio circa Otalgias ſymptomaticas inſtituta, quomodo illæ partim cum deliriis, partim cum Stillicidio ſangvinis e naribus communionem aliquam ſervent.

§. V. Quando ſua ſponte ſimplicior talis congeſtio intra aures exacerbatur, per accidens exinde ſtagnatio aut ſtaſis ſangvinis in aure ſuboritur, cui diſcutiendæ & reſerandæ natura humana, amiſſo priore ſcopo excretionis ſangvinis, inflammatorium nunc motum adhibet & ſubſtituit, quo poſterius gravius magisque urgens periculum avertat, quæ inflammatio interdum in ſuppuratorium effectum definit; quo ipſo metus corruptionis putridæ in aure præoccupatur: interdum vero etiam accidit, ut citra talem ſcopum hæmorrhagicum Otalgia imprimis inflammatoria excitetur, quando ob prægreſſam inſolitam oppletionem capitis cum copioſiori ſangvine, ex exæſtuatione capitis majori ortam & ob ſupervenientem ſenſibilem atque repentinam refrigerationem capitis & aurium, incarceratio & ſtaſis ſangvinis in tenero & ſenſibili hoc organo, ſubnaſcitur, cui poſthac amovendæ natura inflammatorium motum adhibet.

§. VI. Quando Otalgia ſymptomatice & quidem in febribus acutis occurrit, communiter prædicti reſpectus annotandi & conciliandi ſunt, quomodo videlicet natura, qualitercunque ſub hac febre commota & impulſa hæmorrhagicam talem commotionem ſuſcipiat, unde obſervarunt etiam veteres, quomodo viciſſim tempeſtiva Narium Hæmorrhagia hoc ſymptoma febrile mitigaverit, ſiqui-

ſiquidem aliàs in obſervatione medico-practica abunde cognitum eſt, quod natura tales particulares commotiones & ſines interdum in febribus ſeligat, cum eadem jam in principaliori quodam opere occupata & laborioſa exiſtat.

CAPUT XII.

DE

TINNITU ET SUSURRU AURIUM.

§. I.

AD affectus aurium, præſentes alterationes referri merentur, quando inſolito modo & malo omine frequentiores tinnientes & murmurantes ſonitus in aure percipiuntur, quo loco vero mox duplicem perverſum ſenſum præoccupo, ne videlicet tranſitorius ille & cæteroquin ſanis hominibus occurſans tinnitus pro morbido declaretur, aut ab ipſis affectis ſubjectis adeo rigoroſe atque meticuloſe æſtimetur; deinde ne mox ſimiles ſonitus cum reliquis affectuum ſyncoptieorum, paralyticorum, hemiplecticorum aut apoplecticorum prodromis confundantur, & exinde denuo affectis ſubjectis tantus horror incutiatur, ut ſi non ex hisce affectibus, tamen ex profunda & meticuloſa imaginatione in eosdem incidere queant.

§. II. Tinnitus aurium rarius eſt idiopathicus, quin interdum ut ſymptoma cum ſimplicioribus Cephalalgiis aut affectibus ſpasmodicis, caput una in conſenſum trahentibus, concurrat, ſiquidem ratione formalis ſuæ conſtitutionis ſubtili ſpaſmodica ſtrictura internarum membranularum in aure comprehenſarum, nititur, quæ æqualiter ſuſcepta ab externa ordinaria aëris commotione tamdiu ſubtiliter alteratur, ut eo usque tinniens ille ſenſus continuet, donec ſubtilis hic ſpaſmus in prædictis locis remittat: adeoque hic tinnitus conſectarium illius motus eſt, qui cum aliis hæmorrhagicis capitis moliminibus quandoque complicatur: communiter itaque ſymptomatice talis tinnitus ſive in prædictis ſive in rhevmaticis, catarrhalibus aut febrilibus affectibus occurrit.

§. III. Unde etiam evenit, ut talis tinnitus illas externas cauſas ſequatur, quæ ad provocandum ſubtilem & repentinum ſpaſmum in profunditate aurium quadrant, quo loco inculpo repentinam refrigerationem aurium, aut vehementem commotionem ex forti fragore & ſonitu externo, qui impetuoſe teneras membranulas aurium allidens & afficiens, repentinam ſpaſticam earundem retractionem poſt ſe trahit: quando vero hic tinnitus periculoſioris ominis eſt, & apoplecticis eventibus præcurrit, communiter ſuſpectam vertiginem & repentinam ſenſuum obnubilationem una involvit, adeoque ex concurrentibus circumſtantiis, quoad eventum ſuum dignoſci debet: ubique tamen conſectarium evadit,

dit, (ſi quidem ſponte occurrit) motuum præcurrentium & concurrentium hæmorrhagicorum; quare Veteres & imprimis Hippocrates paſſim hunc tinnitum aurium in febribus cum Narium Hæmorrhagia ſollicite comparavit: & quanquam etiam catarrhalibus affectibus interdum ſuperveniat, ubique conſecutionem motuum ſpaſticorum ad ſalutarem excretionem plurimum deſtinatorum efficit & conſtituit.

§. IV. Suſurrus aurium partim ſubjectis adultioribus & modo in ſenectutem proclivibus, partim ſub affectibus frequentius catarrhalibus obtingit, conſiſtit vero in irregulari ſpaſmodica tenſione membranularum internarum ad aures pertinentium, ita ut in uno loco ſtrictura talis auctior occurrat, in altero vero laxitas quædam inſolita adſit, unde irregularis & confuſa hæc auræ, ab extra allidentis, occaſio, non acutum ſed obſcurum & murmurantem ſonitum cauſatur: talis commotio ſpaſmodica vero communiter directa eſt ad catarrhalem exonerationem e capite, maxime in talibus ſubjectis, quæ vel in junioribus ætatibus, actualibus ſangvineis narium fluxibus adſveta fuerant, vel alia molimina hæmorrhagica in capite ſubierunt, quæ tamen per accidens ad ſeroſos eventus pertigerunt & hactenus in vicaria hac excretione conſervata fuerunt.

CAPUT XIII.

DE

GRAVITATE AUDITUS ET SURDITATE.

§. I.

BIga horum affectuum, gradu tantum differentium, ut plurimum conſtituunt eventum præcedentium aurium morborum, ſiquidem gravitas auditus, vel in relaxatione membranarum aurium, vel deformatione ipſius organi, vel prægreſſa læſione & mala concretione, vel continuante humida ſeceſſione & catarrhali oppletione aurium, conſiſtit, & ex illis cauſis maxime oritur, quæ ad hos effectus contribuunt: & quemadmodum interdum juxta filum & tenorem, experientiæ medicæ ejusmodi effectus moliminibus illis hæmorrhagicis, hactenus deſcriptis, anomalice tamen decurrentibus, ſupervenire ſolent, ita adhuc aliæ, internæ & extertnæ commotiones & violentæ plane occaſiones eo concurrunt, quæ propterea a ſpontaneis & tacitis cauſis & ortibus hujus affectus curatius diſtingvi debent.

§. II. Et ita etiam plenaria auditus abolitio, ſive Surditas ſimiles cauſas & occaſiones agnoſcit; unde vel in abſoluta paralytica membranularum aurium relaxatione, vel in violenta dilaceratione tympani conſiſtit, ut propterea omnis neceſſaria repercuſſio allidentis aëris ceſſet: quo interdum plane ſingulares & ſpecia-

cialiſſimæ alteratiores, quæ ex obſervationibus rarioribus anatomicis petendæ ſunt, diſpoſuerunt, uti inter reliquas cauſas proximiores ad ſurditatem talem conciliandam idoneas, iterato particularem humorum metaſtaſin & ſeceſſionem humidam refero, quippe quam circumſtantiam veteres medici annotarunt, quando in febribus, vel perfecte typicis, vel irregularibus, repentina ſurditas orta eſt, quam ejusmodi particulari translationi humorum adſcripſerunt & cum qua interdum ſangvinis ſtillicidium e naribus connexerunt: de reliquo vero ad talem affectum, quaſi ordine naturæ, proclivis eſt ſenilis ætas, cui per legem divinam decrementum & denique mors deſtinata legitur.

CAPUT XIV.

DE

ODONTALGIA.

§. I.

FRequens hic eſt affectus & perquam moleſtus, dum cum multo & contumaci dolore affligit, & non modo multa ſubjecta invadit, ſed & frequenter recurrit, ſubinde etiam e ſimplicioribus phænomenis incipit & in diverſos effectus deſinit, qui tamen non ex eſſentia affectus, ſed ex accidentalibus illius circumſtantiis proveniunt, uti ſunt frequentes ſputationes, intumeſcentiæ inflammatoriæ aut carioſæ dentium corruptiones: ſiquidem poſterius hoc accidens, non modo illos motus ad conſtituendam odontalgiam pertinentes provocare, ſed & certo reſpectu etiam exacerbare ſolet.

§. II. Eſt vero odontalgia affectus ſubjectorum juniorum, quæ non raro per aliquam conſvetudinem in adultiorem ætatem hunc affectum transferre ſolent: ipſe affectus vero conſiſtit in doloribus ſtrictoriis, ſubtiliter tenſoriis, fremebundis, vibrativis, lancinatoriis per gingivas quaquaverſum tractoriis & extenſoriis, quas ſenſationes vulgo vocant reiſen und ziehen, zucken, hin und her fahren, wüten und toben &c. ita ut mox ipſe ſenſus atteſtetur, quod culpa horum dolorum conſiſtat in motibus congeſtorio-ſpasticis, non vero in acri & falſa vellicatione, tenerrimis nervulis ad radicis dentium abeuntibus illata, ſiquidem nullus dolor rodens, pruriens, pungens, ſtimulans, acris &c. vel præcurrit, vel concurrit, ut ita ex ipſa indole rei exculpetur illa vulgaris & plebeia pathologia, quaſi acrimonia ſangvinis aut catarrhus ſalſus & acris, hos dolores provocet.

§. III. Quo itaque reſpectu cauſalis explicationis, indoli & primis affectus initiis ſatisfaciam ex motuum, affectum hunc unice & abſolute conſtituentium, ratione & diſquiſitione indico, quod forma hujus affectus conſiſtat in commotione activa

activa sangvinis ad & intra gingivas, adeoque intra caput facta, pro intentione atque scopo impetrandæ evacuationis sangvinis abundantis & molesti, multiplicibus commotionibus obnoxii: & licet hic finis & effectus vel nunquam obtentus sit, neque amplius impetretur, tamen ex justa circumstantiarum collatione & subjecti conciliatione facile præsentis asserti veritas commonstrari potest.

§. IV. Hinc moderatæ præservatoriæ gingivarum cruentationes aut aliæ artificiales sangvinis Ventilationes, Odontalgiam mitigant, vel plane præoccupant: sicut vero alii motus extra ordinem in œconomia animali occurrentes, maxime vero spasmodici, in habitum degenerare solent, ita hoc ipsum etiam cum odontalgia contingit: quo magis etiam subjectum præter plenitudinem sangvinis, de multa seroforum humorum colluvie participat, ita has congestiones successive humidæ quædam secessiones & salivationes molestæ excipiunt, quas proinde præjudicans aut præcipitanter judicans plebs Catarrhis salsuginosis imputare laborat, licet eventus talis mere accidentalis sit, & non tam primæ intentioni naturæ, quam intemperiei sangvinis respondeat.

§. V. Ita etiam per accidens evenit, ut sub vehementioribus congestoriis talibus commotionibus, tandem stagnationes quædam aut stases sive in gingivis sive in maxillis suboriantur, quibus supervenientes inflammatorii motus, earundem discussionem concernentes, aut interdum in aposthematicum effectum desinentes, mitigationem aliquam conciliant: sicut etiam per accidens evenit, ut ex iisdem immoderatioribus congestionibus, huc illuc circa dentium radices, stasis sangvinis oriatur, quæ ob ineptitudinem loci per inflammatoriam commotionem discuti non potest, unde non modo in corruptionem ruit, sed & dentem proximum in carioſam corruptionem una conjicit; ex quo contingit, ut consvetæ congestoriæ commotiones nunc ad hoc objectum, nimirum ad dentem carioſum, concentrentur & illius remotionem urgeant, siquidem dente tali extracto dolores hi aliquandiu acquiescunt, donec residuum seminium carioſum proximum sanum dentem inficiat, adeoque novum tale objectum, quibus denuo antiquæ congestiones accidunt, suppeditet.

§. VI. Minime itaque assero, quod primaria horum dolorum causa sit acredo & salsedo stimulans, nervosam gingivarum texturam vellicans, alias Odontalgia admodum frequens esset subjectis in salina diæta versantibus, vel multa salsedine gingivas imbuentibus, uti multis subjectis in more positum est ad dealbandos dentes & abstergendas sordes, gingivas cum dentibus, cum sale communi liberalius & frequentius fricare, cum tamen experientia quotidiana perpetuam contrarietatem exhibeat: neque cum illis consentio, qui asserunt quod Vermiculi, ad dentium radices constituti morsibus suis & puncturis, vix mathematice demonstrandis & comprobandis, tam atrociſſimos dolores causentur: & quanquam

non negem, quod interdum in dentibus cariosis vermiculi exilissimi conspecti fuerint, ad quos fautores hujus pathologiæ vermium per operosam industriam & lucubrationem aut rariorum observationum collationem conquisitos provocant: illud vero dico, quod per accidens & cum tempore aliquando in præsente hac sentina corruptionis vermiculus talis per microscopium detectus, deprehendatur.

CAPUT XV.

DE

PHRENITIDE ET PARAPHRENITIDE.

§. I.

CUm adhuc in explicandis diversis affectibus capitis occupatus sim, ita hoc ordine mentionem injicio sonticorum quorundam affectuum, maxime acutorum & periculosorum, nomine ad minimum consentientium & Veteribus medicis frequentius annotatorum, quid quod etiam in calidioribus nationibus sæpius observatorum, quorum prior Phrenitis audit & in genere a medicis delirium cum acuta febre conjunctum, furibundum tamen dicitur, qui affectus præceps & in initiis, incrementis & decrementis suis acutus est.

§. II. Proprie vero spectatus hic prior affectus communiter quidem consistit in inflammatione meningum, undecunque illa orta fuit, sive sponte & idiopathice ex subitanea & repentina congestione sangvinis in intimiora capitis, quæ interdum repentinas Hæmorrhagiarum suppressiones excepisse legitur & observatur, sive ex contusione violenta capiti inducta & ab hinc causata repentina stasi sangvinis in prædicto loco affecto: sive etiam symptomatice occurrerit, videlicet in febribus acutis, ex concursu repentinarum commotionum congestoriarum, quales veteribus sub nomine raptuum humorum ad caput venerant.

§. III. Subjecta quibus hic affectus ab internis commotionibus & impulsibus obtingit, sunt communiter juniora, activiora, plethorica, excretionibus sangvinis spontaneis adsveta & plethoræ suæ commotionibus vel præcedentibus vel præsentaneis obnoxia reddita, & si in febribus cum ejusmodi affectu affliguntur vel intempestiva Venæ sectio, vel calefacientium remediorum & regiminum ordinatio, vel in subjectis activioribus, refrigerantium medicamentorum & regiminum concessio in culpa fuisse observatur, ad quas circumstantias, tum antecedentes, tum occasionales ex Historia practica hujus affectus occurrentia phænomena commode referri possunt.

§. IV.

§. IV. Perfectæ Phrenitidis ſignum eſt delirium cum acuta febre conjunctum, concurrunt vero etiam vigiliæ, capitis intenſior æſtus, turgiditas, rubor faciei, venarum inflatio, pulſatilis arteriarum motus in temporibus, oculorum ſplendor & velox commotio, pulſus plenus, durus, fortis, celer & frequens, Urina tenuis & valde rutilans, male vero ſi ſimul pallida fuerit, reſpiratio abbreviata & laborioſa; concurrit quandoque dentium ſtridor, & ſi paululum diſcretionis adhuc capaces ſunt patientes, urgens capitis dolor percipitur, lingva eſt aridior, alvus non raro ſtrictior, præter multa alia adhuc ſpecialiora ſigna & ſymptomata, ſiquidem juxta obſervationes anatomicas in ſubjectis ſub phrenitide demortuis, obſervatæ ſunt membranæ cerebri inflammatæ, rubicundæ aut maculis nigricantibus conſperſæ, aut actuali corruptione affectæ, una cum Venis cerebri vel inflatis vel interdum varicoſis.

§. V. Quod Paraphrenitidem attinet, tunc eadem juxta vulgarem acceptionem medicorum, pro inflammatione diaphragmatis habetur, tamen diverſa phænomena in vivis & demortuis in capite occurrentia, teſtantur hunc affectum non eſſe ſimplicem, ſed complicatum, unde Galenus eundem pro ſymptomate inflammationis diaphragmatis æſtimat, adeoque judicat, quod unà Meningum inflammatio cum diaphragmatis inflammatione concurrens aut alternans hunc affectum conſtituat, cui ſententiæ vero iterum Williſius & Bonetus obſtant, & ab inflammatione hunc affectum derivare recuſant, quin Hildanus aſſerit, quod Paraphrenitis partim ex inflammatione duræ Meningis, partim ex feceſſione Ichoris inter meninges & cerebrum oriatur, adeoque diverſam originem habeat, ſicut Phrenitis non nuda inflammatione meningum nititur, ſed alias adhuc cauſas arduas, in intimiori cerebri parte occurrentes, excipit.

§. VI. Quod quidam hunc affectum diaphragmatis inflammationi adſcripſerint, occaſionem præbuit concurſus magnarum & ſontearum anxietatum præcordialium, nec non ſingultuoſæ interdum commotionis; coincidit vero etiam in hoc affectu grave delirium, rubor faciei, oculorum turgiditas, venarum inflatio, capitis æſtus, multa inquietudo & febris admodum acuta; delirium vero non adeo grave deprehenditur, ac in perfecta phrenitide; interim etiam obſervatum fuit, quomodo hic affectus choleticis aliquando febribus ut periculoſum ſymptoma acceſſerit.

§. VII. Quanquam vero Phrenitis quoad principaliorem ſuum reſpectum ex inflammatione meningum oriatur, tamen partim ad eandem, partim ad paraphrenitidem acerbiores, vehementiores graviores magisque repentinæ congeſtoriæ & reſtagnatoriæ commotiones ſangvinis, intra caput factæ, contribuunt, quæ ſingulæ commotiones vero, ſive ſponte ſubnatæ, ſive per mala artificia & regimina provocatæ, niſi violentæ cauſæ & occaſiones concurrerint, conſentiunt cum motu

tu ad Hæmorrhagias Narium tendente, qui ſeſe in ſubjectis plethoricis, junioribus, activis, & ad commotiones hæmorrhagicas adſvetis ſiſtit: ſiquidem inflammatio interdum excipit prægreſſam impetuoſiorem congeſtionem, quando per accidens ſtaſin ſangvinis in cerebri membranis induxit.

§. VIII. Interdum evenit, ut extra febrem repentina talis & impetuoſa translatio ſangvinis intra cerebrum, oriatur, cui poſtea febris ut ſymptoma accidit, quo modo Phrenitis idiopathicæ contingit, quod etiam ſuccedit, quando per aliquam violentiam, ab extra capiti illatam; ſtaſis ſangvinis in intimioribus cerebri cauſata fuit: ſiquidem huc ſpectant aliæ ſonticæ cerebri læſiones & quidem tales, quæ facilem ſangvinis tranſitum per illud eximie impediunt, quibus, inflammatoriæ & febriles commotiones ſuperveniunt: & dum in hac officina animæ rationalis non modo tam ſonticæ alterationes motuum & progreſſuum, ad vitalem œconomiam ſpectantium, occurrunt, ſed & hi motus in impetuoſo & audaci gradu conſiſtunt, ita hoc tempore etiam concurrunt alterationes animæ in moralibus functionibus, quæ in actualia deliria & quidem impetuoſa & audacia excurrunt.

§. IX. In Paraphrenitide quidem licet ſimiles alterationes in cerebro occurrant, quales ad phrenitidem provocandam quadrant, tamen alii adhuc effectus, ſive in pectore, ſive in abdomine, ſuſpecte ſtagnatorii, impetuoſe reſtagnatorii, vehementer congeſtorii, graviter inflammatorii vel corrodentes cholerici concurrunt, aut rectius præcurrunt, & complicatum tale malum, maxime periculoſum conſtituunt, in quo ſubinde ſimiles decubitus ſive activi tranſitus ſangvinis intra caput ad excretionem hujus e naribus ſpectantes, multam obſervationem merentur: ex quo etiam veteres medici annotarunt, quomodo in hiſce affectibus, tempeſtivus ſangvinis fluxus e naribus non parum emolumenti contulerit.

CAPUT XVI.

DE

AFFECTIBUS SOPOROSIS.

§. I.

QUando notabiles & principales affectus capitis hoc ordine exponere animus eſt, qui vel hæmorrhagicis molimininibus propiori nexu reſpondent vel ex præcurrentibus & concurrentibus congeſtionibus humorum intra caput, aut impedito humorum tranſitu per caput oriuntur, ita jam Soporoſos affectus commendare conſtitui, qui cum ſopore, vel magis vel minus profundo, ſeſe manifeſtant,

ſtant, quorum diverſi gradus in Hiſtoria medica, diverſo nomine notati occurrunt, ut ſunt *Lethargus*, *Carus & Coma*, quippe qui affectus cæteroquin quidem rariores ſunt, attamen communiter ominoſi & periculoſi exiſtunt, ſive ſymptomatice tam febribus, quam aliis affectibus ſuperveniant, ſive idiopathice occurrant.

§. II. *Lethargus* ſummum gradum Soporoſorum Affectuum conſtituit, & conſiſtit in profundo ſopore, e quo difficillime excitari poſſunt patientes, & licet denique aliquantum evigilent, tamen delirio quodam, impotentia rationis & ſui ipſius oblivione laborant, ut etiam ad potum, (ſi poſſibile eſt etiam ad cibum) admoneri & urgeri debeant, mox vero iterum in eundem profundum ſomnum incidunt, ſub quo affectu reliquæ tam ordinariæ quam extraordinariæ excretiones inordinate ſuccedunt: cæterum affectus haud diu durat & uſitatius inter quartum aut ſextum diem decurrit, una cum diverſis aliis ſuſpectis indiciis, quæ in tota completa Hiſtoria illius memorantur.

§. III. *Carus*, medium gradum occupat & ſimiliter in profundo ſopore conſiſtit, non tamen cum delirio & mentis impotentia, ut in Lethargo, conjunctus deprehenditur, proinde etiam reſpiratio paululum liberior eſt, & quando in febre occurrit, tunc motus febrilis paulo intenſior & acerbior exiſtit, quam in Lethargo: definit aliquando in Apoplexiam, ſolvitur vero atque melius excurrit, vel cum alvi fluxu, vel Narium Hæmorrhagia vel evacuatione materiæ purulentæ aut ſeroſæ e capite: communiter etiam cum ejusmodi affectu multæ virium imbecillitates concurrunt.

§. IV. Sequitur *Coma*, tanquam inferior gradus Soporoſorum Affectuum, quod Coma pro ſymptomate febrium acutarum, ſiniſtre exeuntium, vulgo habetur, & quanquam in mitiori ſopore conſiſtat, tamen periculo nunquam caret: diſtingvitur hoc Coma in *Somnolentum*, quod ſomnum in ægrotantibus extraordinarium quidem, adeoque præter naturalem, ſed certum, conſtituit; & *Vigil*, quod conſiſtit in ſumma illa propenſione in ſomnum, citra tamen perfectum ſomnum, quod poſterius a quibusdam, ſed minus adæquate, *Typhomania* vocatur: & quamquam per ſe hic affectus a concurſibus deliriorum liber ſit, tamen ſi per accidens delira conjunguntur, communiter convulſivi etiam motus metuendi ſunt.

§. V. Quantum quidem obſervationes anotomicæ docuerunt, communiter in ſubjectis, ſub hiſce accidentalibus affectibus demortuis, labes quædam in cerebro deprehenſa fuit, & quidem vel actualis corruptio, maxime ulceroſa, vel alia mixta valde colliquans & confuſa corruptela vel occurrit abſceſſus apoſtematicus, (unde experientia teſte interdum tales affectus ſupervenere inflammationibus internis capitis; & ex eo etiam fluit, quod ſpes quædam affulgeat reſtitutionis quando tempeſtive pus ex auribus aut naribus erumpit:) vel alia quædam labes conſpectui ſeſe obtulit, ſive varicoſa venularum intumeſcentia ſive ſcirrhoſa cere-

bri induratio, ſive ſeceſſio pituitoſa intra alveos cerebri, qualia phænomena imprimis cauſam præbere ſolent, quo ob cerebri tantam depravationem & haud facile expectandam liberationem, natura tempeſtive ab attentione & ſenſuum exercitio ſeſe abſtrahat, adeoque ob gravitatem cauſarum & faſtidium quoddam de illis conceptum, in ſoporem talem tranſeat; qualem proinde ſoporem, quoad efficientem ſuam cauſam, non materiali, ſed immateriali rationi adſcribo, ſiquidem alias ſenſuum exercitium & viciſſim abſtractio a ſenſibus animæ competit, minime vero corpori.

§. VI. Ejusmodi labes communius cerebro ſuperveniunt a motibus humorum intra illud, vel impetuoſius directis, vel inordinatius determinatis; qui motus ſunt congeſtorii, non circa particularem humorem, ſed circa ſanguinis maſſam occupati, ita ut interdum intentio adminiſtrandæ Hæmorrhagiæ concurrat, ad quos congeſtorios motus, tam in febribus, quam extra has provocandos variæ cauſæ externæ imo aliquando etiam internæ contribuunt: licet etiam ex minus conſulto & ſecuro uſu narcoticorum remediorum, tam in febribus, quam in ſonticis capitis affectibus, nec non ex uſu & admiſſione aliarum cauſarum, caput valde affligentium, quo vapores adverſos, incongrua vomitoria & inopportunas Venæ Sectiones tam in acutis febribus quam extra illas ordinata, inebriationes &c. refero, hi affectus ortum traxiſſe & legantur & adhuc conſpiciantur denique ipſum decrementum activitatis animæ per ſenectutem aut prægreſſos multos arduos labores & animi curas acquiſitum, cauſa evadit, quo quædam ex prædictis cerebri alterationibus oriatur, & per bonam conſequentiam affectus ſoporoſus ſuperveniat.

CAPUT XVII.

DE

VERTIGINE.

§. I.

AD capitis morbos pertinet moleſtus ille & interdum ſuſpectus affectus, quem Vertiginem vocant medici, quæ acceptio a principali illo phænomeno circumverſionis imaginariæ tum loci tum corporis petita eſt, & non æque raro in vita communi, licet per diverſos gradus, occurrit, ſed diverſis cauſis & circumſtantiis ſeſe conjungit, ita ut junioribus & adultioribus ſubjectis eveniat, & ſub mitiori ſuo gradu & ſtatu tamen in tantum angat, in quantum & legitur & obſervatur, quomodo vertigo periculoſos quosdam affectus interdum præcurrerit, in quo tamen metu, multi male connectunt, adeoque male concludunt.

§. II.

§. II. Mitior vertigo ferme omnibus plethoricis ſubjectis familiaris eſt, nec non capitis doloribus ſimplicius ſangvineis ſeſe conjungit & ex impediori refluxu ſangvinis per venas cerebri, ſub quo undulatoriæ & reſtagnatoriæ quædam commotiones contingunt, oritur: & talis eſt ſimplex Vertigo, quæ præter hanc animadverſionem etiam illis ſubjectis familiaris eſſe deprehenditur, quæ antehac actuales Narium Hæmorrhagias experta ſunt, in quibus proinde ex repetitis reſtrictionibus ſangvinis, ſive mitioribus congeſtionibus & difficilioribus refluis progreſſibus e cerebro ad cor ortum trahit.

§. III. Ita etiam ad ejusmodi inſolitam, extraordinariam & copioſam ſangvinis affuſionem intra caput & per conſequens ad Vertignem ſimpliciorem provocandam contribuunt, prægreſſæ inebriationes, magnæ Cephalalgiæ in febribus, conatus vomendi, nimia ventriculi oppletio, repentina & ſenſibilis partium inferiorum refrigeratio, Menſium & Hæmorrhoidum impeditior ſucceſſus, inſvetus uſus fumi tabaci, odor adverſorum &c. ſiquidem maxime etiam hypochondriaci, imprimis adhuc juniores & activiores, præcipue vero illi, quibus familiare fuit in juniori ætate ſangvinem e naribus profundere, vertiginem ſimplicem experiuntur: unde iterato indico quod hic affectus ſit conſectarium vel congeſtionis ſangvinis & ex hac pendentis impeditioris refluxus illius, vel ex qualicunque moderata ſangvinis ſpiſſitudine dependentis ſimilis difficilioris regreſſus ſangvinis ad Cor.

§. IV. Alia ſpecies vertiginis vocatur *Scotomia*, ſive Vertigo tenebricoſa, quæ ominoſior eſt, attamen rarior, & præter communem illam ſenſationem circumverſionis, una obnubilationem ſenſuum involuit, unde etiam Scotomia audit; tertia denique ſpecies vocatur Vertigo Caduca, quæ repente invadit & ſimul ſenſus & rationem momentanee impedit, ut homines ſub tali impotentia, cadere teneantur: & hi poſteriores gradus vertiginis, præcurrunt communiter vel affectus convulſivos & ipſam etiam Epilepſiam, vel apoplexiam, Hemiplexiam aut grandiores Paralyſes: conſiſtunt vero hæ Vertiginum ſpecies in repentina alteratione motus cum nervis & partibus nervoſis in capite, quo vel ſuſpecti quidam infarctus ſangvinei, vel maxime adverſa & ſubtilia, imo partes nervoſas valde affligentia, vaporoſa principia faciunt, ſicuti vapor carbonum tum foſſilium tum aliorum, aut vapor valde fermenteſcentium ſubjectorum liberalius exceptus, tales effectus poſt ſe trahit; unde poſtea ex eadem motus mutatione in capite vel actules convulſiones vel perruptiones & extravaſationes ſangvinis intra cerebrum oriuntur, ut Apoplexia ſuperveniat.

CAPUT

CAPUT XVIII.

DE

CORYZA ET GRAVEDINE.

§. I.

FRequentius hi affectus occurrunt in communi vita, imprimis quidem prior, & licet paulo mitiores vulgo occurrant, ex quo homines affecti medici artificialem opem haud urgeant, tamen quoad ortum, indolem & connexionem suam explicatione aliqua indigent; est vero Coryza fluxus ille copiosus catarrhalis, seri, modo dilutioris & benignioris modo acrioris, e naribus, qui plurimis subjectis interdum aliquoties per annum accidit & per unum & alterum diem continuat atque decurrit.

§. II. Singularem vero meretur attentionem observatio Veterum, præcipue Hippocratis, quando cum Coryza rheumaticum affectum concurrere annotarunt, quo ipso ex hodierna adhuc observatione & experientia inter coryzam simplicem & rheumaticam commode distingvere licet, siquidem hæc posterior cum acri illo fluxu decurrit, unde nares arroduntur, & propterea multus pruritus, ardor & dolor affligit, quin aliquando plane febrile quiddam supervenit, quæ singulares circumstantiæ, in simpliciori & benigniori Coryza desunt.

§. III. Affectus in se spectatus satis est cognitus; siquidem etiam Gravedo illum affectum constituit, qui ad Coryzam futuram contendit & respicit, unde vocatur Coryza subsistens, der Stock-Schnuppen, quippe qui affectus propterea gravedinem in capite molestam & quasi morbosam causatur, dum in fronte & antica maxime capitis parte dolor premens, gravans, opplens, æstuans affligit, qui sub reliquo animi & corporis torpore, vel iterum evanescit vel in Coryzam excurrit & præcedentes molestias tunc amittit.

§. IV. Quod indolem atque causalem rationem horum affectuum concernit, tunc sciendum est, quod minime humores illi serosi, ita fortuito effluant aut in affectas partes secedant, sed quod antea per motus præcedentes & continuantes congestorios eò transferri debeant, sub quibus post hac humidæ tales secessiones contingunt, ut cum iisdem vel partes glandulosæ & cribrosæ oppleantur, & prout humores illi seroso-mucilaginosi spissiores sunt, infarciantur, adeoque Gravedinis affectum causentur, vel si mobiliores fuerint per peculiares internas partium & tunicarum constrictiones, quæ non raro titillantes & fremebundas sensibiles molestias post se trahunt, exprimantur, aut prout hæc ultima excretio majoribus difficultatibus exposita est, cum repentinis concussoriis capitis commotionibus,

bus, per frequentes ſternutationes, quæ ſimul fluidificandæ huic humiditati immobiliori inſerviunt, urgetur & promovetur.

§. V Habent vero hæ congeſtiones, ſangvinis intra caput primum & primarium ſcopum in multis ſubjectis, quo ſangvis copioſus e naribus expellatur, dum vero hi motus non adeo promte & cito ad hunc effectum pertingunt, ſangvis vero in ejusmodi ſubjectis cum multa humiditate ſeroſo-mucilaginoſa commixtus eſt, ita ſucceſſive talis humiditas in glanduloſas & cribroſas capitis partes ſecedit, quas propterea ob hunc infarctum moleſtius afficit, ut natura, ſepoſita prima intentione, alterum hunc ſecundarium ſcopum proſequatur & loco ſangvineæ excretionis, ſeroſam ſubjungat, quæ cum nihilominus illam utilitatem exſerat & offerat, ut humores in genere a ſuperflua ſeroſæ materiæ quantitate liberentur, ſeorſim vero caput & oppletæ hactenus partes teneriores depleantur, ita ſucceſſive huic etiam excretioni ita adſveſcit, ut vel ſponte eandem repetat, vel diverſis cauſis congeſtorias commotiones ad caput provocantibus, obtemperet.

§. VI. Dum vero ſub ejusmodi affectibus, partes capitis non modo præter ſolitum, cum majori humorum quantitate onerantur, ſed & membranaceæ, glanduloſæ & nervoſæ partes magis relaxantur & humectantur, ita non modo in genere torpor animi, ſed & proinde ſomnolentia & aliqualis guſtus & olfactus hebetatio oritur; ſi vero congeſtoria commotio ad affectus hoſce introducendos concurrens vehementior & acerbior eſt, deinde etiam ſangvis pro diverſitate temperamentorum floridus exiſtit, ita coryza acrior & rheumatica redditur, dum materiæ ſeroſo-mucilaginoſæ, copioſa quantitas ſeri acrioris, ſulphurei, tenuioris, orgaſtici, permiſcetur, quod partes affectas, quas ingreditur & egreditur, ita afficit, inficit & ſtimulat, ut congeſtiones ſangvineæ, ad easdem acerbius continuent.

CAPUT XIX.

DE

BRANCHO.

§. I.

SIcuti hactenus prædicti affectus capitis plurimi, juniores hominum ætates corripiunt, ita hiſce morbis annumero jam illum affectum, quem Branchum ſive Raucedinem vulgo vocant, qui ſimiliter non infrequens eſt, & vel ſponte atque tacite oritur, vel cauſas occaſionales oblatas ſequitur: afficit vero & occupat hic affectus intimiores fauces & quidem guttur, cum epiglottidis afflictione & proinde hic affectus vel ſimplex eſt, quando moleſta quædam aſperitas, has partes deti-

net,

net, vel etiam acris existit, dum in affectis locis sensus dolorificus excoriationis & ardoris sub exscreatione maxime sese manifestantis, occurrit.

§. II. Habet hic affectus non exiguam communionem cum rhevmaticis aut serosis commotionibus & excretionibus aliis in capite, & acris quidem ille Branchus cito corripit atque per unum & alterum diem continuat, qui paulo profundius se dimittens & vel unà asperam arteriam corripiens, acrem tussin vel per Oesophagum descendens, appetitus depravationem, quin conamina vomibunda inducit, quemadmodum interdum hic affectus, vel cum Coryza unà concurrere vel alternare solet, ut propterea plebs de hujus raucedinis aut catarrhi descensione a l intimiora pectoris loca, aut versus ventriculum dicere sciat, der Fluß habe sich gesencket.

§. III. Sub hoc Brancho & mucida obhæresscentia in gutture, occurrit illa molestia suscipiendæ & frequentius repetendæ exscreationis, per quam in acri Brancho pauca, tenuis, salsa attamen mucida substantia excernitur; interdum etiam concurrunt capitis oppletoriæ molestiæ, atque æstus, nec non alii concursus congestoriatum commotionum ad & intra caput, fauces & pectus transeuntium.

§. IV. Oritur itaque talis Raucedo, e congestione sangvinis intra fauces, ad eundem scopum directa, quo primario motus tales congestorii tendunt: & quanquam locus ad transmittendum sangvinem non sufficienter commodus & aptus existat, minime tamen naturæ jus illud denegari potest, quo minus ad eundem locum hanc contentionem hæmorrhagicam transferat: & dum ad affecta loca humores copiosius affluunt, successive in partes membranaceo-glanduloſas vel materiæ simplicius mucilaginosæ, vel etiam acriores serosæ secedunt, quæ posteriores, teneras hasce partes, superficietenus excoriant & non modo sensum ardoris & pruritus, sed & contumaciam congestionis fovent & causantur.

CAPUT XX.
DE
PHLEGMATORRHAGIA.

§. I.

QUamquam vulgo hic affectus magis ad observationes rariores, quæ in historia practica occurrunt, referatur, adeoque in communi Pathologiæ medicæ filo non tractetur, tamen cum omnino cohæreat cum præcedentibus affectibus, illius mentionem injiciam: quoad appellationem suam, denotat stillicidium aut fluxum Phlegmatis fluidioris aut seri, e naribus, sicut alias sangvis guttatim exinde profluere solet: differt vero in hac circumstantia a Coryza, quæ non ita guttatim

tim & uno quaſi termino profluit atque ſuccedit, ſed quæ ſucceſſiva narium humectatione ſub decurſu unius aut alterius diei procedit.

§. II. Hæc Phlegmatorrhagia ſub præcedentibus quibusdam moleſtiis capitis congeſtoriis, oppletoriis, gravativis & prementibus, ita denique erumpit, ut poſt brevem moram, quando plures guttulæ phlegmatis effluxerunt iterum ceſſet, rarius vero occurrat, nedum facile quidem repetat, licet in ejusmodi ſubjectis obtingat, quæ ante hac congeſtiones capitis ſubierunt, aut rhevmaticis capitis affectibus obnoxia fuerunt, unde hac ſua infrequentia, multum diſcrepat a Coryza ſimplici, quamquam incongrue ſuppreſſa, ſimiles affectus poſt ſe trahat, quales perturbata Coryza & Narium Hæmorrhagia ratione conſecutionis ſuæ involvunt.

§. III. Ex eo itaque ſignifico, quod hic affectus ut ſingulare naturæ opus, tamen cum hæmorrhagicis apparatibus, non exiguam communionem habeat, dum motus, qui ad ſeri fluxum formaliter contribuunt, non alii quam ſangvinem congeſtorii ſint, adeoque juxta obſervationes, de hoc affectu occurrentes, ſimiles cauſas & occaſiones ſequuntur, quæ ad commovendum ſangvinem faciunt; & quanquam ipſe effectus non ſit excretio ſangvinis, tamen eadem hoc loca valet ratio & conſideratio, quæ de Coryza ſuperius ſuppeditata fuit: interea in hoc affectu ſimul & ſemel peculiari reſolutione & activitate adminiſtrat & abſolvit natura humana, quod in Coryza tardius magisque ſucceſſive exſequitur, ſicut etiam ſubjecta quæ hic affectus unquam occupavit, de reliquo activioris & præcipitis indolis fuiſſe deprehenſa ſunt.

CAPUT XXI.

DE

ACHORIBUS.

§. I.

UTi hactenus recenſiti affectus extra infantiæ periodum, occurrunt, ita jam tales capitis affectus pervolvo, qui ætatem infantiæ communiter invadunt, licet interdum ex hac, in reliquas periodos ſe extendant; ſunt vero etiam capitis affectus, qui Achores vocantur, & adhuc in generaliori acceptione hærent, dum ulcerationes capitis imprimis ſuperioris, manantes, quas vulgo vocant die böſen Köpffe, indicant, cui afflictioni frequenter ſubjiciuntur infantes; quæ ſubinde eosdem ſatis diu detinet, atque vegetæ nutritioni non exiguum impedimentum injicit.

§. II. Huic affectui maxime exponuntur infantes ſpongioſioris corporis habitus, vel de ſangvineo vel de phlegmatico temperamento participantes, qui ex exi-

guis puſtulis prurientibus & ardentibus, ſed poſt frictionem manantibus & mox ulceraſcentibus & latius ſeſe expandentibus, oritur, atque ad complementum ſuum progreditur: interea ſub tali capitis ulceratione perſæpe una in glandulosis exterioris capitis partibus nodi, ad contactum dolentes, duriores, modo in magnitudinem majorem increbeſcentes, modo iterum decreſcentes, concurrunt, tanto magis vero numeroſius protuberantes, quando aliquo modo ulceratio manare ceſſat & exſiccari incipit.

§. III. Ad ejusmodi Achorum ſpecies refero *Cruſtam lacteam*, quæ faciem & in illa genas, frontem & mentum occupat, & ſimiliter cum limpidis & pellucidis puſtulis ardentibus & prurientibus efflioreſcit, ſed tamen in perfectam ulcerationem, laxiorum harum partium, degenerat, attamen fœdam & ſpiſſam aliquam cruſtam format & cum hac faciem deformat, dum latius ſe extendit; qua abraſa in fundo hæret ulceratio occulta, quæ ob auram liberalius ambientem denuo eſcharam induit, & in tali ſtatu diutius continuat, atque infantes perquam moleſte habet, imprimis cum hic affectus ob multum ardorem & pruritum quem inducit, multam etiam inquietudinem in infantibus cauſetur.

§. IV. Ejusdem ferme indolis eſt *Tinea*, quæ graviorem calvariæ capillitii ulcerationem conſtituit, ita inſolentem & immorigeram, ut profundius in calvariam ſerpat & exiliora ſinuoſa foraminula, quaſi a tineis perfoſſa & elaborata, efficiat, ſub concurſu majoris affluxus humorum, copioſioris effluxus ſive manationis atque doloris ardentis, prurientis & tenſorii: quippe qui affectus non modo contumaciter inſiſtit, ſed & quaſi in habitum tranſit & cum alteratione atque impedimento functionum moraliuma, nimalium & vitalium perſiſtit.

§. V. Ex aſſimilatione inſtituta, medici diverſorum talium Achorum reminiſcuntur, ſub diverſa tamen appellatione, unde inter Practicos occurrunt *Favi*, *Ficus*, *Helcydria* & *Ameda*, in quorum affectuum explicatione vero, nulla ſingularis ratio occurrit, illud vero hoc loco notari debet, quomodo ulcerationes tales calvariæ, non bene repurgatæ, denique ſentinam & ſeminarium pediculorum conſtituant, unde adverſus ille affectus innotuit, quem *Phtiriaſin* vulgo vocant, ſub qua reliqua ulceratio magis inſoleſcit, quin malignior & deterior redditur.

§. VI. Dum vero fundamentum horum affectuum conſiſtit in actuali corruptione ulceroſa, ita ratio perquirenda eſt, unde videlicet talis corruptio ortum traxiſſe compareat: oritur vero hæc ulceratio, e Lympha pingviori & tenaciori, quæ in locis affectis, actualem ſtaſin ſubiit, poſteaquam in iisdem copioſius collecta & repentina reſtrictione ſuperficiali turbata, oppreſſa & incarcerata fuit: hæc enim dum in infantili ætate, non modo in largiori copia, ob pingvem & alimentoſam diætam adeſt, ſed & intra caput, quod in hac ætate paulo grandius eſt, reſpectu reliqui corporis copioſius affunditur, quid quod per calida regimina intimius il-

lius

lius ſuperficiei immittitur, ita materialis hæc cauſa ſatis notabili quantitate præſto eſt, quo concurrentibus certis occaſionibus, maxime externis, corruptela talis ſubnaſci poſſit.

§. VII. Quando itaque ex incauto regimine, repente refrigerante, in capitis ſuperficie, tanto magis in hac ætate ſenſibili, repentinæ conſtrictiones excitantur, tunc evenit, ut copioſius impulſa lympha, tam cito reprimi haud queat, ſed in ſuperficie illa, huc illuc, in diverſis porulis incarceretur, adeoque ob continuantem aëris ambitum, non modo in majorem ſpiſſitudinem delabatur, ſed & ob defectum neceſſarii refluxus, atque caloris, denique in perfectam talem ulcerationem ruat, quæ lymphæ depravatio ulceroſa ob principii pingvioris largiorem comeatum magis fermentativa & ſerpens redditur, ut propterea tale malum, diutius ſubſiſtat & continuet, præterea per affluxum ſucceſſivum ejusdem lymphatici humoris, magis magisque nutriatur & augeatur.

§. VIII. Interea etiam ad affectus hosce, occaſionaliter concurrunt alterationes quædam lymphæ, quæ per vitia lactationis aut reliqui nutrimenti & diæteticæ tractationis introducuntur, quando videlicet nutrices ſpiſſius lac habent, aut nutrimentis ſpiſſioribus utuntur, nec non quando infanti adhibentur alimenta ſpiſſiora & ad lymphæ incraſſationem idonea, unde iterum obtingit, ut ex inducta tali lenteſcentia lymphæ, ſuſpecta hujus ſtaſis in illis maxime partibus occurrat, quæ conſtrictoriis alterationibus & aëris liberiori acceſſui, magis patent: Denique in ejusmodi diuturnis ulcerationibus multum etiam valent congeſtiones futuræ ſanguineæ, quæ malum reddunt malignius, acerbius & contumacius.

CAPUT XXII.

DE

PAROTIDIBUS.

§. I.

A glandulis, circa & ſecundum aures poſitis, Parotidibus dictis, affectus hic appellationem ſuam ſuſcipit, & conſiſtit in congeſtorio-inflammatoria glandularum illarum invaſione, quæ interdum idiopathica eſt, interdum etiam ſymptomatica, quando nimirum in febribus, maxime malignis, deinde etiam juxta veterum obſervationes & experientiæ teſtimonia, in febribus cholericis & catarrhalibus particulares tales metaſtaſes, quibus febres tales vel ſolvuntur vel ad minimum ſolvi & reſolvi debeant, contingunt.

§. II. Communiter quidem affectus talis lentiori greſſu accedit & ſuccedit, quando videlicet ſimplex eſt, & ex exiguo tuberculo parum in initiis incommo-

do, oritur, quod ſucceſſive magis augeſcit, & dolores tenſorios, ardentes, pulſatiles, lancinatorios, præter majorem intumeſcentiam involvit, qui dolores maxime veſperi angunt, & pro diverſitate ſenſibilium & juniorum ſubjectorum febriles commotiones, exquiſiti tamen typi expertes, cauſantur; qualis affectus, ſi matura medela, diſcuſſionem promovens, eidem non offertur, contumacius in ſuppurationem æquali, tamen lento effectu tranſit.

§. III. Quando hic affectus idiopathice occurrit, tunc illius cauſa principalior eſt, præcurrens particularis congeſtio ſangvinis ad hæc loca, quæ cum per accidens in aliquam ſtaſin circa has glandulas ruit, poſthac in inflammatorium affectum mutatur, ſed cum partes glanduloſæ ad motus inflammatorios minus aptæ exiſtunt, ita ſucceſſus hujus inflammationis, tam difficilis & tam tardus eſt: interdum vero etiam ad hunc affectum diſponit occurſans repentina horum locorum refrigeratio, poſt majorem tum reliqui corporis, tum etiam capitis, exæſtuationem, unde ſtaſis circa hæc loca ſuborta in futurum prædictis congeſtorio-inflammatoriis motibus ſubjicitur & tractatur, ubi adhuc illa peculiaris animadverſio commendanda eſt, quod talis etiam affectus ſubjectis junioribus, plethoricis & Narium Hæmorrhagiis antea obnoxiis aut ad easdem diſpoſitis, vel aliis ſangvineis commotionibus capitis olim affectis obtingat, quæ circumſtantia ad connexionem hujus affectus cum moliminibus hæmorrhagicis demonſtrandam, inſervit.

§. IV. Quando vero ſymptomatice occurrit, tunc perinde excuſandus eſt ab illa vulgari inculpatione, quaſi ita fortuito & paſſive oriatur & progrediatur, quin potius brevibus ſignifico, quod ſub illius geneſi natura humana ſingularem finem proſequatur, dum videlicet materiam febrilem peccantem, quam hucusque non ſatis accurate aut congrue evacuavit, ad has glandulas ſub ſpecie congeſtoriæ commotionis transfert, eandemque per inflammationem & abſceſſum ita tractat, quo ſub puris evacuatione, aliquid hujus materiæ una eliminetur, qua apertura hoc extraordinario modo obtenta, aliquamdiu e reliqua humorum maſſa translatio peccantis materiæ in locum affectum continuatur, ut propterea conſultum haud ſit, ita genitum abſceſſum repente conſolidare: interea etiam talis metaſtaſis, in eo cum prægreſſis moliminibus hæmorrhagicis harmoniam aliquam monſtrat, dum ſubjectis junioribus plethoricis, antea vel Narium Hæmorrhagia affectis vel aliis congeſtionibus capitis adſvetis, evenit.

CAPUT

CAPUT XXIII.

DE

HYDROCEPHALO.

§. I.

IN hac ſerie affectuum capitis, tales adhuc colligo & ſeligo morbos, qui quidem non ita ſimpliciter & proxime moliminibus hæmorrhagicis reſpondent, qui tamen ex parte ab impeditiori ſangvinis progreſſu refluo oriuntur, & inter hoſce jam de Hydrope capitis, Hydrocephalo dicto, agere conſtituti, qui affectus tenellulorum infantum eſt, aut etiam adhuc fœtui in materno utero obtingit, atque tumorem, imprimis calvariæ, valde protuberantem, cum humore lymphatico ſeroſo impletum, ſiſtit, qui pellucidus eſt, mollis atque pallidus.

§. II. Hic Hydrops triplicis eſt indolis, vel enim tantum extrinſecus calvariam detinet, vel introrſum in ipſum cerebrum, illiusque alveos ſeceſſio talis lympharica contingit, quippe qui ſtatus periculoſior eſt, vel denique & interne & externe ſimul ejusmodi inſolita ſequeſtratio facta deprehenditur: ab interna illa cerebri oppletione facilius & citius infantes pereunt, poſteaquam antea ſoporoſo quodam affectu laborarunt, neque alimenta ingeſſerunt, quid quod turbatos excretionum ordinariarum ſucceſſus ſubierunt: reliquus Hydrocephali ſtatus etiam ſatis arduus eſſe obſervatur.

§. III. Oritur talis affectus propterea etiam triplici modo, vel adhuc in utero materno ante partum, vel ſub partu, vel denique poſt illum: forma vero hujus affectus in eo conſiſtit, dum refluxus ſangvinis a capite ad Cor impeditur interea in ipſo capite fluidior & liquidior portio lymphatica & ſeroſa, a reliqua maſſa ſangvinis ſeorſim diſcedit & vel internas vel externas partes opplet: ſiquidem extrinſecus facta talis particularis ſeceſſio, liberiori aëris acceſſui expoſita, in lenteſcentem craſſitiem delabitur, atque ægerrimam reſolutionem ſubit.

§. IV. Ante partum vero impeditur talis refluxus ſangvinis e capite, quando fœtus in utero circa collum cum funiculo ſuo umbilicali convolutus & complicatus eſt, ex eo difficilis admodum redditur partus & neceſſe eſt, quo pertuſa prius aut inciſſa calvaria, humor hic collectus, effluat; ſub partu accidit interdum, ut dum fœtus cum capite natus, aut per internum uteri orificium expreſſus eſt, ſi non cum reliquo corpore mox penitus excluditur & orificium illud circa collum rigide conſtringitur, tunc compreſſis vaſis jugularibus, idem illud reflui motus impedimentum oriatur, & ſingularis illa ſeceſſio humorum lymphatico-ſeroſorum obtingat.

§. V. Extra uterum denique & poſt partum generatur hic affectus, quando infantes puſilli & ſenſibiles negligentius in inferioribus corporis locis obteguntur

ſed

ſed refrigeriis frequentioribus ſubmittuntur, ut occluſis hiſce, tranſitus humorum magis ſuperiores regiones occupet, unde denique evenit ut dum caput frequenter cum ſangvine copioſius oppletur, qui tamen tardius refluit, denique talis ſeparatio atque collectio Lymphæ oriatur.

CAPUT XXIV.

DE

TONSILLARUM AFFECTIBUS.

§. I.

GLandulæ hæ ad latera colli in anteriori parte poſitæ, cum maxilla inferiori correſpondentes, frequentioribus exponuntur afflictionibus morbidis, quæ imprimis junioribus ſubjectis familiares obſervantur, & quidem illis, quæ reliquis congeſtionibus humorum intra caput aut excretoriis moliminibus obnoxia fuerunt: conſiſtunt vero tales affectus vel in ſimplici intumeſcentia, vel in actuali inflammatione & futura ſuppuratione vel in ſuperveniente ſinuoſa ulceratione, qui morbi tonſillarum vulgo Pariſthmiæ nomine venientes, interdum ſe invicem excipere ſolent.

§. II. Simplicior Tonſillarum intumeſcentia, ſatis frequens eſt, & cum catarrhali quadam ſeceſſione intra fauces conſpirat; quando vero talis affectus negligentius tractatur, & per mala artificia aut regimina offenditur, tunc impetuoſius progreditur & in inflammatoriam indolem exardeſcit, quæ contumacius in maturatorium effectum progreditur & ſi tunc ortum apoſtema negligentius tractatur verum ulcus denique corripit, quod propter aptitudinem loci affecti, facile in fiſtuloſum ſtatum degenerat.

§. III. Cauſa inſolitæ Tonſillarum intumeſcentiæ, conſiſtit in copioſiori ſangvinis affuſione, ad hæc loca proximius directa, ex qua non modo illi concurrentes tenſorii & æſtuantes dolores oriuntur, ſed & ſucceſſive tenuioris humiditatis ſeceſſiones, tum in has glandulas, tum in connexas alias intimiores colli partes glanduloſas, ut infarctus mucilaginoſi & catarrhales quaſi effectus & affectus concurſent: & quamquam per initia indicati motus congeſtorii, alium quam hunc ſcopum habeant, adeoque magis ad ſangvinis ventilationem in aptis talibus ſubjectis & ætatibus reſpiciant, tamen accidentalis effectus totum reliquum affectum ad alium decurſum atque exitum ducit.

§. IV. Ad ejusmodi affectum vero inter alias cauſas, tales etiam diſponunt, quæ ad commovendum ſangvinem & provocandam congeſtionem vulgo concurrunt, ſiquidem alias ex præcipiti refrigeratione & repentina partibus hiſce indu-

inducta, quæ antea cum copioſiori ſangvine oppletæ fuerant, ſimilis inturgeſcentia oriri poteſt: & ſi ſub talibus commotionibus activis & impedimentis motuum paſſivis, gravis & ſuſpecta ſtagnatio aut actualis ſtaſis in glandulis hiſce & circa illas contingit, tunc inflammatorius motus propterea ſupervenit, quo corruptio præoccupetur, & quando inflammatio illa in ſuppurationem tranſiit, tunc facile accidere poteſt, ut parte non bene repurgata, ob affluxum ſalivalis humoris ad hæc loca, ſerpens & hoc reſpectu qualificata ulceratio oriatur.

CAPUT XXV.

DE

DIVERSIS GLANDULOSIS COLLI TUMORIBUS.

§. I.

PRæter hos Tonſillarum affectus commendant ſeſe adhuc aliæ peculiares glandularum colli protuberantiæ, quarum quædam *Bubonodeæ* exiſtunt, & puerili maxime ætati obtingunt, quæ præcipue circa collum oboriuntur, cum moderato dolore tenſorio, preſſorio, oppletorio, & ſi affectæ partes vel moventur vel attinguntur, etiam ſenſibilius affligente & augeſcente: concurrunt ſæpe cum tali tumore etiam aliarum glandularum, in ſuperficie reliqui corporis poſitarum, nimirum ſubaxillarium & ingvinalium, intumeſcentiæ, quas vulgo vocant Wachs-Beulen, eo quod circa hoc tempus magis & efficacius puerorum corpus nutriatur & confirmetur.

§. II. Unde alienum perquam eſt, hos tumores valde metuere & per diverſa artificia profligare, cum ex nudo bono regimine ſponte etiam evaneſcant, ſed vicißim e multorum artificiorum uſu facile in deteriorem ſtatum degenerent, adeoque levis, quæ concurrit, moleſtia non tantopere æſtimanda, ſed neque etiam negligenter tractanda eſt.

§. III. Dum vero tali præcipue tempore, quo bubonodei hi tumores oriuntur, puerilis ætas in majori & efficaciori activitate corpus ſuum nutriente conſiſtat, ita refert, quo hoc tempore lympha, tanquam proxima nutritionis materia ad hunc actum magis aptetur, præparetur & depuretur: hæc actio vero aliàs in ejusmodi glandulis adminiſtratur, unde hoc tempore copioſius cum reliquo ſangvine ad has glandulas appulſa lympha tales intumeſcentias poſt ſe trahit, quæ tunc iterum remittit, quando ſub minori activitate nutritoria præcedentes congeſtoriæ commotiones ad has glandulas, ceſſant & acquieſcunt.

§. IV. Occurrunt porro interdum plane præternaturales tales glandularum intumeſcentiæ, quæ ex vitio conformationis dependere ſolent, ubi non quidem

loquor, de ſtrumoſis excreſcentiis, quam conſiderationem ad chirurgiam remitto, ſed illas glandularum inferioris maxillæ protuberantias intelligo, quæ mox a nativitate adſunt, & cum ætatibus magis magisque augeſcunt, ita ut merito in tali ſtatu accuſare poſſim naturam, quod ſub actu formationis, in hac parte ſuperfluum quid generaverit.

§. V. Sicut vero aliàs, eadem natura ſuperfluas tales partes cum extraordinaria ſenſibilitate & contumacia ſuſtentare ſolet, ita etiam hæ glandulæ auctæ non facile chirurgicis auſibus & artificiis offendendæ ſunt, quoniam citius immoderatæ commotiones congeſtoriæ & confuſe inflammatoriæ, non modo ad has partes tranſeunt, ſed & alias vicinitates, quin ipſum etiam pectus obruunt & corripiunt, ita ut e tali offenſione graviſſima & funeſta conſectaria experientiæ medicæ innotuerint, ſicuti mihi unum & alterum exemplum conſtat Phthiſeos, quæ in mortem denique mox tranſiit, in talibus junioribus ſubjectis provocatæ, quæ ſub bona intentione pro deformitate faciei auferenda, curæ chirurgorum ſeſe commiſerunt.

CAPUT XXVI.

DE

APHTHIS.

§. I.

AD affectus faucium refero etiam Aphthas, non quidem hoc ordine, quaſi molimen hæmorrhagicum conſtituant, ſed quia ad capitis morbos, quales diverſos hactenus expoſui, accenſeri poſſunt; ſunt vero Aphthæ aliæ benignæ, aliæ etiam malignæ: priores infantibus, imprimis lactantibus ſpongioſioris habitus familiares ſunt, & conſiſtunt in efflorescentia fungoſa, ſquamoſa, pallida, fauces, lingvam, gingivas occupante, & ſimul ardorem & dolorem inferente, quæ ſemel abraſa & abſterſa mox regeneratur & denuo priſtinam ſuam inquinationem induit: interea infantes affecti unà inſolita faucium intumeſcentia & multa inquietudine laborant: quando vero moderate tractantur, poſt aliquot dies iterum deſinunt & evaneſcunt.

§. II. Oritur talis excreſcentia ab inquinatione per impurum lac aut impura alimenta faucibus oblata, quæ majorem affluxum humoris ſalivalis mucilaginoſi & lymphatici provocant, ut inquinata ſuperficies cutis, in faucibus relaxata, in talem fungoſam deformitatem & mollitiem tranſeat, interea ſubtili quadam ſtimulante & fermentativa ſalſedine magis magisque papulas glanduloſo nervoſas faucium ita conſtanter afficit tale inquinamentum, ut copioſior ille affluxus ſangvinis

gvinis cum reliquis commixtis humoribus, continuet, & colliquativam illam laxitatem cum fermentativo ſeminio conjunctam, atque in fungoſam talem excreſcentiam abeuntem, inducat.

§. III. Malignæ Aphthæ deterioris & valde periculoſæ indolis ſunt, quæ præcipue in febribus malignis ut ſymptoma ominoſum interdum occurrunt, imprimis vero circa illos dies, quibus exanthemata efflореſcere deberent, quibus Aphthis itaque tali modo provenientibus utplurimum funeſtus exitus ſupervenit: communiter ſeſe cum hoc periculoſo ſymptomate conjungit accidens illud, cujus veteres medici reminiſcuntur & hodierna experientia adhuc memoriam injicit, quando per œſophagum potulenta cum murmure delabuntur, quod phænomenon plurimum funeſtum eſſe deprehenditur.

§. IV. Ejusmodi Aphtharum malignarum geneſis vulgo adſcribitur retroceſſioni materiæ malignæ intra fauces, neque quidem male, ſiquidem ex particularibus motibus & translationibus talibus congeſtoriis ad caput & fauces directis & non raro mentis mutationes inferentibus, hoc malignum ſymptoma, ortum capeſſere ſolet: excitantur vero tales inſolitæ & particulares humorum reſtrictiones, vel per qualescunque perturbationes ordinariarum excretionum, ſive cum immoderatis humorum commotionibus commiſſas, ſive per regimen frigidiuſculum imprimis vero inferiorum partium refrigerationes, cauſatas, vel præpoſteras ſangvinis ſubtractiones in ſuperioribus locis ſuſceptas, unde in ſubjectis partim plethoricis, partim junioribus nec non activioribus, & antehac vel excretionibus vel commotionibus ſangvineis in ſuperioribus regionibus obnoxiis, talis translatio contingit; quæ maligna faucium depravatio & inquinatio denique paralyticum illum Oeſophagi ſtatum provocat, qui in modo dictum illud pernicioſum ſymptoma paſſivi lapſus potulentorum per Oeſophagum deſinit.

CAPUT XXVII.

DE

PROLAPSIONE UVULÆ.

§. I.

AFfectus hic, licet frequens ſit, tamen minime vel arduus, vel multum moleſtus exiſtit, niſi paululum deglutitionem impediat & inſolitam ſenſationem poſt ſe trahat, modo etiam ab artificioſis offenſionibus arceatur, ne inflammatoria commotio eidem ſuperveniat, ſiquidem ob relaxationem ſpongioſarum harum partium, ſangvis eo copioſius affluere & concurrentibus activis affluxibus facilius in confiniis in ſuſpectam ſtagnationem aut ſtaſin actualem incidere poteſt.

§. II. Communiter hic affectus concurrit cum catarrhali, medioeri tamen, neque in fluxum aut excretionem exeunte afflictione, ſed vel ex infundibulo narium in fauces abeunte, vel cum impeditius ſuccedente Coryza, conſpirante, unde ſeceſſio & oppletio illa catarrhalis in laxiora hæc & ſpongioſiora loca exilium & tenerorum muſculorum, uvulam hanc retrahentium, tonum aut neceſſariam tenſionem magis afficit atque relaxat, ut delabens hæc ſpongioſa & quaſi glanduloſa pars majorem decubitum catarrhalis affluxus, atque oppletionis ſubeat.

§. III. Quando itaque catarrhi capitis ſufficienter & commode cum promta excretione ſuccedunt, imo quando faucium partes ab ejusmodi reſtrictionibus humorum liberantur, tunc vel præſens affectus, in ſe quidem mitior, haud oritur, vel etiam facilius iterum ceſſat & remittit, cum contra motus præcedentes congeſtorios in ſeroſo catarrhales effectus exeuntes, conſequi & hoc reſpectu interdum moliminibus hæmorrhagicis, caput occupantibus, ſeſe per conſequentiam, ſæpius hactenus commendatam, conjungere ſolet.

CAPUT XXVIII.

DE

FAUCIUM ET COLLI INFLAMMATIONIBUS.

§. I.

E Capite jam in proximas connexas partes colli deſcendo, & graviores inflammatorios illos affectus explicare ſuſcipio, qui inter medicos *Anginæ*, *Prunellæ*, & *Cynanches* nomine veniunt, qui ſinguli vero per gradus magis periculoſi exiſtunt, & quoad geneſin & genium ſuum bene notari debent.

§. II. *Anginam* quod attinet, quæ ab angendo dicta, partim interiorem, partim exteriorem colli regionem occupat, & vel idiopathice vel ſymptomatice occurrit, imprimis vero junioribus, plethoricis, in diæta plena & interdum lauta viventibus, ſed ſimul ad Hæmorrhagias proclivibus, ſubjectis obtingit, quanquam adultiora paulo rarius corripiat, in quibus tamen etiam adhuc periculoſior eſſe obſervatur; exſerit ſeſe cum ſtrangulatorio effectu, reſpirationem valde præcludente & tumorem, ardorem atque extremam anguſtiam provocante; quæ commotio congeſtorio-inflammatoria, quo impetuoſius & citius progreditur, eo periculoſior eſſe advertitur: concurrit unà dolor tenſorius, lancinatorius cum maximo deglutiendi impedimento, intumeſcunt vaſa ſangvifera in capite, prominent oculi & communiter febris acuta accidit, quæ ſua etiam ſymptomata introducit, omiſſis pluribus, brevem hunc hiſtoricum conſpectum concernentibus circumſtantiis.

§. III.

§. III. Quanquam vero talis affectus mox ſine alio præcurrente affectu ſubjecta corripere ſoleat, tamen aliquando in acutis febribus ut ſymptoma occurrit, quando vel præpoſteræ Venæ Sectiones adminiſtrantur, vel remedia & regimina calida ordinantur, vel per refrigerantia perverſæ & anotericæ quidem commotiones humorum excitantur, ut ita ſub ſingulis hiſce cauſis, quæ alias ad molimina hæmorrhagica excitanda conveniunt, ejusmodi impetuoſa commotio intra fauces oriatur, quæ reliquum febrilem decurſum non parum exaſperat, dum ad febrem pertinentes neceſſarias excretiones perturbat, & ad ſecundariam, magisque accidentalem, ſangvinis evacuationem collineat.

§. IV. *Prunella* utplurimum ſymptoma febrium contagioſarum, exanthematicarum, epidemicarum conſtituit & non minus in ſubjectis junioribus ſangvine abundantibus, ad Narium Hæmorrhagias olim adſvetis & non ſatis commode & congrue vel per artificia & regimina tractatis vel non bene conſiliis obtemperantibus, ſed & moribus & reliqua impatientia & inquietudine multum reſiſtentibus: exſerit vero ſeſe hic affectus, cum ſpecialiſſimo illo congeſtorio-inflammatorio motu, intra linguam directo, licet confinia faucium, aliquo modo una afficiantur, lingva tamen intumeſcit, ardet, valde dolet, quin in ſuperficie fiſſuras dolorificas concipit & cum glutinoſa moleſta viſciditate oblinitur, præter reliquam concurrentem anguſtiam reſpirandi & alia adhuc ſpecialiora ex ſubjectis interdum eorundemque indole & temperamento fluentia phænomena: qui affectus ut ſymptoma malignarum febrium conſideratus, non minus periculoſus eſt & reliquum febrium decurſum admodum alterat.

§. V. *Cynanches* denique eſt ſpecies ſpecialiſſima inflammationis, quæ faucibus obtingit, ſed quæ præ reliquis maxime periculoſa eſt, quia intimior & profundior exiſtit, neque congruis artificialibus ſubſidiis facile patet, unde Hippocrates in Cynanchicis omnia pernicioſa eſſe prædicavit; eſt vero hic affectus inflammatio, quæ in profundis Laryngis & connexarum cartilaginum muſculoſis exilioribus partibus occurrit, & tamen neque in faucibus neque in collo inflammatorium tumorem & ruborem prodit, rarus tamen perquam eſt affectus & ratione circumſtantiarum ad hiſtoricam illius delineationem pertinentium, cum Angina aliquo modo coincidit, ratione ſubjectorum & incommodorum, ſiquidem communiter ſuſpecta quædam reſpirationis interceptio & febris invaſio, una cum multis ominoſis circumſtantiis occurrit.

§. VI. Ad hos inflammatorios faucium affectus ſponte exorientes, contribuunt, primaria cauſandi ratione, impetuoſæ quædam commotiones, ſimplicius ſangvineæ, intra fauces directæ, quæ minime ita tumultuariæ & fortuitæ ſunt, ſed prout diverſæ circumſtantiæ præcedentes & adhuc in ſubjecto ægrotante concurrentes indicant, directæ & activo quodam ſcopo deſtinatæ ſunt, ad emo-

tionem ſangvinis ſuperflui moleſti & commoti per ſuperiores corporis regiones e quibus hac adhuc ætate ſangvinem eliminare natura conſvevit, unde cum hoc morbi limine hæmorrhagico congruunt maxime illæ cauſæ, quæ repentinas ſangvinis commotiones excitant, adeoque intentionem imminutioni ſangvinis reſpondentem provocant.

§. VII. Et licet interdum per alias cauſas, ſtaſis quædam in faucibus provocata fuerit, tamen experientia docebit, quomodo hæ cauſæ cum prædictis circumſtantiis, omnino conſpirent, ita quidem ut vix facile talem inflammatorium affectum excitarent, ni ſubjectum fuerit plethoricum, in vegeta ætate conſtitutum, Narium Hæmorrhagiis aut aliis eo tendentibus commotionibus expoſitum, & adſvetum, proinde etiam diverſis ſuæ plethoræ commotionibus obnoxium, ut ita tales cauſæ occaſionales ſive ſint ſenſibiles facium ſtimulationes, ſive vehementiora vomitoria, ſive inopportunæ & inſufficientes Venæ ſectiones ſive inferiorum Hæmorrhagiarum repentinæ ſuppreſſiones, ſive ſenſibiles partium inferiorum refrigerationes & præcipites conſtrictiones, ſive adhuc aliæ.

§. VIII. Tales inflammatorii motus, qui præcedentem congeſtionem immoderatiorem, ex qua per accidens ſtaſis & occluſio ſangvinis in affectis locis contigit, excipiunt, activo & ſalutari naturæ directorio eo maxime prævifi & deſtinati ſunt, quo hanc ſtaſin referent & diſcuſſorio & reſolutorio effectu, reſorbeant, atque ita pernicioſam corruptionem imminentem & certo metuendam, præoccupent: quem ſcopum natura non modo cum inflammatorio tali actu proſequitur, ſed & pro gravitate reliqui affectus, cum febrili commotione, unita vi, cum inflammatione contra ſtaſin pugnante, urget: melius itaque talis inflammatio in tempeſtivam reſolutionem excurrit, ægrius & rarius vero in ſuppurationem, quæ multos periculoſos ſucceſſus & eventus involvit: licet patientes vel ante ſuppurationem aut reſtituantur aut pereant, vel ſub eadem ſuccumbant vel poſt illam ægerrime reſtituantur, aut plane emoriantur.

CAPUT XXIX.

DE

CARDIALGIA.

§. I.

QUamquam hic affectus fundamentis præſentis noſtræ tractationis non perfecte reſpondere videatur, dum ex diverſis cauſis originem ſumere conſpicitur, non tamen quoad fundamentalem & theoreticam explicationem easdem animadverſiones negligere volo, quæ ad quamvis cauſalem illius cognitionem ſpectant,

ſtant: quoad ſimplicem ſuam indolem denotat anguſtationem oppreſſoriam, reſpirationem, præcordia & ventriculum maxime affligentem, adeoque & animo præter corporis angorem, multam inquietudinem inferentem, ita ut interdum Lipothymiæ metus occupet, quandoque vero nauſeabunda & vomibunda commotio accidat, vel denique nonnunquam actualis vomitus, pro diverſitate cauſarum, quæ hunc affectum provocarunt, ſuperveniat.

§. II. Occurrit hic affectus uſitatius in ſubjectis hypochondriacis, hyſtericis, ſpleneticis, Menſium & Hæmorrhoidum Anomaliis laborantibus, alvi frequentioribus adſtrictionibus & ſuppreſſis flatulentiis obnoxiis, nec non conjungitur pathematibus aſthmaticis, ad vomitum cruentum collineantibus commotionibus, ut & morbis pectus in conſenſum trahentibus & ex retroceſſione exanthematum malignorum & inquinamentorum ſcabioſorum aut corruptionum aliarum ulceroſarum conſtrictionem tum diaphragmatis tum reliquarum muſculoſarum pectoris partium cauſantibus, omiſſis variis aliis ad hæc genera remotiorum occaſionalium cauſarum ſpectantibus circumſtantiis & requiſitis.

§. III. Non quidem tam facile hunc affectum, uti quidem vulgo fieri ſolet, atoniæ adſcribere volo, quin potius auctiori tono eundem aſſignare malo, ſiquidem ſtricturæ illæ intenſiores ſpasmodicæ, tam in hypochondriis, quam in Ventriculo, diaphragmate & inferioribus intercoſtalibus muſculis, hanc anguſtantem præcordiorum occluſionem cauſari ſolent, ſub quibus ſtricturis in Ventriculo præſentibus, comeſta alimenta cardialgicum illum effectum, quaſi exacerbare & renovare poſſunt, ut ita denuo fruſtra ad debilitatem ſive atoniam Ventriculi provocem, cum exigua interdum quantitas alimenti aſſumti, quæ graviſſimas cardialgias inducit, vix talem proportionatum phyſicum prementem & opprimentem effectum exſerere queat.

§. IV. Unde vero hi ſpasmodici motus oriantur jam proxima quæſtio eſt, quo ordine denuo vulgatam illam & e triviali pathologia falſa accuſari ſolitam acrimoniam evitare debeo, ne ex communi credulitate indoli & nexui circumſtantiarum ad Hiſtoriam præſentis affectus pertinentium vim inferam, ſiquidem juxta hanc tonſorum Theoriam, affectus hic plurimis hominibus frequens eſſe conſpiceretur: equidem breviter dico, quod hi ſpaſmi, ſive ad anomalias Menſium Hæmorrhoidum & Hæmoptyſeos pertineant, ſive ad Vomitum Cruentum tendant, ſive ad præſervationem pectoris ab invaſione & affluxu vel malignarum vel aliarum corrumpentium ſubſtantiarum collineent, ſive ad remotionem adverſi objecti in confiniis pectoris, Ventriculi & hypochondriorum tranſeant, ſicuti ad ultimam hanc annotationem pertinent flatus aſcendentes, ſcirrhi hepatis, lienis, pancreatis, glandularum meſeraicarum & ſimilia pathemata.

CAPUT

CAPUT XXX.

DE PHTHISI.

§. I.

ARduum & terribilem jam aggredior affectum, inter homines admodum exosum, propterea quia communiter funestum eventum nanciscitur & quamvis ratione nominis generalem aliquam consumtionem denotet, & propterea à germanis cum tabe admodum confundatur, tamen proprie pulmonum affectum vel actualem pulmonum ulcerationem designat, licet adhuc veteres medici de phthisi renali differere sciant: attamen etiam cavendum est, ne hic pulmonum affectus cum Hectica confundatur, licet non raro hectica phthisi superveniat.

Conf. Stahlii disp. de Phthisi.

§. II. Frequentia Phthiseos non tanta est, uti quidem præsumitur vel metuitur, quotiescunque vero occurrit, toties mox sonticas totius corporis alterationes introducit: familiarius evenit juxta primam Hippocratis observationem junioribus subjectis & magis sequiori sexui, deinde vero hominibus plethoricis, qui antea in vegeto & sano statu vixerunt, ut & in pueritiæ annis Narium Hæmorrhagias subjerunt, aut quando in sequiori sexu Menses antehac efficacius & largius fluxerunt, sed nunc in aliquo defectu constituti sunt, & quanquam tales circumstantiæ in quibusdam subjectis non occurrant, tamen aliæ commotiones pectus affligentes, vel congestoriæ vel prægressæ inflammatoriæ & suppuratoriæ huic affectui ansam præbent, quo ordine minime reticere placet illam notabilem consecutionem Phthiseos, qua prægressam Hæmoptysin vel secessionem acrem catarrhalem rhevmaticam intra pectus factam, nonnunquam excipit.

§. III. Maxima vero Cautela in diagnosi Phthiseos adhibenda est, quoniam frequenter tussis humida pectoralis & expectoratio materiæ mucidæ, quoad colorem non satis ingenuæ, aut mediocris contabescentia cum actuali phthisi confunditur: sicut vero vera phthisis in actuali pulmonum ulcere consistit, ita hæc læsio gravem respirationis difficultatem, tussin per intervalla magis magisque increbescentem, atque fœtidam spumescentem saniosam, interdum cum stigmatibus sangvinolentis remixtam materiam ejicientem, omnium functionum ad vitam humanam spectantium alterationem & debilitationem, successivam firmitatis corporis emarcescentiam, febrilem hecticam commotionem per tempora supervenientem iterumque cessantem, nec non magis magisque increbescentem virium dejectionem, augescentem pectoris angustationem aliaque multa pathemata involvit, sicuti non raro in Phthisi ex hæmoptysi aut moliminibus hæmoptycis

ptyicis orta, vel denuo actualis hæmoptysis supervenit, vel hectica febris magis insoleſcit, uti alioquin consumatæ interdum Phthisi diarrhœa accidit, & posteaquam satis diu tota hæc tragœdia duravit, placidam & quietam vitæ clausulam imponit.

§. IV. Cum itaque hæc Phthisis actuale ulcus in pulmonibus supponat, ita hujus verus ortus, e diversis causis deduci & demonstrari potest, inter has vero familiariores sunt, prægressa Hæmoptysis, tanto magis repetita, nec non copiosa sangvinis affusio & detentio in pulmonibus atque humorum seceſſio, stagnatio, aut stasis & inde denique orta corruptio; quo non raro mala artificia, per liberalem expectorantium usum operosa concurrunt, quibuscum inopportune adhibitis, non modo copiosior sangvinis affluxus invitatur & confirmatur, sed & pulmonum oppletio augetur, ordinaria tensio relaxatur, & secedentium humorum lymphatico-mucilaginoso-serosorum stagnatio & corruptio facilitatur: exinde demonstro connexionem Phthiseos cum Hæmoptysi & moliminibus hæmoptyicis.

§. V. Meretur hùc referri ille historico-practicus nexus, quando Peripneumonia ex congestione sangvinis intra pulmones orta, in suppurationem transiit, e quo Apostemate denique ulcus actuale prodiit, dum ob continuum affluxum humorum & tempestivæ consolidationis defectum talis depravatio & fermentativa inquinatio subnascitur: non minus affectus rheumatici e capite intra pulmones transcendentes & serosam acrem substantiam eo sequestrantes, adeoque futurum humorum affluxum immoderatum causantes, phthisin ex eadem hæmorrhagica connexione excitare solent.

§. VI. Corruptio quæ pulmones obruit, est ulcerosa, non vero perfecte sphacelosa, dum sangvis continuo quidem per pulmonum texturam refluit, largior vero lympha in affecto loco obhæresçit, & hanc corruptelam induit atque texturæ membranaceæ pulmonum communicat: interim quando sangvinis quædam quantitas, sub hac ulcerosa depascentia unà corruptionem subit, tunc status reliquæ ægrotationis redditur acerbior, & multæ alterationes de hac exasperatione affectus, certum & indubium testimonium ferunt.

§. VII. Dantur vero etiam aliæ causæ & magis externæ atque violentæ, quæ phthisin provocare possunt, imo etiam solent, veluti vapores causstici, corrosivi, minerales, sulphurei, incautius & frequentius inspirati, sub mineratum & subterranearum substantiarum metallicarum arsenicalium & mercurialium fusionibus admissi, qui teneram pulmonum texturam partim arrodunt, partim immoderatioribus congestoriis humorum appulsibus exponunt: undecunque vero Phthisis oriatur, toties certe immedicabile malum est, & singulares plane circumstantiæ atque prudentes discretiones conferendæ sunt, in illis rationibus observationibus, quæ Phthisin curatam sistunt.

§. VIII. Quando itaque nobile hoc viſcus, in ordinario ſtatu, reſpirationi dicatum, in phthiſi tantopere læſum eſt, mirum non eſt, cur reſpiratio tam impedita ſit & tuſſis moderata, excuſſioni ulceroſi inquinamenti dicata, urgeat, unde etiam hæc expectoratio, quæ ulcus conſtanter abſtergit, reliquum phthiſeos ſtatum levat, dum contra malum omen eſt, ſi expectoratio hæc ceſſat: & ſicut hic affectus ex moliminibus & ſucceſſibus hæmorrhagicis, ortum aliquoties traxit, ita ſub reliquo hujus mali decurſu, interdum eadem molimina hæmoptyica, quin actuales plane Hæmoptyſes invadunt & corripiunt,

§. IX. Attamen cum corruptio, quæ in pulmonibus adeſt, non ita præceps exiſtit, ita tam diu natura corpus ſuum ſalvare & conſervare laborat, quam diu poſſibile eſt, interea vero hoc ſuum corpus tanto periculo expoſitum, ulterius confirmare, augere & nutrire rationabiliter ceſſat, quin potius ulceri præſenti proſpicit, ne citius ſeſe expandat; interim ſub vitalium motuum continuatione, corpus ita affectum magis conſumitur, adeoque ſucceſſive emarceſcit, & cum tota œconomia vitalis plane in extraordinarium ſtatum conjiciatur, ordinariæ vires langveſcunt.

§. X. Prout gravitas & acerbitas affectus urget, ita denique Hectica febris accidit, quæ ultimo quodam & extremo conamine præſentis periculi averſionem, ulceris abſterſionem & corporis conſervationem proſequitur, quid quod plane eò, deſperata hæc res devenit, ut quaquaverſum opem & auxilium ſpontaneis etiam inventionibus inquirat, anxia natura, quæ quandoque tales actus & excretiones ſuſcipit, quales directe quidem affectui nihil medentur, attamen eo ad minimum prævii ſunt: tales ſunt Hæmoptyſes, Diarrhœæ, & Sudores, qui actus uti plane extraordinarii exiſtunt & a natura jam valde langvente ſuſcipiuntur, proinde etiam indolem affectus plane nihil levant, ita in funeſtum eventum abeunt.

§. XI. Meretur denique in hac Phthiſeos explicatione conſiderationem ratio & conſideratio in Hiſtoria practica occurrens Phthiſeos Hæreditariæ, nec non periodice exacerbatæ, ut & contagioſæ, ubi ſingulares conciliationes certarum circumſtantiarum maxime in motuum alteratione perquirendarum ſcitu neceſſariæ erunt, nec non quomodo interdum ſonticus hic affectus ſuppreſſas evacuationes menſtruas & hæmorrhoidales excipiat, aut quomodo ex aliarum ſalutarium excretionum cohibitione, motus ad pectus regurgitantes & humores eo copioſius affundentes, ſtantibus fundamentalibus circumſtantiis, conſvetæ imprimis contentionis hæmorrhagicæ, provocati fuerint, qui denique in phthiſicum talem eventum degenerarunt.

CAPUT

CAPUT XXXI.

DE

VOMICA PULMONUM.

§. I.

AD alium Pulmonum affectum, qui similiter gravis est & interdum in actualem phthisin desinit, accedo, sed qui ratione indolis suæ, non parum implicatus existit, dum adhuc labem suam occultat, quæ in phthisi tamen manifesta est: dicitur Pulmonum Vomica, quæ constituit vel particularem abscessum in pulmonibus, cum tunicaceo tamen involucro inclusum, quo minus exorbitare & reliquam pulmonum texturam facile & cito efficere queat: vel etiam consistit in Scirrho ex suo meditullio successive ulcerascente, & similiter cum membranaceo sacco involuto, quod involucrum tunicaceum, si denique per qualemcunque etiam causam, ad perruptionem urgetur, apertam labem sistit, unde ulceratio quæ tam diu occulta fuit, sese in reliquam texturam & pulmonum compagem effundit & in actualem phthisin desinit.

§. II. Infrequens hic affectus, ex iisdem tamen causis ortum sunm capessit e quibus phthisis initia sua sumit; siquidem etiam similibus subjectis obtingit, quæ phthisis alias invadere solet, sistit sese cum aliquali difficultate respirandi, & obscuro atque obtuso dolore in profundis pectoris, conjungitur sicca, suspecta, lenis tamen tussis pectoralis, nec non interdum febrilis commotio accidit, animus & vires torpent, appetitus dejectus est, homines successive, non tamen repente aut nimium contabescunt, neque quidem cæterum patientes tenentur, quo in lecto collocent, siquidem aliquando in singula tali afflictione remissiori & tolerabiliori statu fruuntur, interdum vero iterum omnia hæc pathemata majorem in modum increbescunt, quid quod plane evenit ut Vomica repente tandem perrumpat & contenta materia ulcerosa simul & semel bronchiorum propagines ingrediatur atque suffocationem minetur.

§. III. Priusquam vel suppuratio vel scirrhus in pulmonibus generatur, requiritur quo præcedant quædam vel congestoriæ vel connexæ inflammatoriæ commotiones, quæ non raro cum effectu hæmorrhagico conspirant, siquidem eadem causandi ratio hic valet, quæ in præcedenti phthiseos pathologia suppeditata fuit, illud vero est, quod in hoc affectu peculiarem disquisitionem meretur, nimirum quomodo hæc labes, quæ pulmonibus accidit, cum propria quadam tunica circumcluſa deprehendatur, ubi merito singulariter providam naturæ activitatem deprædico, qua in tantum adhuc futuro periculo prospicit,

ut saccum aliquem membranaceum, destinato quodam consilio, formet; adeoque tempestive præcavet, ne tale malum citius sese extendere queat.

§. IV. Quando vero congestoriæ commotiones, ad talem pulmonum calamitatem continuant, fieri omnino potest & solet, quo a tergo quasi eadem urgeatur, adeoque cum majori pectoris oppletione obruatur, aut ut a sangvine & connexis humoribus circa talem labem stagnantibus & subsistentibus novus metus corruptionis eidem immineat, siquidem denique impetuosæ commotiones patheticæ, aut qualescunque humorum impulsus & artificiose provocatæ fortiores commotiones corporis, ad perfectam Vomicæ tam diu occlusæ perruptionem contribuere solent.

CAPUT XXXII.

DE

SINGULARIBUS PULMONUM VITIIS.

§. I.

PLacet in hac serie, adhuc brevibus verba facere, de duplici morbido quodam pulmonum statu, qui ad graviores & periculosiores ægrotationes excitandas interdum concurrit: loquor vero primo de *Tophis pulmonum*, deinde de *Concretione* superficiali *Pulmonum cum* tunica *Pleura*; qui utrique affectus ratione diagnoseos, suæ satis obscuri, ratione prognoseos vero, quando, historia practica conciliatur, non parum suspecti sunt.

Conf. Stahlii Disp. de Affectibus Pectoris.

§. II. *Tophi pulmonum* sunt exiles scirrhi, magnitudine semen Cannabis æquantes, numerosiores, huc illuc per regionem pulmonum dispersi, vix aliqua morbida dispositione, in subjecto sese manifestantes, nisi interdum moderata & quæ minime directe hisce tophis imputari potest, tussicula, occurrat: proinde vero observatum fuit, quomodo in uno & altero, sub tali tussi interdum moleculæ tales spissiores, sive exigui illi scirrhi excreti fuerint, siquidem de reliquo in anatomico scrutinio talium subjectorum demortuorum comparuere illi tophi, qui antea pulmones obsederunt.

§. III. Quantum ex conciliatione talium circumstantiarum colligere licuit, junioribus subjectis tales scirrhi familiares deprehensi sunt, sed qui sub continuatione congestionum sangvinearum intra pectus & secessionum mucidarum non modo ad majorum scirrhorum genesin contribuerunt, sed & ad plenariam ulcerosam pulmonum depravationem cum temporis successu concurrerunt: ut adeo e minori malo majus prodiisse experientia doceat.

§. IV.

§. IV. *Pulmonum concretio cum Pleura* non infrequens esse observatur, modo Historiæ anatomicæ sedulo conferantur, maxime vero in illis subjectis deprehensa fuit, quæ ex aliquo fontico pectoris morbo occubuere, concrescunt vero pulmones cum Pleura, vel mediantibus filamentis quibusdam, semi tendinosis, vel tota quædam superficies tam firmiter coalescit, cum pleura, ut arduum sit, quo talis concretio sine cultro solvi queat: proinde observationes anatomicæ demonstrarunt, quomodo tam in infantibus, quam adultis tale accidens occurrerit, exinde colligo, quomodo plus quam probabile sit, quod vel ejusmodi concretio ad conformationis vitia & ad primam formationem fœus referri possit, vel etiam per accidens & ob certas causas atque occasiones, talis coalitus cum tempore contingere queat.

§. V. Quamquam vero in Historiis anatomicis talis concretio innotescat, tamen Historiam medicam morborum clinicam adhuc destituunt ejusmodi certa, fida & indubia signa, ex quibus eadem in vivis adhuc corporibus cognosci possit, licet in quibusdam, insolita angustiia pectoris, quæ tamen aliis pectoris morbis conjungitur, occurrat; interim eadem concretio tam ad diversos pulmonum morbos disponit, quam ex aliis pectoris affectibus oritur.

§. VI. Circa genesin Tophorum & exilium scirrhorum in pulmonibus notandum est, quod per accidens illi oriantur, dum ex successiva & repetita tam humorum copiosiori compressione ad pectus, quam secessione & tussiculosa pulmonum commotione in tenera membranacea pulmonum textura, huc illuc tenuior lympha in exiguam stagnationem & stasin delabitur, interea vero ob paucitatem suam tanto facilius & citius ab humidiori portione liberatur, ut reliqua gelatinosa & mucilaginosa illius substantia in calcariam talem consistentiam transeat, quemadmodum hæc communis lymphæ indoles est, ut exaresacta, in talem albicantem tophaceam spissitudinem abeat: ex quo liquet quomodo horum tophorum causa primario debeatur tam activis illis & interdum sangvineis excretionibus destinatis congestoriis commotionibus, quam impeditis progressibus humorum per pectus, nec non impulsui humorum intra pulmones, per qualemcunque pectoris motum concitato, quo cantationes, intensiores clamores, nec non qualiacunque exercitia, pectoris motum requirentia, refero.

§. VII. Concretio vero pulmonum cum pleura, vel ad vitia conformationis in utero materno pertinet, vel quando infantes tenelluli sub reliquo vegetiori nutritoria corporis sui confirmatione, frequentius in uno eodemque decubitu, ad idem latus portantur, quid quod denique ad hoc præternaturale concrementum disponit, quando affecti pulmones ex uno lobo & latere magis arcte ad pleuram sub inspiratione & expansione apprimuntur, unde contingit, ut si jam labes quædam in pulmonibus vel immineat vel urgeat, per erroneum quen-

quendam naturæ actum ejusmodi coalitio succedat, quæ in vicinia loci affecti reparare & coalescere laborat, dum ipsam labem interiorem pulmonum hoc actu secundare non potest.

§. VIII. Quando vero a nativitate vel prima infantia, talis concretio occurrit, non exiguum incommodum liberiori pulmonum motui & respirationis officio accidit, dum necessarius expansorum pulmonum collapsus ab hinc non parum impeditur, unde vel de præsenti vel in futurum ad copiosiorem affluxum & detentionem humorum in pulmonibus, via panditur & occasio præbetur, quid quod exinde stagnatio, stasis & corruptio invitatur, quales prædictas causas, faciliorem exundantiam humorum intra pulmones inferentes, natura postea activis congestorio-spasmodicis motibus sequitur, & per anticipationem turgentem & urgentem suam vel sangvinis vel aliorum humorum quantitatem, ex hac parte eliminare contendit.

CAPUT XXXIII.

DE

POLYPO CORDIS.

§. I.

QUanquam hæc præternaturalis concretio fungoso-fibrosa, membranacea & semi tendinosa, ex anatomia practica non raro conspectui occurrerit, tamen diagnosis hujus concrementi, admodum ambigua & implicata est, ita ut maxima circumspectione opus sit, in agnoscendo & accusando cordis Polypo in subjectis vivis.

§. II. Quantum quidem colligere licuit, ex conciliatione Historiæ anatomicæ & Historiæ morborum, tunc subjecta in quibus talis Polypus deprehensus fuit, communiter sangvine turgida & vel spontaneis vel artificialibus sangvinis evacuationibus adsveta fuerunt, quæ vero vel arbitrarie neglectæ, vel per incongrua artificia & regimina suppressæ, denique in talem statum desiisse observatæ sunt, quemadmodum repentinas Hæmoptyseos oppressiones, aut Hæmorrhoidum cohibitiones, juxta historiam practicam, ad cordis Polypum contribuisse, constat.

§. III. Et qui tali Polypo laborarunt, imprimis multas insignes imo extremas angustias præcordiales experti sunt, cum magna respirandi difficultate, anxiis & frigidis sudationibus, propensionibus in Lipothymiam, intercurrente cordis palpitatione & pulsu interdum debili, tremulo, celeri aut intermittente: maxime vero illi qui capaces sunt accuratius discernendi, sentiunt illam anxietatem, in ipso corde occurrentem: interea reliquæ functiones, tum morales tum etiam animales

& vitales langvent, donec talis patiens ex obſcuro ſatis morbo, dum hoc concrementum nulla arte auferri poteſt, moriatur.

§. IV. Eſt vero ejusmodi Polypus inordinatum quoddam fruſtum, quod concrevit, ex erroneo naturæ humanæ actu, quo diſpoſuit vel multitudo ſangvinis, quæ frequentius oppreſſit & opplevit pectus, quin ipſum etiam Cor, vel etiam ſpiſſitudo illius, quæ ſucceſſive e plenitudine nata eſt; & dum ſpiſſior ſangvis paulo operoſius e corde transprimi debuit, ita ex utraque hac circumſtantia ſeducta quaſi natura, hoc irregulare fruſtum formavit, imo illud tam arcte, vel adhuc intra ipſos cordis Ventriculos, vel ad eorundem exitum adfirmavit, ut non niſi cultello ſeparari potuerit: quale concrementum, cum mora temporis ob ſimilem erroneam continuatam actionem, in annexa vaſa ſangvifera ſeſe extendit.

§. V. Quando vero hæc vaſa quæ ſangvinis liberiori progreſſui dicata ſunt, tali præternaturali concremento opplentur, tunc ipſe progreſſus ex eo graviter impeditur, & motus cordis vehementer turbatur & offenditur, unde illi inſignes angores & connexa reliqua pathemata oriuntur & quo talis moleſtia aliquo modo emendetur, cordis palpitatione compenſare laborat natura, in quo juſtus nunc ſucceſſus & progreſſus ſangvinis deficit, ſiquidem per hoc augmentum ſyſtaltici motus ſangvis fortius per vaſa, ab hoc concremento oppleta, transprimitur, ne Cor obruat & quaſi ſuffocet.

CAPUT XXXIV.

DE

PALPITATIONE CORDIS.

§. I.

ALius hic Cordis eſt affectus, qui conſiſtit in fortiori, impetuoſiori frequentiori & palpitante magis ſyſtole, qua ſangvis ſucceſſive affluens vehementius & efficacius propellitur, qui affectus non modo valde moleſtus eſt, ſed & admodum manifeſtus, quo loco præcipue intelligo morbidam illam palpitantem & non tranſitoriam vulgarem cordis commotionem, quæ vel gravem corporis exercitationem vel iram prægreſſam aut terrorem excipit, ſed quæ ſponte & ex improviſo, ſubjecta obruit.

§. II. Affectus in Hiſtoria practica hic non eſt infrequens, qui ratione ætatis juventuti obtingit, & ex hac in adultiorem ætatem tranſcendit, facilius etiam ſangvineo-melancholicos, plethoricos, in plena diæta & ſedentaria vita degentes & ſimul ſangvinis ſpiſſitudine laborantes corripit; non infrequens eſt ſubjectis hypochondriacis & hyſtericis, aut illis, quæ præter prædictas circumſtan-

ſtantias vel ſpontaneis vel artificialibus ſangvinis evacuationibus antehac adſveta fuerunt, quæ vero iterum ceſſarunt.

§. III. Invadit hæc palpitatio cordis ſua ſubjecta repente, etiam interdum noctu, quando inopinato evigilant & præcurrente anguſtia obruuntur: ipſa hæc palpitatio non ita diu durat, ſed quaſi per paroxyſmos decurrit, quæ poſteaquam ceſſavit, multum animi & corporis langvorem atque virium defectum poſt ſe relinquit: deprehenditur etiam hic affectus ſupervenire ſubjectis hæmoptyicis, cordis polypo & quando in pulmonibus ſcirrhoſa quædam labes adeſt: de reliquo hic morbibus motus fortior cordis etiam per animi pathemata exacerbari poteſt.

§. IV. Pendet hic auctus motus cordis a natura, quæ cum eodem activa extraordinaria quadam directione aliquid intendit & urget, quod in corporis commodum cedere poteſt: inter illos uſus vero, qui per hunc motum urgentur, eſt attenuatio ſangvinis ſpiſſi, remotio concretionis polypoſæ in corde, promotio excretionis ſangvinis ſuperflui per Hæmoptyſin, efficacior abſterſio ſtagnationis aut oppletionis ſcirrhoſæ, quæ in pulmonibus obtigit, ut ita extraordinaria quadam vi amovere contendat natura, id, quod œconomiam ſuam vitalem, extra ordinem aggravat.

§. V. Eo ipſo vero declino illas traditiones, quaſi auctior hic motus a ſtimulatione & irritatione cordis pendeat, cui ſententiæ multa phænomena, ex Hiſtoria practica petita, contrariantur; neque obſtructio quædam tanti voloris eſt, quo per intervalla Cor ad ejusmodi motus augmentum urgeatur, ſiquidem denique hi ſpasmi non confuſe oriuntur & progrediuntur, ſed ſuas cauſas & ſuos fines omnino agnoſcunt.

CAPUT XXXV.

DE

RHEVMATISMO.

§. I.

SIngularem hic affectus meretur commendationem & obſervationem, eo, quia ab ipſis primis Hiſtoriæ medicæ ducibus, pro diſcreto quodam morbo annotatus, neque tamen ſatis condigne pertractatus fuit, ſiquidem Rheumatis appellatio involuit repentinam aliquam inundationem in aliquam partem, & quidem juxta Galeni mentem catarrhalem, quæ tamen ſecundum Hippocratem variis corporis regionibus atque ſingularibus partibus obtingere poteſt.

Conf. Stahlii Diſp. de Rheumatismo.

§. II. Interim Catarrhus ſimplicior & Rheuma maxime differunt, cum juxta

juxta mentem antiquiorum, ille materiam aliquam ſimpliciter catarrhalem, pituitoſam, frigidam, hoc vero acrem & calidam involuat, unde pro diſtinctione meliori hoc Rheuma vocarunt catarrhum calidum, acrem, einen hitzigen Fluß, ſiquidem tale Rheuma in parte, quam occupavit, præter reliquos dolores, etiam ardorem involvit, quemadmodum adhuc mobilitate & ſenſibilitate communes Catarrhos admodum ſuperat, quid quod juxta hanc conſtantem diſcretionem tam in actuales ſpasticos, quam inflammatorios affectus, degenerat.

§. III. Corripit hic affectus ſubjecta in vegeta adhuc ætate conſtituta, familiariter plethorica, ad Hæmorrhagias diſpoſita, variis plethoræ ſuæ commotionibus, nec non recurrentibus congeſtoriis impulſibus obnoxia, aut artificialibus antehac ſangvinis ſubtractionibus dicata, quæ vero neglectæ fuerant, licet quoad diætam & regimen nulla mutatio contigerit: interim adhuc hic affectus, in ſua ſpecie conſiſtens, ab arthritide aut alio ſpaſmo differt, quamvis cum ſpaſmodicis affectibus vel complicari poſſit, vel in eosdem tranſcendere ſoleat.

§. IV. Talis Rhevmatiſmus cito aliquam partem corripit, & quidem inſolito quodam dolore, tenſorio, vibrativo, ardente, ſtrictorio, oppletorio, congeſtorio, & affectæ partis ineptitudine ad ſubeundos motus, ſub quibus voluntariis commotionibus, allegati dolores magis augentur: in ipſa vero affecta parte non multum obſervatur, niſi interdum levis quædam inflatio & exiguus rubor promineat, de reliquo unà cum eodem affectu concurrit torpor animi & corporis, appetitus dejectio, & ſi partes ſuperiores hoc affectu laborant, caput una perturbatur: quo acerbior Rhevmatiſmus redditur, eo facilius febriles commotiones & quidem vel horripilatoriæ vel alternantes æſtuoſæ ſuperveniunt.

§. V. Hic affectus, ſicuti a ſimplicioribus Catarrhis diſcretus eſt, ita quoad indolem ſuam potius conſiſtit in repentina commotione congeſtoria, cum ſubtili ſpasmodica commotione conjuncta, ad certas regiones & partes directa, eum ob finem ſuſcepta, quo ſuperfluus moleſtus & commotus ſangvis juxta diſpoſitionem & propenſionem, aut conſvetudinem ſubjecti, eliminetur, unde etiam Rhevmatiſmus amuſſim reſpondet circumſtantiis & requiſitis ad Hæmorrhagiam ſpectantibus, in qua communione etiam quoad hanc circumſtantiam hæmorrhagicis moliminibus congruit, quoniam in illis ætatibus, quibus e ſuperioribus corporis regionibus Hæmorrhagiæ erumpere ſolent, ſuperiores partes, in reliquis vero quibus per inferiores regiones Hæmorrhagiæ decurrunt, inferiores afficit.

§. VI. Comprobat ſeſe hæc harmonia Rhevmatiſmi cum excretione ſangvinis in eo, quod omiſſas vel Venæ Sectiones vel Scarificationes preſſo pede excipere ſoleat, & contra quod per tempeſtivas ſangvinis ſubtractiones præoccupetur: dum vero communiter ſubjecta quibus hic affectus evenit, de activiori temperamento & floridiori propterea ſangvine participant, ita ſub hiſce motibus congeſtoriis

ſtoriis contingunt ſeceſſiones ſeri tenuioris, acrioris, ſulphurei, orgaſtici, ad partes ſenſibiles, membranaceas, nervoſo-tendinoſas, quæ ab eodem offenſæ, non modo copioſiorem affluxum humorum & congeſtionis atque ſpasmodicorum concurſuum confirmationem, ſed & febrilis commotionis acceſſionem involvunt.

§. VII. Cum itaque hic affectus adeo ſenſibilis & mobilis exiſtat, facile in majores motuum gradus exardeſcere poteſt, ita ut vel in actuales Spaſmos vel completas inflammationes transformetur, in quales affectus per varia moralia & artificialia irritamenta transcendere ſolet, ſiquidem etiam inter alias cauſas, quæ hunc affectum provocant illæ maxime & eminenter ad uſum hiſtorico-pathologico-practicum conferendæ ſunt, quæ ad immoderatiorem ſangvinis commotionem contribuunt. Cæterum ex pathologia practica adhuc notari debet, quomodo interdum in febribus quibusdam, natura ſymptomatice Rhevmatiſmos tales formet, & per eosdem particulares tales decubitus aut metaſtaſes, cum molimine hæmorrhagicis cohærentes, efficiat.

CAPUT XXXVI.

DE

PECTORIS INFLAMMATIONIBUS.

§. I.

UTi in ſuperioribus tam capitis quam colli inflammatorios affectus explicavi, eorundemque connexionem cum Hæmorrhagiis demonſtravi, ita idem illud opus hoc loco acturus, quando in pectore unam & alteram inflammationis ſpeciem deſignare laboro, qualis *Pleuritis & Peripnevmonia* exiſtit, utpote qui affectus tam dignitate & gravitate ſua, ſeſe Hiſtoriæ medicæ admodum commendant, qui licet non alii quam inflammatorii exiſtant, tamen quoad partem quam occupant atque detinent differunt.

Conf. Stahlii Diſp. de Affectibus Pectoris.

§. II. Pleuritis quæ in frigidioribus climatibus infrequentius occurrit quam Peripnevmonia, eſt Inflammatio, quæ in muſculis intercoſtalibus ſub tunica pleura contingit, cum Peripnevmonia inflammationem in pulmonibus conſtituat & exhibeat, utraque vero inflammatio cum febre acuta eſt conjuncta, præcedente horripilatione & ſuperveniente atque continuante æſtu: & huic inflammatorio affectui maxime ſubjicitur junior ætas & illa quidem periodus, qua Hæmoptyſis contingere poſſet: non minus etiam corripit ſubjecta plethorica, frequentibus abundantis ſui ſangvinis impulſibus obnoxia, vel Narium Hæmorrhagiis olim adſve-

ſvefacta, vel in Hæmorrhagias adhuc proclivia & diverſis congeſtoriis commotionibus antehac obnoxia.

§. III. Differt Plevritis vera a ſpuria, per multiplices circumſtantias, ſiquidem hæc ſpaſmodicum, illa inflammatorium affectum conſtituit; prodit ſeſe inſuper vera Plevritis cum anguſtante oppreſſione pectoris, atque conatu aut propenſione ad tuſſiculoſam inſolitam commotionem: redditur reſpiratio difficilis, vires mox langvent & reliquæ functiones mutantur, alteratur pulſus, qui partim febrilis, partim durus, plenus & magnus occurrit, angit dolorifica punctura in affecto latere, caput una dolet, urina valde rutilat, vix vero notabile quid niſi tenuior ſpuma exſcreatur, qui affectus per ſeptem ad minimum dies, aut in decimum quartum diem continuat, & vel ſine aliqua ſingulari alia mutatione decurrit, niſi quarto die Urina coquatur, & ſucceſſivi ſudores poſtea continuent, ſi vero dolores punctorii laterales acerbius continuant, febris inſiſtit & ſymptomata augentur, tunc Empyema metuendum eſt.

§. IV. Eſt itaque *Empyema* apoſtema e Pleuritide natum, quod pus ſuum in pectoris cavitatem effudit, & quod ſub commotione corporis in pectore fluctuat: quo ſtatu præſente febris paulo remittit & lentum typum aſſumit, nec non dolores miteſcunt & reliqua ſymptomata minuuntur, attamen & febris & prædicta ſymptomata in moderato quodam gradu continuant: ſi itaque per thoracis paracentheſin pus e cavitate pectoris emittitur & abſceſſus commode repurgatur poſt aliquod tempus patiens reſtituitur: ſi vero purulenta hæc materia in pectore permanet, tunc eadem ſucceſſive corrumpere incipit, pulmones afficit, ſupervenit deinde hectica febris, phthiſis quin ipſa mors.

§. V. In Peripnevmonia præter commemoratas quasdam circumſtantias anxietas & reſpirandi difficultas eſt major, deficit vero dolor punctorius, in pulmonibus vero percipitur ſub reſpiratione gravis reniſus, & dolor pulſatilis atque lancinatorius paulo tamen obſcurior: facies rubet, oculi tument, lingva eſt arida, febris fervet, & ſi quarto die urina coquitur, tunc expectanda eſt ſeptimo die largior ſudatio, quæ nonnunquam exquiſite critica fit, interdum vero etiam hic affectus ſucceſſivis ſudoribus ſolvitur: aliquando vero quarto die ſub moderata tuſſicula ſalutaris expectoratio incipit, qua materia cruenta lateritii caloris, paululum ſpiſſior, ſucceſſive ejicitur, & ita immediate pulmones offenſi liberantur: ſi tempeſtive Narium Hæmorrhagia erumpit, ſalutare eſt, ſi vero delirium, vomitus & diarrhœa accidunt, aut convulſiones, non adeo boni ominis eſt ſtatus, melius etiam Peripnevmonia per prædictos effectus excurrit, quam ſi in ſuppuratorium eventum definit, ubi patientes vel ante ſuppurationem, vel ſub illa pereunt, vel ſi pus gentium eſt, & tandum e pulmonibus erumpit, repentinam ſuffocationem indu-

inducit, vel si denique commode evacuatum est, in pulmonibus ulcus post se relinquit atque phthisin & futuram hecticam infert.

§. VI. Hæ inflammationes pectoris, quarum potiores circumstantias, ex Historia practica petitas, hactenus commemoravi, præsupponunt vel magnam & difficilem sangvinis stagnationem, vel actualem stasin, quæ oritur vel ex prægressa impetuosa congestione sangvinis intra pectus directa, vel ex repentina rigida constrictione in pectore causata, ob quam repente sangvis incarceratus est, siquidem repentinæ refrigerationes intra pectus admissæ, sive ex veloci tempestatis mutatione, (quando post serenitatem & qualemcunque externum calorem horrida & frigida tempestas ingruit) sive a refrigerantium improvida ingestione, commissæ, similem occlusionem sangvinis in pectore causantur.

§. VII. Quod vero congestiones illas attinet, tunc earundem scopus alius esse vix deprehenditur, quam ut abundans sangvis e pectore expellatur, quo minus vero regulariter & exquisite ad locum excretionis applicantur & concentrantur, eo facilius sub reliqua evagatione, loco actualis perruptionis, per accidens tam suspecta stagnatio aut stasis sangvinis generatur, quæ sibi relicta, ne in nobilibus ejusmodi regionibus lethalem corrupionem inferat, per inflammatoriam commotionem afficitur, mediante qua illius resolutio & discussio, vel hac difficilius succedente, suppuratio, adeoque putridæ corruptionis præoccupatio, urgetur.

§. VIII. Quo magis ardua est talis inflammatio, eo certius & facilius febris, & quidem acuta, supervenit, quæ tenorem inflammationis suffulcit ejusdemque salutarem effectum promovet, e quibus motibus tum inflammatoriis tum febrilibus, non modo æstus & ardor in humoribus & reliquo corpore oritur, sed & sub eodem tenuior Lympha, quæ nimium calorem non bene perfert, spissior evadit, unde sangvis qui in hisce affectibus educitur, in superficie, lentescentem talem, e lympha & reliquo muco spissiori genitam cuticulam, concipit.

§. IX. Discussionis effectum, in affectis locis expectandum promovet operosa illa & anhelosa pectoris commotio, sub respiratione contingens, per quam successive stasis resorbetur, quæ in Peripneumonia efficacius absersa, una cum lympha illa spissiuscula largius ad pulmones confluente, tempestive & tali quidem tempore, quod ordinibus naturæ, quos in acutis affectibus servat, congruit, per sputum quasi cruentum successive expectoratur, aut si hic effectus obtineri non potuit, introrsum facta stasseos resolutio, sub successiva resolutione & conversione sangvinis in serum cum sudore quodam sufficienti aut critico & largo, evacuatio, corpori proficua & superfluæ humorum quantitati respondens, administratur.

§. X.

§. X. Quod ſi vero primarius inflammationis effectus reſolutorius obtineri non potuit, ſecundarius tunc ſuppurationis a natura urgetur, qui in Pleuritide Empyema conſtituit, quo præſente, motus reliqui tum inflammatorii tum febriles in tantum remittunt, in quantum acquiſito hoc fine, non amplius tanto fervore opus eſt, quia putrida corruptio non amplius imminet, hinc impoſterum modo artificis auxilium neceſſarium eſt, quo pus extrahatur: quando vero in pulmonibus tale apoſtema genitum eſt, tunc ob difficultatem neceſſariæ mundificationis & tempeſtivæ conſolidationis, facile ulcus & tandem Phthiſis & Hectica accidunt; ſi de reliquo hi affectus incongrue oriuntur, adeoque adultiora & ſenilia ſubjecta corripiunt, tunc periculoſiores, quam vulgo ſolent, exiſtunt.

CAPUT XXXVII.

DE

ASTHMATE.

§. I.

PEctoris affectibus annumero Aſthma, qui morbus in genere impeditam difficilem, angentem, urgentem & anheloſam reſpirationem denotat, & qui pectoris affectus diverſis ætatibus accidit & ex variis cauſis oritur, ſicuti & infantilis & puerilis ætas, e mala conformatione pectoris, e gibboſitate, e retropulſione achorum, ſcabiei, variolarum &c. hunc morbum experitur, de reliquo vero & juvenilis & virilis & ſenilis ætas, aſthmate diverſæ ſpeciei corripitur.

Conf. Stahlii Diſp. de Affectibus pectoris.

§. II. Diagnoſis præſentis affectus non eſt difficilis: diſtingvitur vero *Aſthma* in *Humoroſum* quando videlicet ſub illo humida pectoris oppletio percipitur, quæ per exſcreationem & expectorationem humidam ventilatur, quali Aſthmate communiter corripiuntur homines, adultiores humidioris, inprimis phlegmatici conjuncti, temperamenti, ſub quo aſthmate vero ita affecti & viribus & firmitate corpotis decreſcunt; ſubinde diverſis aliis catarrhalibus pathematibus exponuntur, dum interea alvus magis magisque exſiccatur & reliquæ functiones vitales pervertuntur: quin evenit denique, ut homines hoc affectu diu afflicti vel denique ſuffocativo pectorali morbo vel phthiſico aut hectico affectu pereant.

§. III. Aliud *Aſthma* eſt *Siccum*, ſub quo neque humidus ſcreatus in pectore deprehenditur, neque humidum quid unquam ejicitur, interim reſpiratio valde opprimitur & anguſtatur & inſpiratio cum ſibilo & ſonoro ſtridore atque roncho ſuccedit: quale aſthma citius invadit & increbeſcit, quando prægreſſæ

ſalutares Hæmorrhagiæ, velut Menſes aut Hæmorrhoides opprimuntur, vel uſitati pectoris affectus congeſtorii & tuſſiculoſi male tractantur & obruuntur: interea & hoc aſthma futuris periculoſis eventibus & actualibus vel ſcirrhoſis vel ulceroſis pulmonum depravationibus anſam præbere ſolet.

§. IV. Datur etiam *Aſthma Spaſticum*, quod vulgo *Convulſivum* vocatur, quale obtingit ſubjectis adhuc qualitercunque vegetis & quod per intervalla aut paroxyſmos quaſi corripit & recurrit, licet antea ſubjecta talia aliquam pectoris anguſtiam experiantur: hoc infrequentius aſthma repente invadit & maxime reſpirationis potentiam intercipit & cum tali ſuſpecto incommodo per unum & alterum diem perſiſtit, quid quod in junioribus ſubjectis febriles commotiones, ſed non perfecte typicas, involvit, cum tempore vero, & in ſenioribus ſubjectis in affectus ſuffocativos catarrhales, paralyticos, hemiplecticos, aut plane apoplecticos deſinit: interea hoc aſthma homines præcipitis & contumacis indolis afficit, & cum magna anguſtia absque tamen humida pectoris oppletione detinet, iterumque poſt aliquam moram ceſſat.

Conf. Stahlii Diſp. de Spasmis.

§. V. Cauſæ aſthmatis ſunt multiplices, inter illas vero familiares & notatu dignæ ſunt illæ, quæ conſiſtunt in commotione translatoria & congeſtoria ſangvinis ad pectus, per quam alibi impedita ſangvinis evacuatio, in hoc loco urgetur, ſub quo vel majori pectoris infarctu vel in confiniis pectoris commiſſa ſtrictura contumacius perſiſtente, difficilis illa pulmonum & pectoris expanſio & extenſio oritur, ſicuti molimina hæmoptyica vel inſolentiora vel qualitercunque perturbata, vel Menſes turbati & hæmorrhoides ſuppreſſæ, aſthma tale poſt ſe trahere conſpiciuntur: qui motus ad pectus tranſcendentes, quo magis vel a morali vel materiali vel artificiali cauſa exacerbantur, eo magis in exceſſivum illum ſpaſticum affectum degenerant, aut ſi ſubjecta unà humidiora fuerint, cum tempore humidas feceſſiones intra pectus inferunt, & continuante illa reſtrictione congeſtoria, humoroſum aſthma efficiunt.

§. VI. Deinde ejusmodi ſtricturæ in muſculoſis pectoris partibus, ad aſthma conſtituendum concurrentes, interdum illum ſcopum habent, quo materiarum impuriorum & valde fermentativarum retroceſſionem ad pectus & nobilem hanc regionem intercipiant, ſicut a ſcabie, achoribus & ulceribus retropulſis tale quicquam contingere ſolet, quanquam interdum incautius exſiccatis & conſolidatis ulceribus, diu in externo corpore geſtatis, repentinæ tales reſtrictiones ſpaſticæ ad pectus ſuperveniunt.

§. VII. Ita etiam mala pectoris conformatio, debitum motum expanſorium illius admodum aggravat & ſicuti ad motum pectoris rite adminiſtrandum partium nervoſarum debita tenſio requiritur, ita relaxatis nervis aſthmaticus talis

ſtatus

ſtatus accidit; & cum nervis maxime inimici ſint halitus mercuriales, arſenicales, ſaturnini, ſubtiles orgaſtici, ita aſthma ex ejusmodi tractationibus & laboribus oritur, ex quibus halitus tales expectandi ſunt, aut exſpirant.

§. VIII. Non minus ad Aſthmatis geneſin pertinet etiam, ſi ſub frequentibus & diuturnis congeſtionibus pectoris aut oppletione pulmonum mucida & tuſſiculoſa commotione ordinaria membranaceæ texturæ pulmonum tenſio relaxatur, ut præſente tali flacciditate, hinc inde in pulmonum regione, frequens & conſtans humorum feceſſio & oppletio oriatur, quæ ad futurum illum pectoris anheloſum affectum contribuit: ſi de reliquo tuſſis humida perperam curatur, tunc concurrentibus ſtricturis in pectoris confiniis aſthma illud humidum ex hac etiam cauſa ortum trahit: quo adhuc annumero, quomodo retropulſa œdemata ob ſimilem reſtrictionem repentinam ſpaſticam ad pectus directam, hydrops aſcites, ſcirrhus hepatis, ob diaphragmatis aggravationem, nec non ſcirrhus pulmonum & concretio pulmonum cum pleura, ad aſthma excitandum, juxta Hiſtoriæ practicæ teſtimonium ſæpe & evidenter contribuant.

CAPUT XXXVIII.

DE

TUSSI.

§. I.

INvitat me præcedens tractatio ad conſiderationem & explicationem Tuſſis, utpote qui affectus ſimiliter per diverſas ſpecies ſatis frequens eſt, cujus diſcreta Genealogia, pro ſcopo medico practico curatius commendari debet; eſt vero Tuſſis alia *Humida*, alia *Sicca*, alia *Ferina* ſive *Rheumatica*, alia *Hypochondiaca* & alia denique *Stomachalis*.

Conf. Stahlii Diſp. de Affectibus Pectoris.

§. II. Priores tres ſpecies junioribus magis ætatibus, poſteriores binæ adultioribus familiares eſſe deprehenduntur, quamquam etiam ſenes humida tuſſi affligi conſpiciantur: affectus in ſe ſpectatus quoad diagnoſin ſuam non eſt intricatus, attamen circa Rheumaticam tuſſin notari debet, quod ſit admodum impetuoſa, ſub qua vel nihil vel parum e pectore ejicitur, niſi pauca tenuis & valde ſalſuginoſa materia: Hypochondriaca tuſſis eſt ſicca & magis affligit & concutit regionem Iliorum & propterea dolores gravativos & conſentientes ſpaſticos in illa regione una infert: Stomachalis denique itidem ſubſpuriis coſtis maxime urgetur, ſed ſubinde ſicca eſt, niſi cum tempore tuſſin pectoralem in conſenſum trahat: alias hæc Stomachalis facile exacerbatur ab incongruis comeſtis

meſtis alimentis vel potulentis, quæ tam diu poſtea continuat, donec hæc ingeſta per Vomitum denuo evacuata fuerunt.

§. III. Cum Humida Tuſſis imprimis concernat oppletionem pulmonum mucidam, quæ hanc motu pectoris ſuccutiente vel antea mobilem & volubilem reddit, vel poſtmodum ſucceſſive imminuit & excutit, ita antea duplex hæc formalis conſideratio notanda eſt, primo quod tuſſis ſit propter hanc materiam mucidam a natura ſuſcepta, quo excernatur, & non ab ipſa materia illa mucida provocata, cui gratis in hoc ſtatu vulgo imputatur vellicans & ſtimulans efficacia: ſecundo inquirendum eſt, unde hæc mucida materia intra pulmones transferatur; ubi iterum vulgatam illam opinionem intercipio, quaſi fortuito per motum obſtructionis hic mucus in pulmonibus colligatur.

§I IV. Quando vero ſangvis cum multa tali mucida materia, ſecundum diverſitatem Temperamentorum & temporum remixtus, ad & intra pectus largius congeritur, non raro ſub longe alia intentione, quam mucum e pulmonibus excutiente, quin potius ſub molimine ſangvinem interdum nimium & moleſtum exinde eliminante, ita ſub congeſtoriæ hujus commotionis duratione, ſucceſſive mucida ſubſtantia intra pulmones ſecedit & effectus atque eventus redditur ſeroſus, cum intentio prima magis ſangvinis excretionem pro objecto habuerit, & ita æque Tuſſis humida, cum motibus & apparatibus hæmoptyicis conſpirat, ac Coryza, Phlegmatorrhagia &c. cum Narium Hæmorrhagiis.

§. V. Hanc mucidam ſeceſſionem intra pulmones tanto magis facilitant & augent medicationes illæ per expectorantia & emollientia, quæ muciditatem in humoribus augendo & una pectus relaxando ſeducunt naturam, quo copioſius pectus obruat, cum tali catarrhali oppletione, dum conſtantius eo congeſtiones dirigit, unde tandem tota rei facies ita mutatur, ut vel talis ſeparatio muciditatis intra pectus, in habitum degeneret & prima intentio & contentio excernendi ſangvinem, mutetur in hunc ſecundarium ſcopum, qui primam ſuam occaſionem ex accidentali effectu & eventu ſuſcepit, vel ab aliis locis muci excretioni in ordinario vitalitatis ſtatu deſtinatis, ad pectus hæc ſequeſtratio dirigatur, & proinde communiter alvus ſiccior reddatur, quo magis humida hæc expectoratio ſuccedit.

§. VI. Sicuti vero talis tuſſis facile in habitum degenerare ſolet, ita a phthiſi & phthiſeos tuſſi prudenter diſcernenda eſt, quoniam in hiſce circumſtantiis, plus quam frequenter, magna confuſio occurrit, & negandum quidem non ſit, quomodo oppleto valde pectore & magis magisque relaxatis pulmonibus, tandem ſcirrhoſus quidam infarctus, in pulmonibus oriatur, cui actualis corruptio quin denique hectica ſupervenit, qui cum tempore in funeſtum plane eventum definit.

§. VII.

§. VII. Non minus etiam in ſubjectis humidis ad hanc mucidam feceſſionem, præter hactenus accuſatam congeſtionem ſangvinis diſponit, impedimentum illud per ejusmodi cauſas, pectori illatum, quæ ſtricturam aliquam in confiniis pectoris excitant, adeoque legitimum & proportionatum refluxum humorum retardant, ut interea intra pulmones catarrhalis hæc ſequeſtratio contingat, ſicuti refrigerationes internæ vel externæ ad pectus admiſſæ, id cauſari ſolent, ut aliarum cauſarum, quæ tamen ad præcedentes commode referri poſſunt, latiori deductione non reminiſcar: hoc loco adhuc iterato memoriam injicio illarum perturbatarum & ſeductarum congeſtionum ſangvinearum, pectus occupantium, quæ e Menſium & Hæmorrhoidum vitiis ortum trahunt.

§. VIII. Infantum humida tuſſis æque extra ordinem aucta commotione & congeſtione humorum ad ſuperiores corporis regiones nititur, ad quas vel dentitiones vel ulcerationes capitis occaſionem ſuppeditant, quæ congeſtio & mucida feceſſio ita ſæpe inſoleſcit, ut nimium pectus obruatur & oppleatur, adeoque ad ſuffocativos eventus exinde anſa præbeatur.

§. IX. Quando in ſubjectis floridioris habitus, exigua attamen ſeroſa tenuis & acris feceſſio, ſub præ- & concurrentibus congeſtionibus & rhevmatismis intra pulmones contingit, tunc omnino acris talis & tenuis materia teneram & nervoſam pulmonum texturam graviter afficit, pro qua maxime adverſa materia tempeſtive & efficaciter removenda, omnis vis, vigor & impetus adhibetur, ut ita tuſſis vehemens & effera reddatur, attamen pauca materia, quæ ob tenuitatem ſuam motibus illis impetuoſis non facile obtemperat, excernatur.

§. X. Ad ſiccam tuſſin contribuunt ſcirrhi pulmonum, dislocatio & mala pectoris conformatio, nec non ſimplicior & mitior congeſtio ſangvinea ad pectus facta, aut per frigidæ auræ inſpirationem aut potus frigidi aſſumtionem excitata adverſa ſtrictura circa pulmones, vel retropreſſa quædam exanthemata & ulcuſcula: quibus ſingulis accidentalibus & ſiniſtris cauſis, hic motus pectoris opponitur, quo partim adverſæ ſtricturæ & offenſiones, denuo removeantur, aut futuræ invaſiones pectoris a noxiis cauſis præoccupentur.

§. XI. Et quando in hypochondriorum viſceribus aliqua labes, imprimis infarctus & induratio oritur, tunc ſatis ſæpe conjungitur tuſſiculoſa Iliorum commotio, quæ haud turbulenta eſt, neque ſtimulato generi nervoſo imputanda, ſed ut ſuccuſſatoria commotio præſenti labi proportionata eſt, dum ſub tali motu præſentis infarctus aut difficilis humorum progreſſus liberatio, ſalutari ſcopo, a natura intenditur.

§. XII. Quando denique in ſubjectis ſenioribus, quibus febricitare ob activitatis decrementum non facile familiare eſt, in ventriculo multæ impuritates, imprimis mucidæ & aceſcentes generantur, tunc ſuperveniens tuſſis ſtomachalis ad

ſaburræ præſentis reſolutionem, abſterſionem & emotionem directa eſt, unde ejusmodi ſubjecta facilius ad Vomitus urgentur, tanto magis vero ſi ejusmodi cauſa accidit, quæ hanc ſaburram commovet, hinc poſt ingeſta alimenta ſæpius hic Vomitus erumpit, præcurrente & concurrente imprimis hac tuſſi Stomachali; unde etiam evenit, ut ſi vel aſſumta alimenta vel aliquid hujus aceſcentis ſaburræ evacuatum eſt, tuſſis hæc impoſterum paululum acquieſcat, quippe quæ conſideratio, multum valet in uſu practico, ne in pectore fomes mali inquiratur, qui tamen in ſtomacho hæret, quanquam interdum, ſed non niſi per accidens, cum hypochondriaca & ſtomachali tuſſi, etiam pectoralis concurrat.

CAPUT XXXIX.

DE

HYDROPE PECTORIS.

§. I.

AD potiores & in Pathologia medica ſeorſim tractandos pectoris affectus denique refero Hydropem Pectoris, qui morbus quanquam rarior, neque ita facile ſolitarius exiſtat, tamen in ſimplici ſuo ſtatu explicandus eſt, quanquam cæteroquin cum aliis maxime hydropicis affectibus plurimum combinetur, (quoties videlicet hic pectoris hydrops occurrit) ut adeo illius ortus ad certam ætatem tam exquiſite adſtringi non queat, interea vero paulo adultioribus ſubjectis eveniſſe ex anatomia practica innotuit.

Conf. Stahlii diſp. de Affectibus Pectoris.

§. II. Diagnoſtica ſigna præſentis affectus ſunt admodum intricata, obſcura & communia, ſiquidem ipſi veteres medici, quando hujus hydropici affectus memoriam faciunt, talia de eodem ſigna proferunt, quæ aliis hydropicis affectibus obtingere ſolent: ante omnia vero provide circa reliqua ſigna explorandum eſt, an ſontici & diuturni pectoris affectus præcurrerint, ubi poſtea difficilis reſpiratio & interdum ſuffocationis metus, propenſio in Lipothymiam, contabeſcentia corporis, intercurrens febrilis arida commotio, hectica, tuſſicula ſiccior & anheloſa, fluctuans in pectore humiditas & reliquarum functionum vitalium & animalium jactura concurrit, miſſis pluribus cum hoc affectu coincidentibus ſymptomatibus.

§. III. Et quanquam hic ſonticus affectus interdum prægreſſos graves aut ſe ipſos corrumpentes, aut per alios corruptos, pectoris affectus inſequutus ſit, tamen experientia & hiſtoria anatomica docuit, quomodo cum Aſcite Hydrope hic affectus concurrerit, unde hunc Pectoris Hydropem ſimiliter a diſruptis lymphaticis vaſis pulmonum dependere conſtat, quæ ex prægreſſis morbis pectoris aſthmaticis & tuſſiculoſis corruptis, aut per ſiniſtras medicationes perturbatis

batis & offenſis, talem læſionem ſubierunt, ubi adhuc memori mente tenendum eſt, quod ſimplicior quædam pectoris commotio tuſſiculoſa, hunc affectum non ita facile provocet, alias frequentior eſſe, quam quidem ſolet, deprehenderetur: attamen præter ſingulares & plus quam communes pectoris alterationes & offenſiones adhuc concurrens humorum alteratio, ſpiſſitudo & inprimis Lymphæ craſſities ad hunc affectum formandum contribuit: quo præter prædictas cauſas adhuc incongruum travmaticorum expectorantium remediorum uſum annumero.

CAPUT XL.

DE

HYPOCHONDRIACO HYSTERICO MALO.

§. I.

POſteaquam hactenus molimina hæmorrhagica, ad pectoris regionem pertinentia, humorumque connexionem & conſpirationem per diverſos affectus expoſuerim, jam placet ductum naturæ ſequi, & illa molimina quæ ad abdominis regionem pertinent, evolvere atque exponere, inter hæc vero primum quaſi locum occupat, cognitus ille affectus qui in maſculino ſexu Hypochondriacus, in ſequiori vero Hyſtericus appellari ſvevit, & vulgo etiam frequenter accuſari ſolet; licet non raro etiam abuſive.

Conf. Stahlii Diſp. de Hypochondriaco Hyſterico malo.

§. II. Hypochondriacus dicitur eo quod ſub coſtis ſpuriis in regione hypochondriorum ſub ſcrobiculo cordis præcipuam ſuam ſedem habet; hyſtericus vero vocatur, quia præter reliqua ſua ardua pathemata, etiam uterum in conſenſum trahit: quanquam primus inter alios Highmorus nec non Williſius hoc Hyſtericum malum Hypochondriacæ indolis eſſe indicaverint, & poſterior quidem accurrate ſatis ſignificaverit, quod verus affectuum horum character in ſpaſmis conſiſtat.

§. III. Et quanquam Hypochondriacus affectus antiquioribus medicis parum innotuit, licet alia morborum ſchemata inter illos occurrerint, quæ ratione pathematum quorundam cum hypochondriaco morbo convenire poſſent, tamen inter poſteros hoc malum magis magisque innotuit & a Senerto, Conringio, Highmoro & Martino commendatum proſtat, ut propterea interſit, tam implicati, & quoad pathemata multiplicati affectus, veram indolem denotare.

§. IV. Exſerit ſeſe hic morbus variis phænomenis, imprimis vero in hypochondriorum regione orientibus, quorum primaria ſunt, anguſtatio, tenſio,

preſſio, conſtrictio, tum in dextro tum in ſiniſtro hypochondrio, concurrit reſpirationis difficultas, Vertigo, dolor in occipite contuſorius & premens imo ad auctam corporis commotionem, pulſatilis, angunt ructus & ſub jejunio frequens præcordiorum mollities aut propenſio in Lipothymias, appetitus eſt vagus, ad potum vero ſegnis & parcus, alvus eſt ſiccior & ſegnior, intercurrit frequens flatulentia, nec non nauſea & conatus vomendi, in fœminis imprimis hæc præcordiorum anguſtia multum urget & vomibunda commotio frequentius angit: inflatur in quibusdam cum multiplici dolore ſiniſtrum hypochondrium, quidam patientes in dextro pulſatiles dolores experiuntur: affligit quandoque colica paſſio, nonnunquam phlogoſes intercurrunt, non raro etiam palpitatio cordis conjungitur.

§. V. In Fœminis ſtricturæ, ſpasmi, tormina, in abdomine ſunt valde communia & longe acerbiora quam in maſculis, ita ut in ſuccuſſatorias & ſemi convulſivas commotiones transeant; alvus eſt valde ſtricta & metus ſuffocationis aliquando obruit: in maſculis annoſioribus coincidunt hæmorrhoidalia molimina, ſiquidem legitime erumpentes Hæmorrhoides affectui hypochondriaco non exiguam medicinam conſtituunt; proinde hic affectus hypochondriacus junioribus ſubjectis inter vigeſimum & trigeſimum annum comprehenſis, Hyſtericum vero malum, fœminis adultioribus Menſium defectu & vitio laborantibus, niſi hæreditaria diſpoſitio intercurrat, obtingit.

Conf. Diſp. mea de Hæmorrhoidibus medicina hypochondriacorum.

§. VI. Imprimis vero hic morbus corripit juvenes plethoricos, Narium Hæmorrhagiis antehac obnoxios, aut nunc per ætatem in Hæmorrhoidalia molimina propendentes; nec non afficit ſubjecta temperamenti ſangvineo-melancholici, in ſedentaria vita conſtituta, quæ vel multum edunt & parum bibunt, vel ſimul duriori diætæ addicta ſunt; quid quod illis demum hypochondriacum hoc malum accidit, quæ Hæmorrhoidum ſuppreſſiones ſubiere; ſicuti fœminæ, quibus improvide albus fluor cohibitus eſt, in pathemata talia hyſterica incidunt.

§. VII. Quando hoc malum magis perturbatur & obruitur, deſinit in affectus ſcirrhoſos, hecticos, ictericos, aſciticos, ſuſpecte colicos, iliacos aut podagricos, iſchiadicos, nephriticos, vertiginoſos, ſpleneticos, ſuffocativos, paralyticos, quin plane apoplecticos; in fœminis vero tranſit in Vomitum Cruentum, ſi paululum activiores fuerint, in hecticam.

§. VIII. Partes quæ in hiſce affectibus maxime affliguntur, ſunt imprimis Vena Portæ, quæ propterea Porta Malorum dici poteſt, deinde connexæ partes, ut Ventriculus, totus inteſtinorum tractus, Meſenterium, Hepar, Lien, porro Uterus & Diaphragma, quæ partes ſingulæ & per eſſentiam quaſi in hoc affectu compatiuntur; deinde vero per accidens in conſenſum trahuntur Pectus, Caput, & interdum etiam aliæ corporis extremitates.

§. IX.

§. IX. Circa ætiologiam præsentis mali absit a me quam longissime, ut acidum quoddam hypochondriacum juxta famigeratam traditionem supponam, aut cum plebe & fœminis flatulentiam & atoniam imprimis Ventriculi pro summa causa agnoscam; quin rectius affirmo, quod primario hoc malum cum spasmis absolvatur, qui in abdomine & hypochondriorum regione suum vigorem exserunt.

Conf. Disp. mea de Therapia Passionis hypochondriacæ.

§. X. Causa materialis itaque hujus mali est plenitudo & spissitudo sangvinis, quæ Venæ Portæ & connexis Visceribus multum metum proximius imminentis stagnationis aut stasεos incutit, ne vero tale malum admittatur, præmature salutari naturæ conamine cum spasmis hæ regiones afficiuntur & constringuntur, ut ita sangvis transprimatur, siquidem justus ille horum spasmorum scopus est, quo sangvis turgidior & spissior per has partes promoveatur, aut etiam e congruis locis emoveatur, quod ultimum natura in Virili sexu per Hæmorrhoides, in sequiori vero per Vomitum cruentem perficere laborat, unde etiam vicissim vel moliminum hæmorrhoidalium vel fluxus hæmorrhoidalis perturbatio, vel Mensium defectus hoc malum provocare possunt.

§. XI. Cum hisce spasmodicis motibus reliqua cohærent hujus affectus symptomata torminosa, strictoria, pulsatilia, nec non humorum variæ restagnationes, regurgitationes aut partium inflationes, oppletiones, indurationes, & si interdum tonus necessarius aliis abdominis regionibus, in majori gradu applicandis, nunc in intestinis aliquo modo amittitur, molestæ flatulentiæ excipiunt; sicuti sub ejusmodi scena motuum auctorum & per diversas partes mutatorum se- & excretiones non tam æqualiter succedunt, quin interdum loca excretoria magis constringantur & cum tempore denique, sed per accidens, impuritates acescentes generentur, quæ tamen minime ad essentiam affectus spectant, quid quod tunc ad accidentia magis referri merentur, quando in diversis subjectis ob vitiosam diætam per initia Vomitus acidi occurrunt.

§. XII. In fœminis vero singula hæc pathemata sunt acerbiora, quoniam eædem partim ad ordinarias sangvinis Ventilationes magis adsvetæ sunt, partim etiam tenacioris & immoderatioris indolis existunt, unde in iisdem natura hanc promotionem & emotionem sangvinis tam impetuose & excessive prosequitur, & illam maxime partem cum spasmodicis commotionibus afficit atque in consensum trahit, e qua parte olim ordinarias & salutares sangvinis ventilationes administrare svevit; unde etiam vulgus in masculis acerbiores affectus hypochondriacos, hysterici mali nomine denotare solet; & quando per spasmos, in hypochondriaco affectu exerceri solitos, qualitercunque turbatos, hi scopi primarii vel promovendi sangvinis per Venam Portæ ejusque

viscera conjuncta, vel emotionis illius haud obtinetur, tunc hisce visceribus prædicta pathemata accidunt, quæ vel impeditum progressum sangvinis per illa, vel turbatam secretionem cum iisdem præstandam, pro fundamento habent.

§. XIII. Quando affectus Hypochondriacus cum tempore magis augescit, confirmatur & exacerbatur, tunc eo magis sangvis in stagnationes, incarcerationes atque stases propendet, eoque citius periculum cruentæ mortis imminet: ex quo etiam contingit, ut animus in moralibus perturbetur, & deliria melancholica interdum superveniant, quæ similiter in metu occlusionis, incarcerationis & cruentæ mortis consistunt.

CAPUT XLI.

DE

MALO SPLENETICO.

§. I.

CUm Affectu Hypochondriaco non exiguam affinitatem habet Malum Spleneticum: quod licet præcipue Lienem frequentioribus suis cruciatibus detineat, attamen alia adhuc pathemata, quæ Hypochondriaco affectui essentialia & familiaria sunt, in consensum trahit, quemadmodum vicissim hypochondriacum malum spleneticos dolores in reliqua sua tragædia producit.

§. II. Propterea in hoc affectu Splen maxime laborat, & quidem doloribus tensoriis, strictoriis, molestiis inflationis & valde angustantis turgescentiæ, imo suspectæ duritiei, quæ quidem per vices iterum remittunt, sed denuo etiam recurrunt; proinde affligunt frequentes angustationes & quidem Cardialgiæ cum metu Lipothymiæ, conatus vomendi, appetitus dejectiones, torminosæ strictura sub scrobiculo cordis, alvi rigidiores obstructiones, somni perturbationes & terrifica insomnia, volatici ardores, virium dejectiones per intervalla alternantes, phanthasiæ melancholicæ, quin accidunt non raro molimina hæmorrhoidalia tensoria, lancinatoria, pressoria, strictoria, per longitudinem dorsi in regionem coxendicum sese dimittentia.

§. III. Palmaria hujus mali pathemata, nituntur spastica strictura, quæ in illa mesenterii regione exercetur, ubi venæ splenicæ truncus sese in Venam Portæ dimittit, unde sub spasmodica hac commotione, sangvis ex splene affluus regurgitat in hoc viscus & prædictos dolores in eodem causatur, una cum occurrente inturgescentia & duritie, siquidem illud imprimis peculiarem annotationem meretur, quomodo nimirum molimina hæmorrhoidalia, cum affectu

ctu ſplenetico concurrere ſoleant, quando ramus hæmorrhoidalis internus vel in Venam ſplenicam immediate ſe immergit, vel cum illa uno veluti oſtio in Venam Portæ ſe immittit, exinde contingit, ut ſi ſpaſmodica talis conſtrictio in illo loco ubi hæ Venæ truncum Venæ Portæ ingrediuntur, intenditur, motus ſangvinis tum e locis hæmorrhoidalibus tum e ſplene affluus in libero & prompto ſuo progreſſu impediatur, ut adeo ſimul in utraque loca redundantia & congeſtio ſangvinis contingat, ſub quibus natura non raro poſitivam excretionem tam hæmorrhoidalem, quam per Vomitum cruentum urget.

§. IV. Cauſæ vero quæ ad ſpleneticum malum contribuunt eædem ſunt quæ in Hypochondriaco affectu commemoratæ proſtant, ſiquidem pro fundamento illius vitium quantitatis & qualitatis ſangvinis, nimirum plenitudo & ſpiſſitudo hujus, ſtat, unde per ſpaſmodicas commotiones ſtaſeos præoccupatio, progreſſus liberioris promotio, ſpiſſioris qualitatis attenuatio, & ſuperfluæ quantitatis emotio ſalutari plane intentione a natura urgetur, qui motus horumque effectus, ſi in prædicta Venæ ſplenicæ confinia diriguntur, hunc ſpleneticum affectum poſt ſe trahunt, licet interdum ſuperflui & moleſti ſangvinis depletionem e ſuperiori regione per Ventriculum natura urgeat, ut ita ſpleneticum hoc malum paulo preſſius cum Vomitu cruento conſentiat.

§. V. Dum vero Spleu a ſangvine reſtagnante & impeditius in Venam Portæ profluente, magis magisque oppletur & inturgeſcit, non modo Ventriculum incumbentem ſed & diaphragma aggravat & ad anguſtatorias ſenſationes & moleſtias diſponit, ut eo magis metus incarcerationis ſangvinis & futuræ corruptionis aut cruentæ mortis immineat, ob quem miſerum & valde ſuſpectum corporis ſtatum, anima in moralibus ſuis functionibus admodum perturbatur & tales phanthaſias formet atque fingit, quæ cum hoc præſenti corporis ſtatu conveniunt, ſicut pluribus de hac conſideratione differendum erit, quando animi morbos inferius exponam.

CAPUT XLII.

DE

FLUXU HEPATICO.

§. I.

Licet hic affectus in frigidioribus nationibus rarius occurrat, illius tamen explicatio minime oblivioni tradenda eſt, quia cum moliminibus hæmorrhoidalibus æque ac præcedentes affectus, interdum reſpondet: & quanquam vulgo Hepatis læſæ qualitati retentrici, ex opinione antiquiorum medicorum

ad-

adſcribatur, proptereaque fluxus aut paſſivus lapſus ab hepate vel hepaticus dicatur, tamen verior illius indoles pro firmiori præſentis tractationis connexione ſignificanda erit.

§. II. Eſt vero hic affectus actualis excretio alvina, qua fluidior muciditas & humiditas cum ſangvine paululum tincta, loturam carnium referens, repetitis depoſitionibus & expreſſionibus moderatam quaſi diarrhoeam conſtituentibus dimittitur, & quidem cum motibus & doloribus tenſoriis, mediocriter torminoſis & interdum leviter lancinatoriis; præcurrit & concurrit diverſa moleſtia ſtrictoria, torminoſa & flatulenta in abdomine, nec non interdum dextri hypochondrii inflatio, durities, turgiditas & dolor anguſtatorius atque pulſatilis: conjungitur appetitus & virium dejectio, languor animi & corporis, perturbatus ordinariarum excretionum ſucceſſus, coloris naturalis mutatio, aridus æſtus, faucium ſiccitas &c.

§. III. Quod hic fluxus non ſimpliciter paſſivus ſit, teſtantur motus concurrentes in diverſis abdominis locis, ſpaſmodici & ex parte etiam torminoſi, unde certo reſpectu hic fluxus annumerari poteſt anomalicorum motuum & ſucceſſuum hæmorrhoidalium ſchematibus, dum congeſtiones ad loca hæmorrhoidalia directas, diffuſiores conſtituit, adeoque talem ſequeſtrationem mucidæ humiditatis, exiguam vero perruptionem oſtiolorum venoſorum hæmorrhoidalium infert; ut ita ultima excretio magis aquoſa ſit, minus vero ſangvinea; ad ejusmodi anomalias vero hæmorrhoidales contribuunt imprimus tales cauſæ, quæ immoderatum quendam impulſum conciliant, adeoque ob orgaſticam talem commotionem in ſangvine præſentem impediunt, quo minus directe & proxime ſangvis concentrari queat ut efficacem eruptionem ſortiatur: ob id partim hic fluxus in climatibus calidioribus familiarior eſt, nec non ex diæta ſpirituoſa, tenui, vinoſa & valde aromatica promovetur.

§. IV. Deinde ad hunc Fluxum Hepaticum diſponit, ſcirrhoſa hepatis conſtitutio, aut impeditus valde & alius quam vulgaris, aut ad communes hypochondriacos affectus concurſans progreſſus retardatus, per Venam Portæ, unde contingit ut ſangvis in hæmorrhoidalia vaſa reſtagnet, adeoque ſub reliquo inteſtinorum motu irregulariter perrumpat: atque in mucidam talem ſeceſſionem intra inteſtina tranſeat, licet ſub hac impeditiotis progreſſus ſangvinis facie atque redundantia ſangvinis intra tunicaceam texturam inteſtini recti, activi motus expreſſorii irregulariter ſpaſmodici, tali modo provocati, ſuperveniant atque inſufficientem & incongruam talem excretionem efficiant.

§. V. De reliquo vero hanc denuo accuſatam harmoniam motuum hæmorrhoidalium cum hoc affectu comprobant illæ transformationes affectuum ex ſiniſtra hujus fluxus tractatione prodeuntium, quales communiter non alii

ſunt,

ſunt, quam illi, qui ex hæmorrhoidibus magis perturbatis, aut plane ſuppreſſis oriuntur, ſicuti viciſſim ſimiles motus & apparatus cum hoc fluxu coincidunt, qui alias ad hæmorrhoidale negotium ſpectant.

CAPUT XLIII.

DE

HEPATIS ET LIENIS SCIRRHO.

§. I.

CUm Motus hæmorrhoidales diverſas abdominis partes communiter afficiunt, ita ſub hac connexione Scirrhi Hepatis & Lienis reminiſcor, qui communiter ex perturbatis motibus hæmorrhoidalibus & impeditis progreſſibus ſangvinis per hypochondria oritur, ſiquidem ad hoc impedimentum deinde multiplices cauſæ contribuunt: interea hic affectus omnino gravis & ominoſus eſt, quoniam in hiſce partibus ſangvineus quam pituitoſus ſive feroſus eſt.

§. II. Uterque Scirrhus prodit ſeſe tumore & duritie in hypochondriis, cum excretionum ordinariarum impeditis ſucceſſibus, appetitus gravi dejectione, magna cardialgia, conatibus vomibundis, reſpirationis difficultate, intercurrentibus ſtrictoriis, pulſatilibus & lancinatoriis doloribus in affectis locis: interea vires ſucceſſive magis magisque imminuuntur, habitus corporis redditur vel cachecticus vel hecticus, accidit tuſſis hypochondriaca, affligunt interdum interni ſuſpecti ardores, aut æſtus volatici, imminuitur urina & ſupervenit denique hectica febris, aut quando immoderatius talis affectus commovetur, interna inflammatoria commotio, cum acuta febre conjungitur, quid quod occurrunt aliquando ſuſpecti Vomitus & alvi fluxus.

§. III. Oritur talis ſcirrhus vel ex nimia hujus viſceris oppletione, cum ſangvine copioſius affluente, ut ſangvis ob impeditum progreſſum in ſtagnationem ruat, e qua ſubtilior aqvoſa portio diſcedens præoccupat, ne mox vel inflammatoria commotio vel actualis putrefactio ſuperveniat, unde ſangvis in tali parte indureſcit, ſed ſucceſſive continuante hoc impedito progreſſu in majorem ſtagnationem increbeſcit: vel oritur etiam ex activa ſpasmodica reſtrictione ſangvinis in has partes; quod præcipue contingit ſub hypochondriacis, hyſtericis & hæmorrhoidalibus morborum ſchematibus, dum natura in talium partium confiniis vicariam ſangvinis exonerationem intendit & urget.

§. IV. Quæcunque porro cauſæ vel ad progreſſum ſangvinis in hypochondriis impediendum, vel ad provocandas ſpasmodico-congeſtorias ſangvinis commotiones per hypochondria, in ſubjectis plethoricis & aptæ etiam ætatis

contribuunt, illæ etiam ad præsentem affectum disponunt, unde præmaturæ intermittentium febrium suppressiones, aut spontanearum diarrhœarum repentinæ cohibitiones, nec non liberales vel inopportuni adstringentium & refrigerantium usus interni, aut inconvenientes incrassantium ordinationes; deinde etiam Vomitoriorum usus perversi, maxime vero in hominibus plethoricis paululum adultis & spontaneis evacuationibus sangvineis adsvetis, ad hunc affectum contribuunt, sicuti experientia medica constans testis est.

§. V. Et si ad talem scirrhum, qui aliquandiu ab actuali putrefactoria commotione immunis est, (nisi ob organorum, quæ necessariis & salutaribus secretionibus & humorum depurationibus & attenuationibus inserviunt, oppilationem, excretoriæ vitales functiones graviter alterentur, ut proinde non modo corpus cum copiosa impuritate inquinetur, sed & humorum crasis atque reliqui habitus integritas admodum depravetur,) commotiones congestoriæ & impulsus sangvinis improvide excitantur, facile tunc vel actualis putredo vel maligna ulceratio oritur & totum reliquum morbi schema periculosum eventum sortitur.

CAPUT XLIV.

DE

COLICA HÆMORRHOIDALI.

§. I.

AD affectus illos, qui cum moliminibus hæmorrhoidalibus conspirant, adeoque in abdominis regione tragœdiam suam agunt, refero adhuc Hæmorrhoidalem Colicam, cujus in pathologia medica vel raro (facile dixerim nulla) vel obscura mentio injicitur; quoniam vero hæc Colica quoad totam suam faciem & medendi methodum a vulgari pituitosa, flatulenta & biliosa discrepat, ita eadem omnino meretur peculiarem considerationem.

§. II. Exserit sese hæc colica per motus valde atroces, contumaces & vehementes, adeoque gravitate communes colicos dolores superantes, torminosos constrictorios, angustatorios per inferiorem abdominis regionem truculentos hosce cruciatus sistentes, facile vero in hypochondria desultantes, in subjectis hæmorrhoidariis & sub reliquis circumstantiis ad hæmorrhoidalem historiam pertinentibus; siquidem ex suppressis, imminutis, perturbatis aut impeditius fluentibus Hæmorrhoidibus, eadem colica ortum trahit, & subinde cum aliis anomaliis hæmorrhoidalibus, concurrit; contra vero per justam Hæmorrhoidum promotionem non modo mitigatur, sed plane præoccupatur, uti vicissim per qualemcunque hujus fluxus ulteriorem offensionem, magis magisque exacerbatur, quin denique in periculosum inflammatorium eventum aliquando conjicitur:

tur: de reliquo contumaces alvi obſtructiones, ut & interni ardores & conatus vomibundi ſub hoc affectu angunt.

§. III. Eſt propterea hic affectus evagatio motus hæmorrhoidalis excedentis valde ſpaſmodici, qui remotius in inteſtinorum tractu, maxime inferiori, affligit, adeoque errorem naturæ in eo prodit, quod in incongruis locis & per inconvenientes admodumque immoderatos motuum gradus, hujus fluxus eruptionem urgeat; ad quam exorbitantem & exceſſivam ſpasmodico-torminoſam tragœdiam eadem interdum ſeducitur, per remedia carminativa aut purgantia, vel calida; quamquam aliæ difficultates, facilem Hæmorrhoidum perruptionem prementes, eo contribuere ſoleant, quo cum tanta ferocia atque tali exceſſu natura in diſſitis locis hunc fluxum acriter & contumaciter urgeat.

§. IV. Et cum hujus affectus facies in intenſiori ſpasmodica commotione conſiſtat, ita partim alvus rigide hoc tempore occluditur, dum in intimioribus inteſtinorum regionibus hic exitus inquiritur, partim etiam aliæ neceſſariæ excretiones intercipiuntur & debitus atque facilis tranſitus ſangvinis, per hypochondriorum loca impeditur, ut interea variæ reſtagnationes in alia viſcera contingant, quæ pathematum complicatio eo magis hanc colicam ab alia diſtingvit, nec non hujus hæmorrhoidalis colicæ acutam quaſi indolem magis prodit, ſiquidem jam ſuo tempore Hippocrates per ſangvineum illum volvulum ſive Ileum hæmatiten ſingularem hunc affectum expoſuit, quippe qui ob hanc hæmorrhoidalem communionem cum aliis anomalicis Hæmorrhoidum ſucceſſibus conſpirat.

SECTIO QUARTA.

DE MOTIBUS INFLAMMATORIIS HORUMQUE CONTRARIETATIBUS.

CAPUT I.

DE INFLAMMATIONE.

§. I.

EX ſingularibus affectibus & actibus naturæ, extra ordinem ſalutaribus, principalem commendationem porro meretur Inflammatio, utpote in ſe ſpectata, affectus acutus, per notabiles effectus decurrens, frequens cæteroquin & ſibi relictus, a febrili commotione adhuc diſcrepans, tamen motuum vitali-

um, maxime vero tonici motus, augmentum involvens, quod sub exquisito directorio stat atque active ad salutares fines collineat.

Conf. Stahlii Disp. de Inflammationis vera Pathologia.

§. II. Quando Historiam inflammationis simplicioris nosse lubet, sane in eandem facilius inclinant homines plethorici & qui commotionibus atque impulsibus abundantis sui sangvinis obnoxii sunt, tanto magis vero sangvineis evacuationibus ante hac adsveti fuerant, subinde de strictiori temperamento sive cholerico sive melancholico gaudent: in talibus vero inflammatio externas & internas partes occupat, licet interna periculosior existat & propter nobilitatem partium affectarum & defectum immediati artificiosi auxilii a natura febrili commotione urgeatur & suffulciatur.

§. III. Partes huic inflammationi subjectæ, sunt carnosæ, fibrosæ & sangvinis transitui alias dicatæ, in quibus illa ex exiguo tuberculo æstuante & cum tensorio dolore prædito, oritur, successive vero & quidem sine mora augescit tumor in notabilem magnitudinem, qui in affecta parte paulo latius se extendit, locus inflammatus valde ardet, rubet, durior redditur & doloribus tensoriis strictoriis, pulsatilibus, lancinatoriis atque punctoriis, corripitur, qui tam diu durant, donec post aliquot dies successive evanescant, & sine alio effectu, nisi hoc ipso primario & compendioso discussorio sive resolutorio excurrant, de quo dicunt, es hätte sich wieder verzogen und zertheilet, es wäre nicht zum Aufbrechen gekommen.

§. IV. Alter vero & secundarius inflammationis eventus est, quando sub augmento horum dolorum, maxime vero pulsatilis & lancinatorii, nec non sub evidenti præsentis inflammationis concentratione in unum tuberculum durum & valde rubens, Suppuratio sive actuale Apostema aut Abscessus purulentus oritur, qui sese in inflammata parte prodit, cum successiva remissione dolorum, ruboris & duritiei imminutione, mollitie in protuberantia illa, quam inflammatio constituit, ut & cum albicante flaccida prominentia, quæ vel sua sponte perrumpit, vel facile aperiri potest, unde postea pus tanquam materia spissior mucida, albicans & flavescens effluit aut exprimi potest, qui abscessus successive iterum repurgatur & concrescit; ex quo liquet, quomodo hic alter inflammationis exitus, plus laboris involvat, adeoque longius tempus ad decursum suum requirat.

Conf. Stahlii Disp. de Abscessu & Furunculo.

§. V. Est itaque Inflammatio actus naturæ salutaris & in tantum extraordinarius vitalis, quo imminens vel putrida corruptio, vel alia prava & quasi maligna ulceratio, laudabili conamine, præoccupatur, & quidem mediante motu vitali tonico, quo aliàs provida natura corporis sui integritati prospicit, & metuendas corruptiones intercipit: qui motus vero propterea in hoc opere & hac necessitate

ſitate augetur, quia tota rerum facies extraordinarium quendam ſtatum præſentat; quo ipſo adhuc vulgares & plebeios illos conceptus rejicio, quaſi actus inflammatorius nude paſſive contingat, & præſens obſtructio aut ſtaſis, talem infarctum & fortuitum ſalutarem effectum cauſetur, cum tamen maxima cum cura notari debeat, quomodo hic ſalutaris inflammationis exitus toti affectus ſchemati eſſentialis & non fortuitus & accidentalis exiſtat, ſicuti circa reliquam deductionem illi qui phyſicam, mechanicam & hydraulicam in communi ore tenent, leges mechanicas & hydraulicas admodum negligunt, adulterant, confundunt & præterеunt.

§. VI. Dum vero Inflammatio actus ſalutaris eſt, propterea opponitur præſenti alicui vel actuali ſtaſi, vel ſuſpectæ & magnæ ſtagnationi ſangvinis paulo profundius hærenti, quæ ſi ſibi relinquitur, proxime in putredinem ruit, adeoque corpori vivo illum ſtatum inducit, ex quo abſolute mors fluit, dum vero in ordinario ſtatu vitalitatis, ex officio naturæ omnino fluit, quo extremam hanc & peſſimam corruptionem præoccupet, ita in hac neceſſitate contingit, ut per motum inflammatorium, tempeſtive effectus putridæ deſtructionis intercipiatur.

§. VII. Id ipſum vero duplici modo fieri poteſt, primo quidem breviori, quando ſtaſis & ſtagnatio reſolvitur, reſorbetur, diſcutitur, reſeratur, & e repagulis ſuis ducitur, id eſt, quando a ſangvine affluente, alluente, & præterfluente reaſſumitur & in motum iterum redigitur: quoniam vero ordinarius affluxus non tanti valoris eſt, quo ſpiſſiorem ſangvinem reſorbeat, ita circa talem ſtaſin vel ſtagnationem, congeſtio ſuſcipitur, quo ſangvis eo concentratus majori appulſu ſtaſin afficiat, & ſub tali vegetiori tranſitu ſucceſſive reſorbeat, quod hactenus incarceratum fuit: & ab hac copioſiori congeſtoria appulſione ſangvinis oriuntur illa phænomena, quibus ſeſe inflammatio prodit, nimirum durities, tumor, ardor, dolor &c.

§. VIII. Quando vero per hoſce motus diſcuſſionis effectus tam facile impetrari non poteſt, aut per ſe natura ob impatientiorem & immoderatiorem ſuam operationem, hunc effectum præterit, tunc alter affectus inflammationis urgetur, quando ex illa ſangvinis quantitate, quæ in ſtaſin prolapſa eſt, educitur & removetur illa materia, quæ proxime putrefactorium motum inducit, qualis eſt ſulphurea ſubtilis, valde mobilis, inflammabilis, ex qua ſangvis ſuum colorem rubicundum habet: quæ materia ſub illo vegeto appulſu inflammatorio, & calore inde orto reſolvitur, in transfluentem ſangvinem recipitur, aut e ſuperficie ſubtili tranſpiratione dimittitur: qua materia itaque a ſangvine incarcerato liberata, reſidua portio ſpiſſamentum tale pallidum ac flaveſcens, conſtituit.

§. IX. Eſt itaque pus ſangvis, principio ſuo ſulphureo privatus, minime vero productum corruptionis, nedum quidem actualis corruptio, ſiquidem potius

puris præsentia, de corruptionis præoccupatione testimonium fert; unde etiam illi errant, qui vel inflammationem cum corruptione confundunt, vel dolores in inflammatione occurrentes, a corruptione arcessunt, siquidem alias plane contra totam inflammationis historiam contingere deberet, ut, quando supposita talis corruptio, in summo suo gradu & complemento esset, (quod ipsum vero illo tempore, quando pus præparatum est, fieret) dolores in maximo gradu angant & urgeant: quid quod denique & illa traditio falsa est, quod ubi ulcus sit, ubi pus est, siquidem inter apostema & abscessum ulcerosum, essentialis diversitas intercedit, licet per accidens demum pus non repurgatum & evacuatum in corruptionem ulcerosam degenerare queat.

Conf. Stahlii Præloquium de Mechanismo Motus Progressivi Sangvinis.
Programma de Apostaseos & Apostematos Hippocratis Differentia.

§. X. Denique circa inflammationum ætiologiam adhuc notandum est, quomodo hic sonticus & principalis affectus cum motibus & apparatibus Hæmorrhagicis non infrequentem neque exiguam communionem habeat, siquidem interdum, & prout passim modo demonstratum est, quin ipsa experientia abunde contestatur, motus illi hæmorrhagici, congestorii, tanto impetu diversas partes & regiones occupant, ut loco salutaris & prævisæ eruptionis, suspecta sangvinis stasis & incarceratio, generetur, e qua deinde natura amisso priori scopo, quia ultimum accidens magis urget & stringit, futuram & metuendam putridam corruptionem, inflammatorio hoc Schemate avertit atque dissipat.

CAPUT II.

DE

DIVERSIS ALIIS INFLAMMATIONIS SPECIEBUS.

§. I.

SICut hæc fundamentalis & generalis fuit Inflammationis consideratio Historico-pathologica, ita in historia morborum adhuc diversæ inflammationum species occurrunt, quæ pro medico usu exponendæ sunt, inter illas vero primum occurrit *Furunculus*, qui consistit in exigua quidem & non late expansa, sed in unum quasi parvum nodum concentrata inflammatione, quæ tamen cum eximiis doloribus, omnes reliquas Inflammationum species superantibus, tensoriis, tractoriis, interdum spasmodicis, pulsatilibus, lancinatoriis, ardentibus & similibus stipata est.

Conf. Stahlii Disp. de Abscessu & Furunculo.

§. II.

§. II. Unde hæc dolorum vehementia, quæ in Furunculo occurrit ad alios eximios dolores describendos applicatur, quando vulgo dici solet; es thue so weh wie Blut-Schweeren: quare etiam in hac inflammatione, magna inquietudo animi, somni impotentia & appetitus alteratio observatur: ipse Furunculus in nodum talem protuberantem concentratus, per duos aut aliquot dies continuat, donec in apice exilis micula albicans compareat, quæ aperta & expressa paucum pus emittit & continuata expressione stigmata spissiora sangvinolenta effundit: postea vero motus & dolores inflammatorii continuant, donec successive imminuantur atque denique cessent; si maturantia valde remedia adhibentur, tunc post primam hanc exigui puris expressionem suppuratio continuat, & totus collectus nodus in pus abit, ut in affecto loco eximia excavatio postea oriatur.

§. III. Est itaque Furunculus auctior & concentratior Inflammatio, quæ salutari intentione & directione a natura opponitur stasi sangvinis, in vasculo sangvifero sive venoso sive arterioso ortæ; dum vero hæc stasis occlusa & a libero humorum affluxu intercepta est, ita vix communis inflammationis effectus immediatus resolutorius vel suppuratorius expectari potest, interea vero ad affectam stasin mature & satis presse atque arcte imo rigorose motus inflammatorius applicatur, quo cum sangvis, in exigua illa portione, quæ stasin constituit, in actualem corruptionem transiens, & simul sacculum suum aut vasculum membranaceo-tunicaceum inficiens atque dissolvens, post impetratam talem dehiscentiam aut aperturam tempestive & quidem in primis suis corruptionis initiis suffocatur, & accelerata activitate atque accurata inflammationis directione ex exigua illa molecula corrupti sangvinis sulphureum principium educitur, atque ita paucum pus generatur, sed eo ipso etiam magna & ulterior corruptio avertitur: quanquam quidem si in capaciori ramo major stasis contigit, adeoque corruptio ex majoribus initiis oritur, in tali statu omnino sphacelatio diffusior metuenda sit.

§. IV. Alia species Inflammationis est *Erysipelas*, affectus in communi vita satis frequens, qui repente oritur & cito ad statum suum pervenit, imo qui exiguas occasiones, maxime vero animi pathemata, veluti suppressam iram, terrorem aut repentinum & profundum metum sequitur, quin denique ita insolens & immorigerus evadit, ut frequentius subjecta sua corripiat: usitatius vero hoc Erysipelas externas partes afficit, licet etiam internas, sed paulo rarius occupet, quod communiter veteres lethale esse & vocarunt & observarunt: quia itaque specialiores observationes circa hanc inflammationem occurrunt, ita illius singularem mentionem hoc loco injicio.

§. V. Communiter invadit hic affectus subjecta plethorica & paululum spongiosa, dum videlicet in superficie alicujus partis repente exquisiti & suspecti

cti ardores & dolores tenſorii atque ſtrictorii oriuntur, concurrente mox latiori intumeſcentia, maxime ſuperficiali, cum exiguo & non nili pallido, videlicet roſeo, rubore conjuncta, quæ lata & ſuperficialis intumeſcentia ad momenta ita increbeſcit, ut pars affecta quaſi ad rupturam usque tumeat, atque ob expanſam cutem, & cuticulam valde ſplendeat: qui ſtatus durat per dies aliquot, donec ſucceſſive iterum decreſcat & evaneſcat cum moleſtia alicujus pruritus in parte & flacceſcentia in Cute ſuperveniente; denique cuticula ſecedit & ita totum hoc ſchema ad finem pertingit.

§. VI. Iuxta hanc hiſtoricam hujus affectus obſervationem præſens inflammatoria commotio legitimo modo ad diſcuſſorium effectum, haud vero ad ſuppuratorium tendit; unde jam vulgus metuit, ne Eryſipelas ad aperturam perveniat, alias enim non modo corrupta & perverſa ſuppuratio, ſed & maligna plane ulceratio metuenda erit, ſicut de hac obſervatione pluribus in Chirurgia medica circa Eryſipelatis & Ulcerum ex Eryſipelate natorum tractationem agendum erit: quando vero Eryſipelas vel nobilem & ſenſibilem partem corripit, quo maxime caput refero, vel quando impetuoſe irruit, atque grande evadit, tunc facile febrilis commotio accidit & affectum reddit acerbiorem.

§. VII. Hæc Inflammatio oppoſita eſt a natura diffuſiori, latiori & ſuperficiali ſtagnationi Lymphæ pingvioris & cum tenui ſero remixtæ, quæ quidem antea ſub repentinis commotionibus congeſtoriis in tales extremitates directis, eo ſeceſſit, & ne illic obhæreſcat atque in actualem coagulationem & futuram malignam corruptionem delabatur, motu hoc inflammatorio afficitur, mediante quo, illius efficax & tempeſtiva reſolutio intenditur.

§. VIII. Dum vero communiter Eryſipelas antecedentem congeſtionem repentinam involvit, ita e connexione circumſtantiarum facile colligere licet, quomodo ejusmodi motus congeſtorii haud ita ludicri & tummultuarii ſint, ſed cum moliminibus hæmorrhagicis in unam eandemque claſſem ſpectent, uti etiam hic affectus tanto facilius ſubjectis ſangvine turgidis, ſangvineis commotionibus adſvetis, aut evacuationibus talibus ſive artificialibus ſive ſpontaneis antehac addictis, ſive circa ſpontaneas Hæmorrhagias defectum quempium ſubeuntibus accidit, quo referendæ, etiam ſunt illæ cauſæ, quæ alias ad Hæmorrhagias provocandas vel alterandas contribuunt & quæ ipſæ etiam ad Eryſipelas provocandum in communi vita frequenter concurrunt.

§. IX. Dum porro in Eryſipelate Lympha non modo pingvis ſed & ſubtilis, & ita late expanſa eſt, ita facilius diſſolvi poteſt, quam ſi in pus converti debeat, qui actus ſuppuratorius, cum haud tempeſtive totam hanc ſtagnantis Lymphæ quantitatem legitime præparare & coercere queat, ita dum in uno loco Lympha ſuppurari incipit, in alio nunc corruptionem incidit, quæ

corrup-

corruptio quidem per initia ulceroſa, ſed ob Lymphæ pingvedinem maligna & ſerpens redditur, ſub qua adjacentes partes ita conſumuntur, ut malum tale non modo diuturnum evadat, ſed & irregularem conſolidationem denique ſubeat.

§. X. Similis inflammationis ſpecies eſt *Phlegmone*, quæ licet vulgo inter medicos nimis generice accipiatur, tamen ex diverſis ſingularibus circumſtantiis certam ſpeciem Inflammationis conſtituit, ſiquidem aliquo modo cum Eryſipelate convenire videtur, dum in latiori & diffuſiori motus ſui extenſione conſiſtit, neque facile neque etiam ſecure ad ſuppurationem promoveri poteſt, ſed quæ inflammatio in tantum Eryſipelas ſuperat, in quantum etiam profunda eſt, adeoque diutius durat & magis ſuſpectum aſpectum offert.

§. XI. Quamquam vero Phlegmone rarius occurrat, tamen gravitate ſua compenſat in quo reſpectu frequentioris invaſionis deficit: occupat externam aliquam partem, ſive pedem ſive brachium, cum tumore, ardore, duritie, pallido rubore & dolore tenſorio, excipit nonnunquam prægreſſam febrem & quidem acutam atque per plures dies imo interdum per ſeptimanas durat & facile iterum in priſtinam febrem repelli poteſt, vel ſi idiopathice occurrit facile febriles commmotiones in conſenſum trahit, neque etiam permittit aut facile obtemperat, ſi ad maturationem urgetur, quoniam æque, ac in Eryſipelate evenit, talem perverſam maturationem maligna ulceratio aut perfecta ſphacelatio excipit.

§. XII. Eſt itaque hic affectus actualis, licet non tam velox & ferox, inflammatio, quæ excipit ſtagnationem ſangvinis & Lymphæ profundiorem & latiorem in corporis extremitate, ex prægreſſis diffuſis congeſtionibus, nata, quales congeſtiones vero vel ſcopum hæmorrhagicum, vel alterius moleſtæ & peccantis materiæ translationem ab intra in externam corporis regionem involvunt, cui ſtagnationi, hoc modo atque ordine ſubnatæ, continuans ille inflammatorius motus, ita invigilat, quo ſucceſſiva reſolutio & diſcuſſio exinde oriatur, ob id etiam hic inflammatorius motus, ad diſcuſſionis effectum magis tranſit, quia nondum actualis ſtaſis adeſt, neque etiam ob profunditatem præſentis ſtagnationis maturatio expectanda, promittenda aut urgenda eſt, interim ſi repentinæ ſtricturæ, ita affectæ parti inferuntur, tunc repentina retropulſio & materiæ hactenus collectæ atque dententæ, retropreſſio accidit, ut cum eadem reliqua humorum maſſa vel inquinetur, vel præcedenti naturæ conatui & intentioni per oppoſitum talem actum vis inferatur, unde diverſi periculoſi affectus improvidam talem retropreſſionem ſequuntur.

CAPUT III.

DE

GANGRÆNA.

§. I.

INflammationum numero & ſeriei adhuc adſcribo Gangrænam, quam in ſchola medica non raro cum putrida illa corruptione, Sphacelus dicta, confundunt, ob id imprimis, quia deprehenditur plurimum in Sphacelum transire: attamen quoad appellationem Germanis uſitatam aliqua diſparitas & differentia inter Gangrænam & Sphacelum deprehenditur, dum illa vocatur der heiße Brand, hic vero der kalte Brand, utrique vero affectus inflammationi adſcribuntur, dum dicuntur der Brand, quaſi ab illo principali inflammationis phænomeno, videlicet ardore, geniti ſint.

§. II. Quanquam vero uſitatius hæc Gangræna in Sphacelum degenerare ſoleat, tamen inter illam & hunc magna adhuc eſt differentia, ſiquidem Gangræna datur ſine Spacelo, & Sphacelus interdum oritur ſine prævia Gangræna, & præſens affectus, nimirum Gangræna, adhuc omnia illa ſigna & ſymptomata habet, quæ ad inflammationem proprie ſpectant: ſingula vero hæc pathemata magno gradu aucta ſunt & gravitate ſuperant ſimplicem Inflammationem; conſiſtunt in vehementi ardore affectæ partis, ſummo rubore, e rutilante in lividum colorem inclinante, maximo dolore tenſorio, ſtrictorio, pulſatili, lancinatorio, qui ſtatus breviter decurrit, donec vel ob inopiam tempeſtivæ reſolutionis in ſphaceloſam corruptionem tranſeat & hanc degenerationem commonſtret, cum prominentibus ſtriis lividis, nigricantibus & aliquali ſenſus obtuſione, nec non partis laxitate atque efflorescentia puſtulari, usque denique ipſe Sphacelus penitus occupet & erumpat.

§. III. Unde hæc Gangræna ſummum Inflammationis gradum conſtituit, in quo motus inflammatorio-congeſtorius maximo impetu & valore intenditur; ob id etiam ſingula conſectaria hujus motus maxime aucta ſunt, dum vero hic affectus in ſummo gradu conſiſtit, ita etiam extremum naturæ conatum præſentat, quo corruptionem averruncare & discuſſionem imprimis impetrare laborat: & licet non æque ſemper tantus impetus neceſſarius ſit, tamen variæ cauſæ ad exceſſivum hunc motum naturam provocare ſolent, quo ipſa major naturæ ſenſibilitas & communis præcipitantia in adminiſtrandis actionibus tum moralibus tum vitalibus contribuit, deinde accedunt variæ accidentales commotiones ſive impulſus humorum, per remedia interne adhibita calefacientia, ſive extrinſecus adhibita acria, quo referri merentur offenſiones partium

valde

valde ſenſibilium nervoſarum, quas impetuoſus ſangvinis affluxus, qui facile in exceſſum degenerat, ſequitur.

§. IV. Et dum tanto impetu ſangvis a tergo affluens præſentem ſtaſin, ſtagnationem aut exquiſitum ſenſibilis partis dolorem obruit, tunc eo magis ſtaſis vel ſtagnatio illa augetur, ex quo evenit, ut dum inflammatio in ambitu, hujus infarctus diſſolutionem, adeoque corruptionis præoccupationem proſequitur, interea in meditullio illius magnæ & profundæ ſtaſeos putrida corruptio oriatur, quo ordine Sphacelus Gangrænam ſequi ſolet, quanquam eſſentialis & perpetua diſcrepantia, inter utrumque ſtatum & effectum perduret.

CAPUT IV.

DE

SPHACELO.

§. I.

HActenus actum fuit de diverſis Inflammationum ſpeciebus & gradibus, jam agendum erit de illis effectibus, qui directe inflammationi & reliquæ vitalitati contrariantur, ita eveniet, ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant: nihil vero aliud formali ratione vitæ, actibus vitalibus & ſubinde etiam inflammationibus contrariatur, quam corruptio mixtionis animalis, quæ per motus & ordines vitales ſollicite declinatur & præoccupatur, licet cæterum eadem mixtio valde corruptibilis exiſtat: differunt vero hæ corruptiones, uti in fundamentis pathologiæ medicæ indicatum fuit, quoad gradus, humores atque partes: peſſima vero, extrema, ſubitanea & incoërcibilis eſt putredo, ſive Sphacelus, qui propterea mortificatio appellatur, eo quod partem, quam occupat, enecat & interficit.

§. II. Quam extremus vero hic eſt caſus, & quam ſollicite & operoſe diverſis ordinariis & extraordinariis motuum adminiſtrationibus natura hanc corruptionem expugnat & proſequitur, tam rarus per Dei gratiam funeſtus hic eſt effectus, ita ut inter millia myriadum hominum & ſub juſta interpretatione intra myriades annorum, quos videlicet individua quælibet, conjunctim numerata, vivunt, vix ſemel occurrat, licet illi, qui ex ſtudio obloquendi rem mercenariam tractant, facile objicere ſciant aut contendant, quaſi in febribus inflammatoriis & malignis hæc putredo frequentius occurrat, ubi primo non nego, quod in ſubjectis ſub talibus febribus demortuis Sphacelus deprehenſus ſit, ſed ſubinde etiam judico, quod etiam febres in comparatione ad alios morbos infrequentiores exiſtant, deinde, quod interdum poſt mortem demum talis

Sphacelatio oriatur, nec non quod per artem malam provocetur, cum per se haud obtigerit, qualis ratio etiam valet in subjectis sauciatis nec non in medicina castrensi; & licet omnes hæ Historiæ observati Sphaceli colligantur, tamen adhuc in illa infrequentia constanter deprehenduntur, quanquam post lapsum propensio in hanc corruptionem, mixtioni animali connata sit: per se vero & sua sponte hic Sphacelus rarissime oritur.

§. III. Prodit sese hic Sphacelus diversis Signis, maxime vero cum affectæ partis nigredine aut livore, laxitate summa, quæ ad levem contactum dehiscit, fœtore cadaveroso & extremo, effluxione liquoris flavescentis summe fœtidi, partis affectæ frigore, sensus amissione & prægressorum omnium dolorum perfecta & simultanea cessatione, tumore flaccido & interdum contingente efflorescentia pustularum depressarum, cum ichore flavescente, livescente & fœtido oppletarum, interea etiam vires valde imminuuntur, occupant animi angores, palpitationes cordis, rigores & extremitatum corporis horripilationes, nec non Lipothymiæ, & si talis Sphacelus non tempestive per artem aufertur (rarissimæ enim sunt observationes, quibus spontaneæ Sphaceli remotiones sistuntur) intra brevissimum temporis ambitum mors corripit.

§. IV. Quando stasis sangvinis tempestivæ discussioni aut maturationi non obtemperat, tunc sangvis sibi relictus motu hoc intestino, fermentativo, putrefactorio corripitur, quo per initia ipsius occlusi sangvinis mixtio destruitur (incipit enim sphacelus a sangvine jam corrumpente) quæ commotio putrefactoria repente partibus vicinis communicatur, adeoque per momenta longe lateque progreditur, unde partes & humores colliquantur, occupat fœtor putridus & putidus, cessat transitus humorum vitalis, perit partium continuitas, subinde etiam desinit sensus, quia motus harum partium tensorius deest, quid quod ob privationem vitalis progressus humorum, per hanc partem, calor naturalis abest, & ita quælibet talia signa, quæ vitalitati contraria sunt, ingruunt.

§. V. Sub hac putredine, quæ in corpore adhuc vivo adest, & ob metuendam mortem repentinam, mox amittuntur vires, siquidem constans illa & in moralibus evidens est demonstratio, quod præsente maximo & insuperabili periculo animus & vires cadant; unde etiam in tali calamitate angitur animus, quid quod in Lipothymias pronus observatur, sicuti extremi timores aliàs animum ita afficiunt, quo minus compos sit resistendi, sed quo potius in tali extremitate latebras & refugia quærat, & aliquamdiu sese subtrahat aut abscondat, quo minus præsens vel imminens periculum advertat.

§. VI. Minime itaque consentio cum tali opinione, quæ hos ultimos effectus amissionis virium, Lipothymiarum & similium connexorum pathematum ma-

materiæ & corruptioni intra corpus exhalanti & ſeſe diſpergenti imputat & adſcribit, quaſi vero tale ſeminium putrefactorium, nervos ita obnubilet, quo ſenſus & vires pereant; ſed cum in hoc ipſo aſſerto nullam connexionem aut phyſicam demonſtrationem & evidentiam deprehendam, ita illud ſuis ſatis relinquo, præprimis cum facile varii paralogismi exinde emergant, quotiescunque vires etiam materiales ſupponantur.

CAPUT V.

DE

ULCERATIONE.

§. I.

ALtera corruptionis ſpecies eſt Ulceratio, quæ tardior exiſtit, neque ita repente interficit, unde etiam frequentior eſt, utpote quæ in humoribus & partibus non ita confeſtim motum fermentativum aſſumentibus & conſervantibus contingit: Græcis vocatur ἕλκος, & corripit partes tunicaceas, membranaceas, ſeri, muci & lymphæ tranſitui alias dicatas; proinde etiam ratione eſſentiæ ſuæ ab apoſtemate variat, cum abſceſſui ulceroſo non familiare aut eſſentiale ſit, ut pus vel generet vel contineat.

§. II. Prodit hæc corruptio interdum ex abſceſſu purulento aut efflorescentia puſtulari aut ſerpiginoſa, aut collectione, tumore & ſtagnatione, aut ſtaſi humorum ſeroſorum, mucidorum lymphaticorum in partibus cutaneis, membranaceis, tunicaceis, glanduloſis, ligamentoſis & tendinoſis: fundit mox corruptela talis humorem inſoliti coloris & quantisper fœtidi aceſcentis odoris: pars affecta colliquatur, relaxatur & impalleſcit, ubi fermentativa hæc & lenta diſſolutio adeſt, parum interim dolet, niſi affectum membrum aliqua inſolita laſſitudo occupet: interea talis ſtatus pro diverſitate affectus diutius durat in ſubjectis plethoricis, commotionibus & evacuationibus ſangvinis tam ſpontaneis quam artificialibus adſvetis & in quibus hæc corruptela ex ſuppreſſionibus ſpontanearum Hæmorrhagiarum ortum traxit; ſupervenium interdum ejusmodi ulceri ardores, rubores, & dolores tenſorii, imo interdum ſpaſtici; conſpiciuntur etiam aliquando in tali ulcere ſtigmata ſangvinolenta, ſub quo ſtatu præſens ulcus proinde per accidens deteriorem indolem concipit.

§. III. Præterea Ulcerationes expoſitæ ſunt repetitis congeſtionibus, ſub quibus prædicti dolores denuo afficiunt: alias interdum quidam pruritus in ulcere ejusque confiniis percipiuntur: & ſi aliqualis error in diæta committitur, aut animi pathema intercurrit, frequentius alteratur præſens ulceratio; denique in

hiſtoria ulcerationis probè notandum eſt, quomodo ſuppreſſæ ſpontaneæ Hæmorrhagiæ nonnunquam ad diuturnas & contumaces ulcerationes contribuant, e quibus imprimis hoc loco Menſes allegamus.

§. IV. Ulceratio in ſe ſpectata eſt corruptio humorum lymphatico-mucido-ſeroſorum fermentativa, ſalina, acescens, quæ ex hiſce humoribus in partes continentes progreditur easque colliquat, & ſucceſſive depaſcit atque conſumit: quoniam vero hi humores, in tali commixtione & hæ partes vix multa copia principii ſulphurei (per quod alias putrefactoria commotio excitatur,) gaudent, ita corruptio non eſt tam intima, repentina, profunda & extrema, ſed lenta, ſub qua affectæ partes quoad neceſſarium ſuum tonum, aliquo modo enervantur; adeoque laxitas, mollities & major inflatio excipit.

§. V. Dum vero hi humores conſtanter affluentes, colliquantur, ita ulceratio communiter talem ichorem ſive colliquatum & fermentatum humorem fundit, qui ſubinde in affecto loco fibras emollit & magis relaxare adjuvat, & ſi in reliqua ſangvinis maſſa, acrius ſerum continetur, ita etiam hic Ichor magis ſalſuginoſus redditur, qui partes vicinas ſenſiles plus afficit & copioſiorem affluxum ad ulcerationem præſentem provocat: quod ſi etiam contigerit, ut ex activa congeſtione ſangvinis ad ulcerationem talem, aliquid de ipſo ſangvine ulceri huic immiſceatur, tunc corruptio redditur deterior, propterea, quia ſangvis putridam corruptionem ſubit & cum præſente ulceroſa commiſcet.

§. VI. Accidit interdum, ut præſente tali corruptione urgens & commota abundantia ſangvinis cum congeſtoria commotione ad præſens hoc malum transferatur & natura per inſolitam hanc viam, exitum & ſangvinis ſuæ Ventilationem proſequatur; quemadmodum præſens ulceratio, nunc illa ipſa impulſiva cauſa evadit, quæ naturam eo ſeducit, quo in hoc loco, in quo non modo jam extraordinarium quidquam ſuccedit, ſed &, quo extraordinarius humorum affluxus procedit, hic præſens actus imminuendæ plethoræ adminiſtretur.

§. VII. Et quamquam actualis eruptio atque fluxio ſangvinis ex ulcere rariſſime fiat & non niſi per ſingulares obſervationes annotata deprehendatur, tamen molimina hæmorrhagica ad illud directa minime infrequentia ſunt, imprimis in ſubjectis plethoricis & ſangvineis commotionibus & emotionibus ante hac adſvetis, ſicut viciſſim ejusmodi ſuperficiales congeſtiones, (quæ in lymphæ, muci & ſeri commixti ſtaſin per accidens deſinunt, & quæ cum motibus hæmorrhagicis in aptis ſubjectis omnino conſpirant,) ad ulcerationes tales diſponere poſſunt & ſolent: quamquam cæterum quidem, e ſimpliciori horum & extra communionem cum Hæmorrhagiis contingente ſtaſi, talis corruptio ortum trahit.

§. VIII. Et dum Ulcerationis ſtatus formalis, in corruptione conſiſtit,

ita

ita eandem jam factam, talia materialia principia afficere, fovere & sustentare solent, quæ alias ad corruptiones contribuunt, ut sunt muciditates spissiores, salinæ sordidæ & acescentes substantiæ; quapropter e dyscrasia in sangvine præsente, talis corruptela constans quoddam pabulum suscipit, quæ consideratio tum in practica tum chirurgica ulcerum tractatione multum valet.

§. IX. Periculosiora omnino sunt ulcera, quæ in internis viscеribus oriuntur, tum respectu genericæ suæ æstimationis, quatenus tam nobilem regionem atque partem detinent, tum etiam, quia ab immediato artificioso adjumento præclusa sunt & continuo humorum diversorum affluxui exponuntur, ut vix facile tam efficax & necessaria absersio & mundificatio expectanda sit, quo congrua consolidatio supervenire queat, unde non modo talia ulcera interna latius intra partem affectam se extendunt, sed & denique eandem ita auferunt & consumunt, ut vita subinde necessario exeu rere debeat, licet antea aliquamdiu hectica febris hujus interni helcodei abscessus, absersionem & si possibile fuisset reliqui corporis conservationem, tentaverit.

SECTIO QUINTA.

DE

SPASMIS.

§. I.

COnverto me ad Theoriam Spasmorum, qui affectum constituunt, inter reliquos principalem & familiarem, indolentem atque vehementes cruciatus inferentem, cujus explicatio juxta vulgarem ætiologiam, perquam abstrusa est, siquidem communiter vel incomprehensibiles obstructiones, vel suppositæ & effictæ salsedines accusantur, sepositа etiam illa confusione, qua juxta stylum veterum, spasmi frequenter cum convulsionibus commiscentur, cum tamen inter utrumque affectum magna adhuc diversitas intercedat & aliæ propterea morborum spasmodicorum species accurrant ac convulsivorum.

Conf. Stahlii Disp. de Motibus humorum spasmodicis.

§. II. Sunt vero Spasmi per tales morborum species non tantum frequentes, sed etiam in quolibet subjecto, quod semel occuparunt, sæpius recurrunt & angunt, imprimis vero familiares sunt hominibus plethoricis, in diæta plena, bona, ex parte etiam lauta, delicata & spirituosa viventibus, Hæmorrhagiis spontaneis antehac obnoxiis, vel ex omnibus circumstantiis eo inclinantibus,

de-

de Sangvineo præcipue Temperamento participantibus, animo agilibus & multiplicibus animi & corporis commotionibus, indulgentibus, luxurioſis, non raro etiam compotationibus & inebriationibus inhærentibus & diverſis cauſis & occaſionibus ſeſe ſubmittentibus, ex quibus præſens plethora commovetur.

§. III. Corripiunt Spaſmi diverſas regiones & partes, communiter vero externum corpus affligunt & quoad invaſionem diverſarum regionum, reſpondent Hæmorrhagiis, quæ per ætates variant: dolores ſpasmodici ſunt ſtrictorii, tractorii, tenſorii, extenſorii, fibrativi, fremebundi, lancinatorii, formicantes, huc illuc retractorii, partem quam occuparunt conſtringentes & quaſi extenuantes, ita ut Venæ in eadem evaneſcant, quæ ſuperficiem percurrunt, qui ſinguli dolores ſatis ſunt contumaces, diuturni & ſubinde facile in peſſimam conſvetudinem degenerant.

§. IV. Neque ita cito Spaſmi excurrunt, ſed per plures dies imo interdum hebdomadas durant, interea vero in parte, quam occuparunt vel fixius hærent, vel per illam, imo plane extra illam vagantur & fugaces redduntur, ſed in tali ſtatu cum motibus congeſtoriis & inflammatoriis immoderatioribus facilius alternant, atque periculoſius decurrunt, tanto magis ſi ab extra introrſum deſultant, adeoque nobiliores partes occupant, e quibus difficillime denuo in externam corporis regionem transferri poſſunt.

§. V. Præterea diſtinguuntur ſpaſmi in completos, qui vel integram aliquam partem, vel totum muſculum in quadam parte corripiunt; & in incompletos, qui tantum ſingulares muſculi cujusdam fibrillas corripiunt; priores ſunt rigidiores & fixiores, poſteriores vero ſunt magis dolentes, vagi & erratici: communiter etiam ſpaſmi involvunt in affecta parte rigorem & movendi impotentiam, ut & ſuperficialem & recurrentem horripilationem aut ordinarium tepore: alternant etiam nonnunquam vagi æſtus, interdum vomitus & capitis dolores, quæ poſteriora vero phænomena, pro diverſitate ſubjectorum & conſvetudinum variant.

§. VI. Sunt itaque Spaſmi inſigne motus tonici augmentum, tenaci fibroſarum partium conſtrictione ſeſe primario exſerens, unde illis ſubjectis plus quam aliis familiare quæ flexilitate & prædominante fibrarum mobilitate gaudent, ut ſunt ſangvinea: hic motus vero præprimis directus eſt, vel ad ſangvinis copioſi & moleſti exonerationem vel ad ſpiſſioris & difficilius progredientis ſangvinis promotionem, vel ad aliarum inimicarum ſubſtantiarum a partibus nobilibus remotionem & excluſionem.

§. VII. Quod primum ſcopum concernit, nimirum ſuperflui ſangvinis imminutionem tunc notari maxime meretur, quomodo in ſubjectis, quæ ſpasmis ſubmittuntur communiter ſingulæ illæ circumſtantiæ, obſervationes & cauſæ concur-

currant, quæ alias ad Hæmorrhagias contribuere ſolent, unde etiam vulgo ſpaſmi per tales occaſiones excitantur, quæ ad impellendam maſſam ſangvinis faciunt, ſive eædem ex animo ſive diæta ſive regimine proveniant. Ad ipſam vero hanc methodum, qua Hæmorrhagiæ per ſpaſmos a natura urgentur, diſponunt diverſæ difficultates, quæ in negotio hæmorrhagico intercurrunt, quales vel ex animo præcipiti, impatienti & immorigero, vel ex ſtrictura undecunque partibus præter conſvetum ordinem inducta, vel ex ſpiſſiori ſangvinis conſiſtentia vel ex variis impulſibus artificialibus & motuum irritamentis fluunt, quo adhuc annumero connatam ideam, de importuniori motu, ſangvinis excretionem urgente, circa efficaciam hæreditariæ diſpoſitionis, per ſpaſmodicos motus, in promovendis Hæmorrhagiis operoſam.

§. VIII. Quando vero contingit, ut ſangvis ſpiſſior redditus, tam per poroſas quam vaſculoſas partes ægrius fluat, adeoque ſtagnationis vel ſtaſeos periculo ſubjaceat, tunc in vitali œcönomia & per naturæ vires, non verior, ſimplicior, certior & efficacior datur medicina, quam ut per toni augmentum, (quo motu alias ſangvinis progreſſus facilitatur) transpreſſio & ſtagnationis reſeratio tentetur & urgeatur, adeoque metus & damnum putridæ corruptionis præoccupetur; unde vel in externis vel internis corporis regionibus, ſpaſmodica talia morborum ſchemata, ad hunc finem collimantia, occurſant.

§. IX. Quod ſi etiam contigerit, ut partes ſenſibiles & nobiles, a diverſis cauſis præternaturalibus obruantur & invadantur, ſive fuerint ulceroſæ, ab extra retrocedentes, ſive ſubtiles contagioſæ & fermentativæ, ſive calculus, aut aliæ ſimiles materiæ, tunc ſimiliter ſalutari quadam & inventione & deſtinatione, ſpaſmodici motus ſuſcipiuntur, quo tales inimicæ materiæ tempeſtive, rigoroſe & efficaciter, a talibus partibus excludantur, quod etiam accidit, quamvis materia non ſit rodens, pungens & ſalina, modo moleſta & & integritati atque uſui partis adverſa exiſtat.

§. X. Singularem inter has cauſas meretur attentionem illa, quæ immaterialis, idealis ſive moralis eſt, quemadmodum repentinæ animi alterationes, tale immateriale, maximeque adverſum objectum conſtituunt, cui ſtrenue avertendo & excutiendo natura eandem methodum adhibet, qua alias ſenſum ſuum in corporeis circumſtantiis liberat, quando videlicet tales materias noxias & valde moleſtas in corpore occurrentes, per ejusmodi vitalis motus augmentum, cum quo ordinariò noxias & inimicas materias expellere ſolet, proſequitur: & ſicuti horum ſpaſmorum cauſa eſt intimior, ita eorundem indoles eſt contumacior.

§. XI. Quotquot cæterum alterationes ſub morbis ſpasmodicis occurrunt, illæ ex efficacia toni præcipue pendent, ſiquidem minime illa circumſtantia oblitteranda eſt, quando ſub motibus talibus, dum ſangvis intra ſolidas & fibroſas patres

fortius transprimitur, non pauca illius quantitas dissolvitur & in serum convertitur, unde sub morbis spasmodicis communiter urina concentratior & saturatior, sudor vero magis olidus est, ob id etiam in urina crystalli salinæ facilius concrescunt.

§. XII. Sed cur mihi tantum est silentium de salibus pungentibus, rodentibus & stimulantibus, de quibus vulgo asseveratur, quod spasmorum causa sint, equidem cum hac sententia non facile consentio, cum tota historia spasmorum, ab eadem admodum dissonet, imo cum talia rarissime in corpore ita concentrentur, ac si immediate ad partem spiritus acidus aut materia acris & rodens applicatur, quale quid si contingit, tantum valet quo spasmi, superveniant; quod sæpe in siniſtris chirurgicis administrationibus observare licet, quales spasmi tamen æque minus ac reliqui, tumultuarii ac confusi sunt, siquidem harum materiarum, adeo offendentium, remotionem concernunt.

CAPUT I.

DE

PLEURITIDE SPURIA.

§. I.

A Genere ad speciem nunc progredior, & inter has, usitatiores explicabo, cum quædam, quæ spasmis annumerantur, ad convulsivos morbos non immerito referri queant, sicut vero hactenus illum ordinem servavi, ut affectus in illa serie significaverim, qua per ætates variare, sed simul certis Hæmorrhagiarum speciebus respondere solent, ita inter spasmorum species primo loco hanc Notham pleuritidem produco, de qua propterea mox in frontispicio quasi indico, quod sit affectus spasmodicus.

§. II. Pleuritis dicitur, quia per certas quasdam circumstantias, cum inflammatorio illo pectoris affectu, veram pleuritidem constituente, aliquo modo congruere videtur, sed spuria vocatur, quia inflammatorium affectum haud constituit, licet in talem morbum converti queat: afficit hæc notha pleuritis communiter juniora subjecta, (licet aliquando in juvenilem & virilem ætatem se extendat) tamen absque acuta febre, inprimis typica, quamvis interdum febrilis, sed inæqualis, commotio concurset, quæ tamen volatica & transitoria est; dolor, quem subjecta experiuntur, non tam exquisite interpunctorius & inflammatorius est, quam potius si respirant, tensorius & extensorius, qui respirationis continuationem impedit; neque tamen tussis angit, neque affectus per stratos successus decurrit, interim aliquando capitis dolorem & alvi adstrictionem in consensum

ſenſum trahit: extendit ſeſe hic dolor ſæpe ab antica parte, in poſticam, imo interdum ita alternat, ut verſus ſcapulas decurrat & anteriorem regionem deſerat, ſed iterum eo recurrat.

Conf. Stahlii Diſp. de Affectibus Pectoris.

§. III. Poſt aliquot dies hic affectus iterum ceſſat & in futurum cum aliis ſpaſmodicis affectibus, ut arthriticis, nephriticis & iſchiadicis alternat, quin cum tempore in podagricos deſinit: ſi vero immoderatius tractatur & ab extra repellitur, vel in externos inflammatorios, vel aſthmaticos ſpaſticos affectus degenerat; alias vero ſine ſingulari mutatione aut effectu excurrit, niſi ſucceſſive dolor cum connexis reliquis ſymptomatibus remittat & denique ceſſet.

§. IV. Præſens hic affectus corripit partes muſculoſas, pectus cingentes & non modo muſculos intercoſtales, ſed & reliquos, tum pectoralem, tum ſerratos; ipſe vero hic motus ſpasmodicus, referri meretur ad molimina hæmoptyica, magis externum corpus affligentia & remotius ad hunc effectum tendentia, licet eo non perveniat, unde partim habitus & ſtatus plethoricus, nec non ad Hæmorrhagias proclivis, ut & cauſæ concurrentes, de hoc aſſerto teſtimonium verum perhibent; & quamvis ex ejusmodi ſpaſmis non æque actuales ſangvinis eruptiones oriantur, minime tamen iisdem reſpectus & contentio eminus ſiens & ad has Hæmorrhagias abiens denegari poteſt, modo circumſtantiæ ad Hiſtoriam morbi & hujus medicationem ſpectantes, bene colligantur.

§. V. Interea reliquas illas cauſas, in generali ſpaſmorum explicatione commemoratas, non excludo, quin ad hunc etiam affectum applico, licet eædem in hiſtoria & applicatione practica non adeo ſolennes & uſitatæ ſint, ac prædicta cauſa, ad quam therapia prudenter directa, ſinceriores & efficaciores uſus ſalutares promittit.

CAPUT II.

DE

ARTHRITIDE.

§. I.

ALtera ſpecies eſt famoſus ille affectus, qui arthritis vocatur, quæ licet juxta antiquam acceptionem reliquos ſpasmodicos morbos ſub ſe comprehendat, dum vulgo articularis affectus appellatur, tamen proprie ſingularem ſpeciem involvit, qui affectus vero ad articulationes affectæ regionis ſeſe concentrat.

§. II. Obſervatur hic affectus in ſubjectis junioribus, activi, immoderati & præcipitis animi, imprimis plethoricis & in diæta plena, non raro etiam ſpirituo-

rituosa versantibus, præter illas circumstantias, quæ in succincta spasmorum Historia recensitæ sunt: corripit Arthritis regionem scapularum, extendit se in humerum atque dorsum superius, aliquando etiam paulo anterius circa præcordia & quidem si in simpliciori statu persistit; quam primum vero vaga, insolens & immoderata redditur, tunc modo inferiores partes invadit, modo ad superiores ascendit, atque cum maximis cruciatibus corpus pervagatur.

§. III. Affligit cum doloribus strictoriis, tractoriis, laceratoriis quasi extensoriis, vibrativis, formicantibus, fremebundis & interdum pulsatilibus; angitur inde animus, angustantur quandoque præcordia, langvent vires, cadit appetitus, urgent dolores, deficit somnus, afficit in subjectis voracibus per accidens vomitus, percursat nonnunquam volaticus æstus, & ita durat talis affectus, per dies, imo septimanas, donec sensim & pedetentim paululum remittat & denique cesset; interim animi pathemata ad revocandum hunc affectum multum jus habent, sicuti non raro per hæreditatem propagatur & in consvetudinem sæpe degenerat, cæterum vero quasi per paroxysmos recurrit.

§. IV. Comprobat hic affectus spasmodicam indolem ipsis doloribus, qui a rosivis & pungentibus sensationibus alieni esse deprehenduntur; unde causam illius non tam sangvinem acrem & salsum, quam potius nimium & molestum agnosco, sicuti hoc respectu hic affectus juxta consensum reliquarum consentientium causarum æque conamen quoddam naturæ ad profundendum sangvinem e pectore constituit, quod tanto facilius immoderata tali methodo nititur, quo magis ipsa natura vel ex hæreditate adeoque quasi ex privilegio hunc actum rigorose & impatienter prosequitur, vel quo magis de reliquo quoad mores præceps & vehemens est, aut immoderatam diætam & frequentes fortiores commotiones vel humoribus vel reliquo corpori inductas, ad impetuosas extraordinariarum functionum administrationes seducitur, quo non parum mala regimina & perversa artificia, imprimis vero libidinosa & voluptuosa vivendi ratio contribuit.

CAPUT III.

DE

ISCHIADICO MALO.

§. I.

QUanquam præsens affectus in communi Historia medica non adeo eximie attendatur, sed juxta vulgarem sentiendi & judicandi morem, nescias qualibus catarrhis interdum adscribatur, tamen cum illius indoles adeo exquisitam communionem cum fluxibus & molimininibus hæmorrhoidalibus habet, refert omnino

omnino illius exquisitiorem mentionem facere: est vero hic affectus Ischiadicus dictus, quia regionem ossis Ischias atque Coxendicum detinet, unde etiam Coxendicum dolore sese quoad appellationem & morbi speciem prodit.

§. II. Quoad simplicem suum statum, exserit sese fixiori dolore, in prædicta regione spasmodico, strictorio & tensorio, adeo rigido & contumaci, ut propterea patientes inferius corpus deflectere atque ad latus movere haud queant, unde ob talem rigorem, quasi contractura in infimo dorso laborant, praeter hunc dolorificum statum, qui nonnunquam sese in lumbos & femora extendit, invadit etiam subjecta in reliquo corpore torpor & lassitudo, nec non animalium functionum imminutio, intercursans horripilatio maxime per dorsum, alternans interdum vaga exæstuatio & alvi inordinatus successus aut plenaria occlusio: continuat talis afflictio per plures dies, imo per aliquot hebdomadas, donec affectus successive remittat & evanescat, redit vero iterum & per intervalla acerbius insistit.

§. III. Subjecta quæ affectu hoc laborant, deprehenduntur esse eadem, quæ in generica spasmorum deductione descripta prostant, maxime vero plethorica, in juventute narium Hæmorrhagiæ obnoxia, in diæta plena & lauta versantia, animi commotionibus frequentioribus exposita, ad Hæmorrhoides proclivia, vel iisdem antehac adsveta, ut & Venereis exercitiis frequentius indulgentia; notabilis propterea est ipsa Hippocratis observatio, in demonstranda connexione affectuum quorundam cum Coxendicum dolore, qua imprimis ad prægressas Narium Hæmorrhagias, aut Hæmorrhoides retrospicit, eo ipso vero posteritati exempli instar inservit, quo ultro hæc historica affectuum communio recte annotetur: siquidem vicissim ex eadem fida, attenta & prudenti experientia, celebre illud testimonium provenit, quomodo hoc malum cum tempestivo Hæmorrhoidum fluxu aut reditu, mitigatum aut sublatum fuerit.

Conf. Stahlii Programma Historiam Pathologicam affectuum cum coxarum dolore symbolizantium Hippocraticam exhibens.

§. IV. Ex eo jam simpliciter colligo & concludo, quod hic affectus sit molimen spasmodicum, ad externas Hæmorrhoides collineans, in quarum confiniis rigor & vigor ille exercetur, quo sangvis per Iliacas Venas refluus, aliquo modo ad loca hæmorrhoidalia restringatur, sub spe & intentione obtinendæ perruptionis, cum vero motus hic paulo diffusior sit, neque proximius ad loca illa sangvinem congerat, ob id actualis eruptio, non ita facile sequitur: interim & subjecti constitutio & diversarum causarum ad hunc affectum concurrentium habitus & indoles hanc communionem præsentis affectus cum hæmorrhoidum negotio eo magis comprobant.

§. V. Unde etiam hi Coxendicum dolores tam facile alternant, aut plane concurrunt cum illis affectibus, qui similiter cum Hæmorrhoidibus connectunt,

quales ſunt nephritici & podagrici, inde etiam eſt, cur obtento tandem hoc fine natura a motibus illis ſpaſmodicis quantiſper acquieſcat, quæ quo magis ab eodem ſcopo distrahitur & detinetur, eo immoderatius non modo hisce motibus inſiſtit, ſed & in aliis regionibus anomalico deſultandi & exorbitandi modo per vagos arthriticos motus vicariam Ventilationem ſangvinis aut pro.notionem illius inquirit.

§. VI. Unde denuo ab illa vulgari accuſatione, vel inimicæ aciditatis, vel acrimoniæ, vel ſuſpectæ obſtructionis, vel tumultuarii & nihil cohærentis ſpaſmi, vel defluxionis catarrhalis, vel plane atoniæ vel Scorbutici inquinamenti diſcedo, quin potius iterato inculco, quod præſentes motus ſpaſmodici finem ſalutarem in hoc affectu concernant, videlicet ſangvinis incommodi & ſuperflui evacuationem, e tali regione, in qua virilis vigor plus quam in alia activus eſſe obſervatur: de reliquo ipſe hic affectus facile pro diverſitate ſubjectorum, cum rhevmate concurrit.

CAPUT IV.

DE

PODAGRA ET CONNEXIS AFFECTIBUS SPASMODICIS.

§. I.

PRogredior ad famigeratum & principalem illum affectum ſpaſmodicum, qui & patientibus propter eximios ſuos cruciatus, & medicis propter refractariam ſuam indolem, valde infenſus eſt, ſiquidem gloriolæ illæ circa promiſſam hujus affectus curam, paſſim per orbem vagantes, admodum vanæ & dubiæ eſſe deprehenduntur, quæ plus in ſpe quam in ipſa re & effectu continent: & dum hoc loco Podagram explicare animus eſt, non placet illius Hiſtoriam diffuſius recenſere, quæ jam abunde & ſatis accurate a Sydenhamio, Baglivio & Stahlio commemorata proſtat, unde potiores reſpectus hiſtoricos annotabo.

Conf. Stahlii Diſp. de Podagræ nova Pathologia.

§. II. Eſt vero Podagra affectus ætatem virilem & conſiſtentem corripiens, ſed adhuc in ſenilem ſeſe extendens, qui ſubjectis plethoricis & de ſpongioſo temperamento gaudentibus, magis vero ſexui virili & hominibus luxurioſe viventibus, activioris animi, ex parte etiam venereis concupiſcentiis & exercitiis indulgentibus evenit; occupat pedes, & ſi contumacior eſt, imprimis corripit genua, & in iisdem aliquandiu cruciatus ſuos exercet, in tantum vero aliquando reliquum pedem

dem deſerit, aut cum doloribus, pedes aliàs affligentibus alternat Gonagricus ille affectus, frequenter etiam cum nephritide calculoſa concurrit, unde Podagrici communiter etiam calculoſi ſunt: quod ſi etiam valde exacerbata eſt hæc Podagra, tunc in affectus arthriticos vagos tranſit, & alias articulationes corporis afficit, maxime vero intra manus ſeſe dimittit easdemque contumacius detinet, & in hoc ſtatu Chiragram conſtituit: quin evenit denique, ut alias partes ſuperiores corripiat, adeoque Nucham invadat, & ex hac lingvam ſimul in conſenſum trahat, hanc vero præcipue retrahat & ad loquelam inhabilem reddat, unde poſtea affectus Gloſſagræ nomine venit, de quo poſteriori ſtatu, utpote maxime exorbitante & anomalico, communiter mala prædicit plebs, quando dicit: man hätte das Podagra ſchon im Genicke, es würde bald gar ausmachen.

§. III. Dolores ipſi non alii ſunt niſi ſpaſmodici, ſtrictorii, extenſorii, tractorii, vibrativi, palpitatorii, huc illuc conſtrictorii, lancinatorii, aliquando in rigore perſiſtentes, aliquando vagi, cum quibus cruciatibus interdum horripilatio concurſat & volatica exæſtuatio intercurrit, inde animus eſt valde impatiens & ſomnus vel nullus vel turbatus: partes affectæ conſpiciuntur conſtrictæ & venæ ſuperficiales in iisdem evaneſcunt, in quibusdam ſubjectis, circa articulationes infimi pedis, vel mox in initiis, vel ſub finem, aliqualis tumor dolens & ardens oritur, imo quandoque rhevmaticus affectus cum tali ſtatu coincidit, affligunt quandoque flatulentiæ, conamina vomibunda, moleſtiæ colicæ & hypochondriorum dolores.

§. IV. Quo acerbius inſiſtit hic affectus, eo certius denique in articulationibus digitorum, ſive pedum, ſive manuum, nodi protuberant, aut e ſuperficie cutis albicans calcarea, tophacea, pulvetulenta ſubſtantia conſpiciendam ſe præbet, de qua fruſtra credunt, quod tartareæ illius proſapiæ ſit, ex qua prædicti dolores vulgo juxta tenorem Pathologiæ falſæ derivantur; quo diutius affectus podagricus duravit, & acerbius continuavit, eo certius denique in contracturam partis, aut ſtuporem ejusdem deſinit: ſævit vero quaſi per paroxyſmos & per ſeptimanas potius, quam ſingulares dies perſiſtit, imo facile animi pathematibus obtemperat, cæterum vero in junioribus ſubjectis corripiens, facile periculoſis converſionibus in interna abdominis viſcera ſpaſmodico-inflammatoriis, & acute febrilibus ſubmittitur, ex quibus non niſi funeſti eventus metuendi ſunt, unde jam in vulgus nota eſt illa obſervatio, quod podagra in junioribus ſubjectis brevitatem vitæ, in adultioribus vero longævitatem indicet; de reliquo, podagra retropulſa non niſi periculoſiſſimorum effectuum certior cauſa evadit.

§. V. Eſt vero Podagra remotius naturæ molimen, per quod cum rigore & vigore ſpaſmodico, Hæmorrhoidum externarum fluxum urget, ſiquidem ſubjectorum Podagricorum conditiones & circumſtantiæ cum hæmorrhoidali negotio

gotio penitus congruunt; & quanquam hæc Hæmorrhagiæ ſpecies in variis ſubjectis nunquam ſucceſſerit, tamen hi ipſi ſpaſmi eò contendunt, quo ſuccedant, & licet ſerius erumpentes Hæmorrhoides podagram non tollant, ex eo tamen liquere poteſt, quid tempeſtiva talis Ventilatio proficiat, antequam motus, qui hanc excretionem proſecuti fuerant, in conſvetudinem degenerarunt: quid quod de reliquo tota Hiſtoria comprobat, quomodo motus ſpaſmodici in Podagra ſangvinem ſuperfluum & per varias cauſas commotum, ad excretionem urgeant, unde etiam in fœminis, quæ minus frequenter hæmorrhoidalibus commotionibus ac viri ſubjiciuntur, rarius Podagra occurrit.

§. VI. Ex eodem fundamentali reſpectu concurrunt & alternant affectus podagrici in genere cum illis motibus, qui ad Hæmorrhagias ſpectant, ſeorſim vero cum illis apparatibus, qui ad Hæmorrhoides externas contendunt: & quemadmodum legitimi & proximiores hæmorrhoidales tales motus refluxum ſangvinis, per Iliacam internam aliquo modo impediunt, ita remotiores hi podagrici ſpaſmi, reditum ſangvinis per Cruralem & ſub connexione per Iliacam externam retardant, ut ita per hunc affectum ex inſolitis viis, vicariam excretionem hæmorrhoidalem, natura urgeat, in quibus tamen viis & locis aliqualis conſenſus, motus progreſſivi ſangvinis, tum in pedibus, tum in locis, hæmorrhoidalibus occurrit; quo reſpectu iterum varices cum podagricis hisce inſultibus congruunt, & ſimul externas hæmorrhoides in communionem ſumunt, dum uni eidemque ſubjecto & ætati accidunt.

§. VII. Sicut ſpasmodici motus facile inſoleſcunt & exardeſcunt, ita per qualescunque offenſiones exacerbati, priſtinum ſuum locum deſerunt & alias corporis regiones corripiunt, tanto magis vero tales, in quibus vel eadem ſpecies Hæmorrhagiæ promoveri poteſt, vel olim alia Hæmorrhagia ſucceſſit, ſive ſpontanea, qualis eſt Narium Hæmorrhagia, ſive artificialis per ſcarificationem, unde Podagra partim ſpaſmos in renibus in communionem ſuam trahit, partim in arthriticos anotericos affectus evagatur & ſub tali anomalia, cum maxima impatientia & immodeſtia, ſangvinis exonerationem proſequitur.

§. VIII. Minime itaque hos affectus juxta vulgarem ætiologiam, ſalinæ & roſivæ efficaciæ adſcribo, ſiquidem illa pulverulenta, calcarea ſubſtantia, magis exarefacta & ſub rigidis ſpaſmis expreſſa lympha, quam tartarus eſt, ſub quibus contumacibus & repetitis ſpaſmodicis partium tendinoſarum conſtrictionibus evenit, ut denique nodoſa talis convolutio & contractura ſuperveniat, ſiquidem immoderati illi ſpaſmi, in tali ætate, quæ contumaciæ in genere magis inhæret, non modo acerbius inſiſtunt, ſed & facilius in habitum abeunt: cum viciſſim in junioribus ſubjectis ſpaſmodici illi motus, inſtabiles & fugaces ſint, adeoque cito

ab

ab extra introrſum retropelli & in alios graves congeſtorios & inflammatorios affectus, qui nobiliora viſcera obruunt, convertuntur.

Conf. Epiſtola mea de Podagra ſine ſale.

CAPUT V.

DE

NEPHRITIDE SIMPLICI.

§. I.

CUm hucusque de ſpasmis per diverſas ſpecies diſſeruerim & in præcedenti conſideratione de Podagra ſignificaverim, quod cum nephriticis pathematibus colludat & alternet, ita vi hujus connexionis agendum jam erit de Nepritide Simplici, in quantum adhuc a calculo libera eſt, utpote quæ tanto magis particularem explicationem meretur, quo frequentius cum perfecto renum calculo confunditur, proptereaque e ſimplici tali ſtatu, denique in calculum verum conjicitur, in quem tamen haud degeneraſſet, ſi non per incongruam medendi methodum eo promota fuiſſet.

§. II. Prodit ſeſe hic affectus in ſimilibus ſubjectis, quibus ſpaſmi in genere & Podagra ſeorſim evenire poſſent, exſerit ſeſe cum multa virium dejectione, internis anguſtiis, appetitus defectu, doloribus in ſiniſtro lumborum latere tenſoriis, ardentibus, acute ſtrictoriis, pulſatilibus & lancinatoriis, frequenter concurrit commotio febrilis, nimirum horripilatio & ſuperveniens æſtus, accidunt conatus vomendi, alvi impeditiores ſucceſſus aut ſtricturæ, anxii ſudores, imminutio urinæ, cui rutilans tamen, qualiscunque etiam excernitur, color & conſiſtentia adeſt, donec poſt aliquot dies, paulo largius effluere incipiat, quæ tota turbida, limoſa, & craſſa eſt, adeoque multum ſpiſſum limoſo-roſeum ſedimentum dejicit; abhinc ſucceſſive affectus imminui incipit & ita decurrit, donec alio tempore denuo ſubjectum invadit; quando itaque hic affectus legitime tractatur, nondum in actualem calculum degenerat, ſi vero pro calculoſo affectu æſtimatur & curatur, tunc tandem in perfectum calculum deſinit, quando ex hoc affectu ſuppuratio in renibus contigit; ubi judicio opus eſt, circa diſcernendam illam materiam, quæ cum Urina effluit, an vere purulenta ſit, an vero alia ſpiſſa & limoſa exiſtat.

§. III. Hæc Nephritis, quamdiu adhuc ſimplex eſt, conſiſtit in acerbiore congeſtione ſangvinis intra renem, cum ſpaſmodico motu conjuncta, quæ per accidens in ſtagnationem aut ſtaſin ſangvinis excurrit, cui reſolvendæ inflammatio accidit, ne putredo oriatur; primarius vero ſcopus prædicti motus congeſtorii eſt,

quo ſangvis hæmorrhoidalis vel promoveatur vel emoveatur, unde hic affectus conſtituit vagum, anomalum & vanum quoddam molimen hæmorrhoidale, ſiquidem progreſſus ſangvinis per renes & per loca hæmorrhoidalia aliquam affinitatem habet.

§. IV. Quo vero tale hæmorrhoidale molimen ad renes dirigatur, contribuit vel frequens exercitium Venereum, vel diæta ſpirituoſa & vinoſa, quæ non modo in genere ſangvinis fortiori commotioni inſervit, ſed & diureſin copioſiorem provocat, unde communiter Nephritici tales homines eſſe deprehenduntur, qui alicui harum cauſarum frequentius indulgent: ob id etiam præſens affectus in illam ætatem incidit, in qua Hæmorrhoides ſuccedere poſſent, ſiquidem viciſſim tempeſtivæ ſangvinis imminutiones & reliquum tam animi quam corporis regimen congruum, eundem affectum præoccupat.

§. V. Dum congeſtiones ad renes diriguntur & ſpaſmodici motus conjunguntur, non modo hoc tempore urinæ excretio impeditius ſuccedit, ſed & unà alvus occluditur, ſiquidem utraque evacuatio in aliqua communione conſiſtit: pauca vero illa urina, quæ per ſtrictiores renes tranſit, ex tenuioribus, magis ſulphureis & ſeroſis materiis conſtat, & dum ſub fortiori tali congeſtorio-ſpaſmodica commotione ſtaſis in anguſtiori renum textura oritur, propterea inflammatorius motus, huic accidenti ſupervenit, cum quo febrilis motus & reliqua ſymptomata, quæ aliàs febrem ſtipare ſolent, coincidunt; quæ commotiones vero, ſi per medicamenta & regimina calefacientia magis exacerbantur, loco diſcuſſorii effectus, in ſuppuratorium abeunt, ut facto tali abſceſſu poſtea tanto facilius verus calculus ſuboriri queat.

§. VI. Si vero prægreſſa congeſtio aut inflammatio, in hoc affectu aliquo modo remittit, tunc denuo urina paulo largius ſecerni incipit, & propterea non modo ſerum vulgare ſeparatur, ſed & ſub aliquali continuatione congeſtionis, alii humores ſulphurei, ex parte lymphatico-mucilaginoſi transmittuntur: denique in hoc affecto primario ſiniſter Ren laborat, cum in adultiori hac ætate natura uſitatius ad ſiniſtrum latus motus ſuos transferat, quoniam ob qualecunque decrementum priſtinæ activitatis, vires ſuas ad dextrum latus vegetius applicare haud amplius continuat, interim etiam contingit, ut hoc affectu gravius inſiſlente, ſimul alter Ren in conſenſum trahatur, quoniam aliàs ordinariò in vitali œconomia ad unum eundemque actum Renes uſurpantur.

CAPUT

CAPUT VI.

DE

NEPHRITIDE CALCULOSA.

§. I.

HUic tractationi mox ad latus pono alteram Nephritidis considerationem, videlicet pathologiam Calculi Renum, quam tanto magis hoc ordine commendo, quia dolores calculosi quoad principaliorem suum statum non alii, quam spasmodici sunt; quando per motus in affecto rene constrictorios præsentis calculi remotio urgetur; deinde vero ex ipsa Historia affectuum fluit, quam sæpe verus calculus renalis ex nephritide simpliciori ortum trahat.

Conf. Stahlii Disp. de Nova Pathologia Calculi Renum.

§. II. Circa historicam præsentis affectus delineationem non male observarunt tum medici, tum reliqui homines, qui imprimis calculum metuunt, juxta Sydenhamii & Baglivii allegationem, quod tam Calculus quam Podagra plures divites quam pauperes, plures sapientes quam fatuos corripiat, & quod Vinum, Venus, otium & crapulæ sint primi parentes calculi & podagræ: qua commemoratione breviter indicare volo, quomodo subjecta, quæ calculo obnoxia redduntur, eadem sint, quæ in genere tam ad spasmos, quam deinde ad podagram inclinant, imprimis temperamenti sangvinei & vitæ generis luxurioſi, conspirante illa ætate adultiori & consumata virili, quæ motibus hæmorrhoidalibus alioquin exposita est.

§. III. Hinc Renum Calculus fidus & assiduus comes est, tum Hæmorrhoidum externarum, tum aliorum moliminum ad externas Hæmorrhoides tendentium, uti etiam cum arthriticis & ischiadicis affectibus alternat: communiter præcurrit calculum renum Nephritis simplicior, aliquando præcurrit illum, interdum vero etiam una concurſat Mictus Cruentus, qui vel ex activa destinatione, vicariam hæmorrhoidalem ventilationem constituit, vel passive ex læsione, quam acutus calculus intulit, decurrit: siquidem etiam constans observatio est, quomodo post fluxum hæmorrhoidalem suppressum, ipse hic affectus oriatur.

§. IV. Exserit sese Calculus Renum, cum doloribus, & cruciatibus maximis & quasi intolerabilibus, quare vulgo calculi dolores ad summos dolorum gradus referuntur: species horum dolorum sunt strictorii, constrictorii, tensorii, punctorii, lancinatorii, cum quibus maximi angores interni concurrunt, ut & impedimenta excretionis urinæ, virium & appetitus gravia decrementa, agrypnia, maxima inquietudo & quo insolentiores hi sunt dolores, eo certius aliquando vel febriles vel convulsivi motus coincidunt: alvus communiter est inordinata, non

raro penitus occluſa & præcurrit imo concurrit ſatis frequenter, cum affectu hoc Vomitus, denique etiam evenit, ut ſub talibus doloribus calculus ex urethra prematur, & poſtea aliquamdiu dolores acquieſcant atque ceſſent, ſed per intervalla recurrant; quemadmodum imprimis animi pathemata & diætæ vitia, nec non immoderatæ commotiones corporis ad revocandos paroxyſmos calculoſos ſatisfaciunt.

§. V. Eſt itaque Calculus Renum conſectarium moliminis hæmorrhoidalis, quod renes occupavit, & in ſuppurationem ſub ſimplice Nephritide tranſiit, qui abſceſſus vero apoſtematicus, quoniam ob defectum neceſſariæ mundificationis & conſtantem affluxum ſeri acrioris in abſceſſum helcodeum abiit, ita in tali facie ad calculi geneſin diſponit, quando ſanies illa aut ulceroſa materia in affecto rene collecta atque in foveolis coacervata ſucceſſive indureſcit & lapideam conſiſtentiam aſſumit, ſiquidem communiter calculus renum abſceſſum in rene involvit: quando itaque ejusmodi calculi in rene hærent, atque hanc partem per intervalla dolorifice afficiunt, tunc bona & rationabili intentione natura per ſpaſmodicam renum commotionem e pelvi & tunc per Ureteres in Veſicam, quin denique ex Urethra eosdem exprimere contendit: & quo in hoc conamine melius & facilius ad ſalutarem effectum pertingat, prævio quodam actu e Ventriculo incommodam, adverſam & coacervatam ſaburram aut ciborum paſtam per vomitus expellere laborat.

§. VI. Invitatur & provocatur non raro eadem natura ad hanc calculorum proſecutionem per animi pathemata, imprimis per ſuppreſſam iracundiam, dum eadem interne præſens adverſum objectum expellere & abigere nititur, quoniam morale inimicum objectum avertere non potuit: deinde huc quadrant illæ cauſæ, quæ calculos in ſuis latebris commovent, quo affectam partem offendant, aut quæ ulcus in renibus depravant, & copioſiorem materiam pro augendo calculo idoneam, ex diæta provenientem, ſuppeditant, quibus incommodis præoccupandis natura ſpaſticos tales motus opdonit, ut augmentum, ſupplementum & concrementum calculoſum tempeſtive eliminet; neque illæ denique cauſæ oblivioni tradendæ ſunt, quæ in locis affectis motus magis provocant, quod contingit per inopportunum diureticorum uſum, quem ſtimulum mox ſequitur natura, adeoque præſens adverſum ſubjectum excretoriis hisce motibus urget & proſequitur.

§. VII. Quando etiam evenit, ut citra prægreſſam ſuppurationem ex congeſtoriis tantum motibus ſtaſis ſangvinis & corruptio, ob frequentem ſeri acceſſum non putrida, ſed ulceroſa orta eſt, aut quando ex iisdem congeſtionibus ſcirrhus in rene natus in meditullio ſuo talem corruptelam aſſumſit, tunc etiam ex hisce initiis, calculus generari poteſt; undecunque vero ipſe ortum traxit,

traxit, toties immedicabile reddit malum; quin evenit, ut si magis magisque Ren ulcere tali consumtus est, interdum natura cum febrili hectico motu, auxilium quoddam tentet, qui status hujus affectus tunc illum morbum præsentat, quem antiquiores Phthisin renalem vocarunt: interea vero sontica illa seri excretio magis imminuitur, donec denique diu vexati miseri tales patientes vitam cum morte commutent.

§. VIII. Quando per Spasmos illos non modo affectus, sedetiam alter illæsus Ren afficitur, tunc eo ipso urinæ secretio impeditur, id quod etiam contingit, quando spasmi in Ureteres continuant, aut quando calculus in vesicam transpressus, collum & exitum hujus deobstruit: de reliquo circa ultimam calculi expressionem ex Urethra ob longitudinem hujus, viri majores dolores, quam fœminæ experiuntur.

CAPUT VII.

DE

CALCULO VESICÆ.

§. I.

DUm in præcedente capite de Renum Calculo actum fuit, ita mox pro meliori discretione & intellectu Vesicæ Calculum explicabo, quæ tractatio cum præcedentibus in eo aliquo modo cohærere videtur, quoniam varii spasmodici motus multum urgentes & angentes, concurrunt: quamquam ita simpliciter hic affectus consectarium quoddam motuum hæmorrhoidalium non constituat, ni in senibus, e renum calculo talis vesicæ calculus ortum traxerit.

§. II. Quoad brevem historicum hujus calculi conspectum, notandum est, quod hic affectus calculosus, juniori, infantili & ex hac etiam puerili ætati obtingat, adeoque per aliquam hæreditatem a parentibus propagetur, qui arthriticis, podagricis, nephriticis & calculosis affectibus laborarunt, in quibus tales extraordinariæ commotiones, quæ vias urinarias in consensum traxerunt, successerunt; ut adeo mox in infantibus eadem extraordinaria commotio, congestio & secessio contingat.

§. III. Subjiciuntur ita affecti multiplicibus impeditis successibus Urinæ, unde mox stillicidium, mox suppressio, mox ardor, mox involuntaria urinæ fluxio supervenit, deinde per intervalla, varii indolentes sensus spastici, tensorii & strictorii, in vesica & circa illam, adeoque in regione pectinis, oriuntur, cum virium & appetitus jactura atque successive invalescente tabe: subinde admodum turbatur excretio alvina & urina effluit turbida atque crassa, quin denique sub talibus

libus doloriſicis conatibus vel calculi, vel ſpiſſus mucus exprimuntur, aut aliàs ita affectis per chirurgica artificia actuali ſectione calculus major eximitur.

§. IV. Et quamquam interdum tali artificioſa methodo junioribus ſubjectis calculus e veſica extrahatur, illud tamen denuo ſupervenit incommodum, ut regeneretur atque priſtinos cruciatus reiteret: evenit etiam ut ſubjecta juniora ob veſicæ calculum, tandem tabe affligantur, aut atrophia corripiantur & ſub multa pathematum complicatione & confuſo morbi ſchemate, quod credula plebs incantationi adſcribit, pereat, quando vero ſenibus veſicæ calculus obtingit, tunc communiter obſervatum fuit, quod hic e calculo renali ortum traxerit, ut diſfractus veſicæ calculus in meditullio ſuo exiguum calculum renalem continuerit: de reliquo ſimiles dolores in adultioribus hic calculus cauſatur, ac in junioribus.

§. V. Hujus calculi veſicæ geneſin magis adſcribo vitio motuum quam materiarum, ſiquidem ob illud vitium intra veſicam magis magisque ſub congeſtionibus ſubtilioribus largior muciditatis quantitas ſequeſtratur, quæ ab urina ſalſa, ſpiſſior reddita e centro & meditullio quaſi ſucceſſive exareſcit, cui moleculæ poſtea affluens & alluens mucus, denuo adhæreſcit atque lamellatim concreſcit, ut denique lapillus notabilis magnitudinis inde prodeat, qui vel ſub ſpasmodicis commotionibus expreſſus vel chirurgica arte exemtus in ſuperficie totus mucidus & humidus eſt, mox vero exſiccatur & ſi diffringitur lamellatam ſuam cohæſionem conſpectui offert; ſi itaque motus prædicti deſunt, calculus talis non generatur.

§. VI. Ab hoc motuum vitio etiam provenit, ut ſi calculus talis extractus & veſica liberata fuit, cum tempore novus regeneretur, quando itaque ejusmodi calculus non modo veſicam multum moleſtat, ſed & collum illius frequenter obruit, tunc eo ipſo ad ſpaſmos illos excitandos contribuit, quibus cum natura ſeſe ab hoc moleſto & præternaturali objecto liberare contendit: interea vero tam diverſa illa impedimenta, quæ e præſentia hujus calculi & urinæ & alvinæ excretioni accidunt, quam ipſæ illæ inſolitæ, ſpasmodiæ, contractiones in abdomine occurrentes, admodum offendunt negotium concoctionis, chylificationis & connexæ nutritionis in junioribus ſubjectis, ut propterea partes glanduloſæ, maxime in abdomine ab infarctu impuritatum mucido-ſeroſarum nimie oneratæ, futuris atrophicis & tabidis conſecutionibus anſam præbeant: in adultioribus vero conſtans hæc moleſtia ad hecticas commotiones diſponit.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

DE

CONVULSIVIS MORBIS.

§. I.

SPaſmodicorum motuum & morborum hactenus quoad fundamenta ſufficiens mentio facta fuit, unde jam per gradus aſcendo & de Convulſivis Morbis agere volo, utpote qui in extremo & ſummo tonici motus augmento conſiſtunt, adeoque affectus horridos & miſerandos conſtituunt, qui vero etiam propter hanc qualitatem non ita frequentes ſunt, (excepta ſola Epilepſia) ac alii quidam & mitiores affectus exiſtunt: exſerunt vero ſeſe tales Convulſivi Morbi, per motus convellentes & vehementer quaquaverſum trahentes & torquentes, tanto impetu & tanta vehementia, ut pro uno tali motu compeſcendo, haud ſæpe duorum & plurium virorum unitæ vires quadrent & ſatisfaciant.

§. II. Comprehendunt hi motus partes communiter externas muſculoſas, tam capiti, quam brachiis, pedibus & dorſo annexas, quæ partes itaque tanta crudelitate & vehementia vel rigide & fixiori tenacitate tenduntur & extenduntur, vel huc illuc repente trahuntur, retrahuntur, contrahuntur, torquentur, alliduntur, attolluntur & projiciuntur, ut mirum interdum ſit, qui partes ſub tanta violentia non dilacerentur & diffringantur; communiter vero hi motus rationis & ſenſuum impotentiam inferunt, proinde ſuſpectas vertigines præmittunt, aut oculorum caligines, vel extremitatum horrores, quid quod magnas præcordiales anguſtias aut propenſiones in Lipothymias atque torporem animi, donec interdum cum ſummo clamore in miſerrimum talem affectum deplorandi patientes incidant.

§. III. Horum Convulſivorum Morborum quidam ſunt idiopathici, qui ex cauſis ſubtilibus, idealibus ſive moralibus fluunt, adeoque per exquiſita intervalla, aut ſecundum mutationes eminentiores lunæ & interdum etiam tempeſtatum & anni temporum revertuntur, qui ipſi propterea curatu difficiliores ſunt, alii vero ſunt ſymptomatici, qui aliis cauſis cum corpore connexis & diverſis hujus afflictionibus opponuntur, ex hiſce quidam cum certis excretionum ſpeciebus ſive vomitibus ſive alvinis ſive ſangvinis ſive ſpermatis excurrunt, quidam vero ſine talibus decurrunt.

§. IV. Et quanquam hæ convulſiones extremis motus tonici gradibus abſolvantur, tamen hi motus tam fontici non æque turbulenti & omnis finis atque te-

reſpectus expertes ſunt, unde rectius per hos motus natura aliquam promotionem & emotionem in extremo gradu proſequitur, quæ alias hoc tono in ordinario vitalitatis ſtatu utitur, quando ſalutares & neceſſarias objectorum, circa quæ verſatur, promotiones & evacuationes intendit, ſicuti notabilis eſt illa communis obſervatio, quomodo juniores homines communiter in morbis cito & vegete decurrentibus cum convulſionibus moriantur, quibus ipſis natura tanquam ultimo conamine ſui corporis defenſionem & ſalvationem intendit.

§. V. Et licet hi motus non æque reſpondeant affectibus, tamen in extremis ſuis gradibus reſpondent intentionibus naturæ, ſiquidem in moralibus non ſemper extremæ quædam actiones ad prævisos & præfixos ſcopos pertingunt, & hac ratione interdum natura ſeu et liberare nititur a maxime adverſo objecto ideali, quod firmiter & cum magnis anguſtiis & conſternationibus in animo hæret, uti ſunt vehementes & extremi terrores, quam horridam ideam tali motu excutere quaſi laborat, unde idiopathici tales morbi convulſivi prodeunt, qui ſequuntur qualemcunque ſubtilem offenſionem patheticam & in ſenſationem ſubtilem atque tacitam incidentem: & cum circa talium convulſionum adminiſtrationem tam delicata & ſenſibilis exiſtat natura, ita circa repetendas ſimiles convulſiones, tam ſubtilibus monitoriis atque periodis auſcultat & juxta mutationes macrocoſmicas, quæ ſubtili ratione ſenſum afficiunt, motus tales convulſivos reiterat.

§. VI. Deinde occurrunt etiam tales cauſæ, quæ corpus noſtrum affligunt, quibus ſuperandis & expugnandis eadem natura per convulſivos motus operam dat, quo interdum valet vel nimia ſangvinis ſpiſſitudo, vel urgens atque turgens plenitudo, quæ cum Euphoria antehac ventilata fuit, nunc vero cum maxima moleſtia retinetur, cui ſpiſſitudini corrigendæ & plenitudini imminuendæ hi motus applicantur; præterea huc ſpectant aliæ cauſæ, quæ vel partes nimium ſenſibiles valde offendunt, vel quarum remotioni ipſe animus cum multa, profunda & anxia meditatione & imaginatione intentus eſt, ſicuti hoc nomine conſtant illi amores taciturni, ſed contumaces & intimi, accedunt interdum Vermes, qui convulſionibus cauſam præbent, maxime vero in ſubjectis junioribus & ſenſibilioribus, quid quod experientia docet, quantum valeant Menſium perturbationes ad concitandas ejusmodi convulſiones: ſiquidem de reliquo variæ obſcuriores cauſæ occurrunt, quas denique eventus aliquando manifeſtat, omnium maxime vero præſtat in hac ætiologia obſervare illas cauſas, quæ ſenſibilitati & conſvetudini individui valde ſunt adverſæ.

CAPU

CAPUT I.

DE
DIVERSIS CONVULSIONUM SPECIEBVS.

§. I.

SIcuti modo generalem convulsionum conspectum & rationem tradidi, ita jam ad commemorandas varias convulsionum species progredior, inter has vero tales occurrunt, quæ vulgo spasmodicis motibus accensentur, sed cum harum indoles sit acerbior, subinde etiam talia phænomena concurrant, quæ convulsionibus essentialia sunt, ita easdem in tantum convulsivis morbis hoc ordine annumero.

Conf. Stahlii Disp. de Spasmis.

§. II. Ex hisce vero primo occurrit TETANUS, qui constituit rigidam totius corporis tensionem, secundum longitudinem, aut in recto quodam situ, sub quo communiter sensus obnubilantur, ratio vero interdum præsens est, interdum etiam evanescit, donec post aliquam moram Paroxysmus talis discedat & in proximis temporibus iterum revertatur.

§. III. Sequitur EMPROSTHOTONUS, quo Corpus antrorsum convellitur & incurvatur, ut mentum pectori & genua capiti adducantur, interdum etiam leves artuum convulsiones, sensuum & rationis obscurationes, atque reliqui vigoris habetationes, cum eodem concurrunt, quæ species similter per intervalla redit.

§. IV. Excipit OPISTHOTONUS, quando corpus retrorsum incurvatur & supino motu inflectitur, ut occiput versus dorsum & coxæ ad scapulas contrahantur atque abdomen quasi excavetur, qualis convulsio cum prioribus per horas interdum durat & quæ posterior species, familiariter cum epilepticis insultibus una affligit.

§. V. INCUBUS est famigerata illa convulsio, qua thorax, imprimis vero anterior pectoris pars, dormientibus rigide constringitur, ut sub somno anxie inspirent subjecta, & cum gemitu atque boatu loquela destituti cum maxima præcordiorum angustia expergefiant, remanente eximia lassitudine & efflorescentibus nonnunquam maculis rubicundis, vel lividis, sive in artubus, sive in pectore, qui affectus mox remittit, quando ita affecti homines expergefacti, corpus vel membrum aliquod movere inchoant; de quo affectu superstitiosi homines fabulam illam recensent, quasi noctu a lamiis, sagis & lemuribus compressi fuerint; & ita etiam SUCCUBUS similis pectoris convulsivus affectus est, subjectis voluptuosis & lascivis obtingens, qui præter prædictam respirationis strangulationem, cum insomniis lascivis conjungitur.

§. VI. Huc porro pertinet CYNICUS SPASMUS, qui consistit in distractione & rictu oris contumaci, per aliquot horas perseverante, sed qui etiam utplurimum periculosum successum & eventum involvit, siquidem vel perfectæ Epilepsiæ, vel Apoplexiæ, aut Hemiplexiæ mox superveniunt.

§. VII. Alia est Convulsionis species, quæ CATALEPSIS audit, affectus inter reliquas convulsiones admodum rarus, qui subito subjectum comprehendit & in illo statu & situ detinet atque obrigescit, in quo illud offendit, ita ut eosdem gestus, tum cum facie, tum cum reliquo corpore servet, fixos apertos & immobiles oculos teneat; utplurimum vero ita affecti homines, mente privati observantur, donec post unam vel alteram horam hic affectus exspiret: cum hoc affectu vulgo conjungunt CATOCHUM, quem tamen etiam quidam ex veteribus a catalepsi discernunt, dum Catochum cum affectu illo concurrere asserunt, quem Vigil Coma appellant, qanquam hæc discrepantia parum in recessu habeat.

§. VIII. Accedit RISUS SARDONIUS, qui cum Cynico spasmo eandem censuram incidit & in gravi oris distorsione consistit, sed simul cum rationis mutatione & alienatione delira, si non plenaria abolitione, conjunctus est.

§. IX. Hisce speciebus annumero SATYRIASIN & PRIAPISMUM, quorum affectuum prior ex libidinosa imaginatione ortum trahit & in membri virilis insolita erectione ac intumescentia consistit, continuante illo œstro venereo: posterior vero involuit dolorificam & vehementem cum multa perturbatione animi & angore conjunctam erectionem & violentam tensionem illius membri.

§. X. Denique agmen claudit famosus ille affectus, qui CHOREA SANCTI VITI vocatur, de cujus prima observatione historiolæ quædam, facile dixerim, efflictæ fabulæ, recensentur; hic affectus consistit in volubili illa, imprimis pedum, agitatione, ut patientes quasi saltare videantur, quale specimen occurrit in Tarantismo cujus in inferioribus mentio injicienda erit, licet cæteroquin passim observatores similes historias de tali affectu recensere queant.

§. XI. Non placet in plures specialissimas convulsionum species, quæ post ingesta venenosa & veneficia adhibita, observatæ sunt, excurrere, utpote quæ sub certo & distincto schemate haud occurrunt.

§. XII. Quoad ætiologiam harum convulsionum, eædem rationes, quæ in generali convulsionum Pathologia traditæ sunt, conferri merentur, siquidem ad diversas horum convulsivorum motuum species, tenaces imaginationes, anxia & immoderata desideria, cupiditates cum multo fervore atque œstro stipatæ, aut graves & repentini terrores, contribuunt.

§. XIII. Proinde etiam interdum occurrunt tales causæ in corpore,

quæ

quæ ſecretoriam & excretoriam functionem cum motu tonico præſtandam involvunt, aut quæ partes, ad uſus vitales ſedulo adhibendas, in ſubjecto ſenſibili & ad excedentes motus prono & præcipiti, valde lædunt atque offendunt, quo pertinent partium nervoſarum & tendinoſarum violationes, vel morſus ab animalibus inflicti, qui cum multo terrore excepti fuerant.

§. XIV. Denique in conciliatione cauſarum non prætermittenda eſt hæreditaria diſpoſitio, quæ ex idealibus conatis rationibus oritur, in quibus ſingulis vero animadverſionibus anima objectum, quod ſibi repræſentat vel adhuc in firma idea continet, aut inimicum, noxium & adverſum in corpore ſuo præſens tanto impetu, tanta extremitate & exceſſiva vehementia & violentia proſequitur & ad ultimam excluſionem atque remotionem urget, quanquam hunc ſcopum raro, ob vehementiam actus, aſſequatur.

CAPUT II.

DE

EPILEPSIA.

§. I.

EConvulſionum numero & ſpecie nulla frequentior occurrit, quam Epilepſia, ita ut ferme nullus homo, quantum quidem in noſtris oris conſtat, deprehendatur, cui non in vitæ ſuæ curriculo, imprimis vero in infantia, hic affectus obtigit; unde eundem præ aliis convulſionibus, ſeorſim ſelegi, cujus ratio & indoles penitius commendanda eſt.

§. II. Familiarius Epilepſia infantili ætati evenit; non tamen deſunt exempla ſatis numerica adultiorum ſubjectorum, quæ a prima infantia hoc malo per conſvetudinem laborant; ipſe affectus quoad diagnoſin ſatis conſtat, ubi in eodem motus vehementer convellentes, corpus & membra attollentes, ſuccutientes, huc illuc torquentes, occurrunt, una cum pollicum compreſſione intra manus, rationis & ſenſuum exſpiratione, dentium ſtridore, oculorum horrida diſtractione & auſtero conſpectu atque ſpumæ præſentia ante os: in quibusdam ſub tali paroxyſmo multi clamores ſuccedunt, quædam ſubjecta interdum ſimul & ſemel, vel dum vigilant, alia vero dum dormiunt, hoc affectu corripiuntur: in aliquibus antecedunt obſcurationes oculorum & caducæ, vertiginoſæ perturbationes, in quibusdam oculis antea obverſantur ſcintillulæ ſplendidæ, in aliis extremitates refrigeſcunt, aut in iisdem inſolitæ tenſiones oriuntur, ſicut paſſim Medici mentionem injiciunt, de Epilepſia e pedibus aſcendente.

§. III. Missis specialissimis circumstantiis, quæ ad Historiam Epilepsiæ spectant, illud adhuc indico, quomodo & medici & plebs discernant, inter Epilepsiam internam & externam; de priori asserunt, quod in intestinis adhuc lateat, proptereaque eandem vocant Epilepsiam intestinorum die Darm-Seuche/ das innerliche böse Wesen/ quam dijudicant ex oculorum austeritate, varia oris retractione, facici morosiori conspectu, insolito quodam ejulatu, & commotionibus quibusdam in abdomine atque pedum calcitrationibus; deinde etiam notari debet, quomodo paroxysmus Epilepticus interdum cum diversa excretione, sive alvina sive vomibunda, sive sangvinea, sive in adultioribus masculis, spermatica, decurrat.

§. IV. Est subinde Epilepsia alia idiopathica, quæ juxta Lunæ mutationes ingruit & repetit, alia vero est symptomatica, quæ excipit in infantibus dentitionem, Vermes, variolas, morbillos, graves affectus pectoris, obstructionem alvi, retentam flatulentiam, nimiam oppletionem Ventriculi, retropulsam scabiem, aut retropressos achores &c. alias vero etiam in adultioribus sangvinis plenitudinem & spissitudinem insolitam & valde molestam, nec non diversas alias causas sequitur, quæ pro vitali usu, excretione quadam vegeta & tempestiva indigent.

§. V. Circa causalem Epilepsiæ explicationem eadem monenda sunt, quæ in superioribus de convulsionibus dicta fuerant; imprimis vero hic affectus infantili ætati familiaris observatur, non quia infantes debiles, sed quia magis sensibiles sunt, adeoque ex vitali quadam legitimæ atque lenioris methodi, extraordinariis circumstantiis opponendæ, imperitia, facilius in excessum talem delabuntur, in qua ætate natura collectis omnibus viribus huic causæ resistit quæ eandem intensius offendit: siquidem alias hæc convulsio homines sensibilioris animi corripit, utpote quæ sensibilitas proinde ad impetuosas tales methodos inveniendas & exercendas quadrat.

§. VI. Sunt vero objecta illa quæ ad Epilepsiam disponunt, vel moralia vel materialia, ad priora pertinent horridæ, terrificæ & maxime adversæ ideæ, quæ tam firmiter animo inhærent eundemque molestè angunt, ut proinde ipsa anima tali motu earundem repentinæ & efficaci excussioni, cum maxima impatientia & incontinentia insurgat, quali alias in vitalibus occurrentia objecta profligare solet: cum tali idiopathica Epilepsia vero Lunæ eminentioribus immutationibus obtemperat, quæ observatio magis in facto, quam in modo fiendi assumenda est, siquidem quoad specialissimam explicationem communio œconomiæ vitalis cum siderum motu, quoad eundem modum fiendi admodum abstrusa existit, licet modus effendi abunde constet: quid vero personalis sensibilitas

tas circa diversas temporum & tempestatum mutationes valeat, quotidianis exemplis occurrit & innotescit.

§. VII. Cæterum etiam causæ quædam sensui vitali admodum adversæ in corpore occurrunt, quæ ipsam œconomiam vitalem concernunt, sive eædem ipsas partes teneras & sensibiles afficiant, sive certarum functionum animalium aut vitalium ordinem & successum valde violent, sive universum motuum vitalium progressum alterent, sive sonticam aliquam corruptionem comminentur, sive nobiles & ad usus vitales valde necessarias partes suspecto modo inficiant & afficiant, quibus omnibus & adhuc diversis aliis, in easdem classes referendis causis, natura commota præsentes epilepticos motus opponit.

§. VIII. Et licet hi motus proprie atque directe effectibus hisce non respondeant, attamen ipsa harmonia inter intentionem & effectum, veritatem asserti nostri satis confirmat: hinc sæpius in infantibus Epilepsiæ cessant, quam primum necessariæ & salutares excretiones obtentæ sunt, testimonio eruptionis dentium, evacuationis vermium, efflorescentiæ exanthematum, restitutionis inquinamentorum ulcerosorum fermentativorum ab interioribus & nobilioribus ad exteriores & ignobiliores partes, vomituum, quales evacuationes, si Epilepsia non idiopathica, neque habitualis est, etiam in adultioribus subjectis occurrant.

SECTIO SEPTIMA.

DE

DIVERSIS SPONTANEIS EXCRETIONIBUS ET MOLIMINIBUS EXCRETORIIS SALUTARIBUS.

§. I.

POsteaquam in præcedentibus tractationibus, ad fluxus & motus sangvineos recte commendandos, potiorem respectum in præsenti pathologiæ medicæ filo direxerim, ita ordo me nunc ducit ad diversas alias evacuationes, & commotiones excretorias exponendas, quarum scopus in genere perinde salutaris esse deprehenditur, quæ circa diversas materias, tum fluidas & mobiles, tum etiam halituosas & flatulentas, tum seorsim bilioſas aut alias spissas atque crassas versantur.

§. II. Sicut enim corpus nostrum animale, variis adversis accidentibus expositum est, quæ vel inimicarum & superfluarum substantiarum ingestione, vel utilium & necessariarum materiarum nimia attenuatione & dispersione, vel

ordinariarum impuritatum majori deterioratione, vel utilium fluidarum partium impediriori progreſſione nituntur, ita ex officio naturæ humanæ fluit, quo quibuslibet talibus periculis & detrimentis tempeſtive proſpiciat, adeoque moleſtas, ſuperfluas & noxias ſubſtantias eliminet, vel neceſſarias puras & bonas legitime tractet & in juſto motu conſervet, eo ipſo vero corporis ſui integritati promovendæ operam det.

§. III. Inter alias vero regiones præcipue primæ viæ, multiplicibus inquinationibus & impuritatum coacervationibus ſubjectæ ſunt, quæ non modo has partes in ſe ſpectatas valde aggravare, earumque functiones alterare, ſed ſucceſſive reliquos tranſeuntes humores, lymphaticos, chyloſos & ſangvineos inquinare ſolent, ut & viis & humoribus non exigua vitia accidant, hinc tam variæ ſpeciales commotiones excretoriæ, circa has regiones oriuntur, quæ licet interdum etiam periculoſe ſuccedant, interdum plane funeſte exeant, tamen genericam ſalutarem deſtinationem continent.

§. IV. Interdum etiam accidit, ut in hiſce locis materiæ quædam contineantur & coacerventur, quæ quidem in ſe noxiæ haud ſunt, ſed quæ partes tales nimium extendendo, moleſtè afficiunt, adeoque in tantum impediunt, quo minus eædem juſtis ſuis functionibus ſatisfaciant, ſicut etiam non raro contingit, ut dum in hiſce primis regionibus tonici motus ſpecialiores directiones alios effectus concernant, tunc in diverſis partibus ordinariæ vel ſecretiones & excretiones, vel promotiones materiarum tractandarum & humorum, non ſufficienter ſuccedant, ſed diverſi infarctus & variæ inflationes & coacervationes proximius excipiant, quibus poſtea molimina excretoria opponuntur: quales excretiones & motus excretorios propterea in ordine ſeorſim explicabo.

CAPUT I.
DE
VOMITV.

§. I.

VEhemens & violenta hæc eſt excretio, quæ per Motus acriter ſpaſticos & impetuoſe conſtrictorios inverſos in Ventriculo adminiſtratur, qua mediante, materia, quæ Ventriculum communiter moleſte afficit, aut interdum unà in inteſtino duodeno delituit, rigide & rigoroſe excutitur, ſive fuerit ſpiſſa, mucida, aceſcens, ſive bilioſa, ſive ex ingeſtis alimentis reſidua & inconcocta, ſive alia, quæ pro diverſo gradu mobilitatis ſuæ & diverſa promptitudine & conſvetudine ad vomendum, facilius vel difficilius expellitur.

§. II.

§. II. Occurrit Vomitus in Vita humana satis frequenter, sive idiopathice sive symptomatice: quædam subjecta ita promte atque facile vomunt, ut si vel excessum in diæta commiserunt, vel cum ira & terrore commota sunt, vel insveta alimenta & potulenta assumserunt, vel nauseam aliquam conceperunt, mox ad vomendum urgeantur: aliquibus etiam usitatum est, ut periodice & annuis quidem recursibus, imprimis verno tempore, vegete multam mucidam impuritatem evomant & quidem cum euphoria, qualem Vomitum repressum & turbatum varia Dysphoria excipit: & talis est vomitus idiopathicus.

§. III. Symptomatice Vomitus comitantur repressam diuturnam adstrictionem alvi, suppressam flatulentiam, catarrhales oppletiones pectoris, maxime in infantibus, herniam incarceratam, aliquando scirrhos in hypochondriis; non raro in initiis febrium acutarum occurrunt, atque strenue continuant, deinde excipiunt graves capitis violationes, contusiones aut vulnerationes, omissis adhuc pluribus specialioribus vomitus concursibus, qui posteriores licet satis periculosi sint, non tamen omnis salutaris respectus expertes esse deprehenduntur.

§. IV. Utut itaque impetuosa hæc sit excretio, neque a se ipsa & confuso aut perturbato Ventriculi Mechanismo oriatur, sed omnino ita proportionata atque efficax existat, quo inversa etiam peristalsi, tamen efficaciter aliquid e corpore extrudatur, aut ad excretionem urgeatur, ita omnino aliquid salubritatis ipsi inest, dum natura per hanc aliquid molestum vel noxium, quod vel in ventriculo hæret, vel deorsum commode expelli non potest, prosequitur, unde consultius est, quo acrem bilem tempestive evomat, quam si eandem retineret, quæ quidem non illius excretionis efficiens, sed impulsiva & objectiva causa est; sicut flatus angentes & urgentes, ab inferna emissione interceptos, salutari conamine sursum projicit & ab iisdem partes suas liberat.

§. V. Similiter Vomitus qui febres præcurrunt, non præternaturales sunt, sed potius per eosdem natura tempestive tam Ventriculum, quam viciniam organorum eorum, in & cum quibus eadem absterſiones, resolutiones & secretiones febriles impostorum perpetrat, liberare & a molesta atque adversa materia repurgare & ventilare contendit, ne sub reliquo decursu febrili, actui huic fontico aliquod impedimentum accidat & intercidat.

§. VI. Licet eadem natura interdum cum Vomitu salutarem scopum prosequatur, tamen etiam cum eodem, quoad ultimam administrationem omnino errorem committere solet, ut vel excessive hanc excretionem exerceat, vel inopportune suscipiat, adeoque connexos graves quosdam affectus offendat, quanquam interdum cum hoc motu aliarum afflictionum in vicinia ventriculi præsentium, remo-

remotio urgeatur, teſtimonio ſcirrhorum & ulcerum in hypochondriis & pectore obviorum.

§. VII. Quicquid enim vulgo de conſenſu plexus illius nervoſi, dextrum orificium ventriculi ambientis, cum cerebro differitur, illud ſane huic effectui non ſatis quadrare videtur, quando videlicet Vomitus illatam capitis violationem excipit, cum nondum ſatis liqueat, an æque hic nervus una offenſus ſit, qui in Ventriculum per propagines ſuas ſeſe dimittit, neque connexio patet, quî offenſo etiam tali nervo, neceſſario ſpaſmus cum excretione actuali conjunctus & non vagus & vanus ſupervenire debeat: prout vero motus convulſivi juxta ſuperiorem ætiologiam actus ſunt, certis offenſionibus excutiendis ad minimum prævifi & deſtinati, ita etiam talis Vomitus prægreſſam capitis violentiam pro eodem ſcopo proſequitur, quamvis eò directè non quadret: haud enim omne illud, quod natura committit, abſolute perfectum eſt, ſed tam in moralibus quam vitalibus negotiis indies occurrit, quantis amethodiis ſeſe diverſis adverſis cauſis eadem opponat,

CAPUT II.

DE

SODA.

§. I.

LEvis hic ſed ſatis moleſtus affectus non rarus eſt, unde ob hanc frequentem invaſionem, qua non modo varia ſubjecta, ſed & eadem aliquoties corripit, peculiari animadverſione illum dignum æſtimo: & quanquam nulla excretio in eadem occurrat, tamen ad motus certis excretionibus ſubſervientes, affectus hic annumerari debet.

§. II. Affectus, quoad ſuum ſtatum, eſt ſatis cognitus, dum ſeſe cum moleſto ardore in dextro Ventriculi latere e fundo in œſophagum aſcendente & flammeo quodam æſtu angente, prodit, familiaris imprimis eſt hominibus plethoricis, tanto magis illis, qui ſangvineis, ſpontaneis vel artificialibus evacuationibus olim adſveti fuerant; ſicut etiam nonnunquam pathematibus hypochondriacis & anotericis motibus hæmorrhoidalibus ſeſe conjungit: imprimis etiam fœminis gravidis obtingit, in quibus ſubjectis, per varias cauſas ventriculum afficientes provocatur.

§. III. Sunt tales occaſionales cauſæ, comeſtio ciborum valde aromatiſatorum, maxime piperatorum aut potulentorum ſpirituoſorum & vinoſorum, imprimis ſulphuratorum, vel alimentorum pingvium, aceſcentium & acrius confermen-

mentantium, quamvis præter tales cauſas etiam diuturniores alvi retentiones & pedum refrigerationes ad hunc affectum provocandum quadrent: in quibusdam denique ſubjectis evenit, ut ſub hoc affectu unà capitis dolores affligant.

§. IV. Cum præſentis Sodæ palmaria moleſtia in ardore conſiſtat, ardor vero inferat fortiorem congeſtionem & reſtrictionem ſangvinis ad & intra aliquem locum, ita hunc affectum a congeſtione ſangvinis in tunicaceam hanc Ventriculi texturam & regionem dependere judico; quæ vero non ita fatua & profana eſt, i. e. ſine quodam caſſa, ſed ſecundum concurrentium circumſtantiarum indolem ad emotionem ſangvinis directa eſſe obſervatur.

§. V. Unde in ſubjectis plethoricis & excretionibus ſangvinis adſvetis, imo ſub plethora admodum urgente, & quando hæc valde commota eſt, contingit; quo propterea illæ cauſæ, contribuunt, quæ non modo ſangvinem in genere commovent aut impellunt, ſed quæ etiam ventriculum afficiunt, quo eo ſangvis copioſius affundatur, quales ſingulæ illæ ſunt, quarum antea mentio facta fuit: ſicut vero aliæ commotiones ſangvinis eluctatoriæ frequentius repetunt, ita etiam hæ, quando ſemel in ſubjecto quodam occurrere, eo ſæpius etiam recurrunt, quo uſitatius ex prædictis cauſis diæteticis immediate ventriculus afficitur.

CAPUT III.

DE

RUCTIBUS.

§. I.

INter illa incommoda, quæ ventriculum afficiunt, etiam moleſtia Ructuum recenſeri debet, quæ ſicut in communi vita & ſanitatis ſtatu, ſpiſſiorem & minus regularem diætam excipit, ita etiam diverſis morbidis diſpoſitionibus & affectibus perfectis, ut moleſtum ſymptoma ſeſe conjungit, ſed eo ipſo, tanto magis illum affectum exaſperat.

§. II. Conjungit ſeſe hæc moleſtia elidendorum ructuum, affectibus hypochondriacis, hyſtericis, nephriticis, colicis anotericis flatulentis & prægreſſis diætæ vitiis, ubi cum cardialgicis ad Lipothymias interdum urgentibus afflictionibus, reſpirationis oppreſſionibus, Ventriculi torſionibus & nonnunquam occurrentibus inflationibus, capitis concurrentibus doloribus, vertiginoſis perturbationibus aut gravativis atque temulentis incommodis, denique cum ſuccuſſatoriis ventriculi & diaphragmatis commotionibus, ructus aliquoties extruduntur, quam emiſſionem aliqualis præcordiorum ſublevatio & anguſtiarum atque diſtenſionum

num in abdomine mitigatio excipit, donec post aliqua intervalla, eadem molestia denuo angat & urgeat.

§. III. Sistunt itaque Ructus tales omnino actualem aliquam excretionem materiæ vaporosæ, halituosæ, flatulentæ, ad elasticam expansionem inferendam aptæ, quæ vel in ipso Ventriculo, sub concoctione, aut e reliquiis concoctionis orta, vel ex intestinis, quæ communiter flatibus prædita sunt, retrocedendo intra Ventriculum penetrat, & dum talis expansio tum superiorum intestinorum, tum Ventriculi admodum molesta est, præcipue vero liberum diaphragmatis & hepatis motum atque progressum sangvinis ad & per has partes graviter impedit, ita omnino utile & salutare est, quo vaporosa talis materia vegete elidatur.

§. IV. Et cum in prædictis affectibus variæ causæ occurrant, quo minus deorsum vaporosa talis materia facile expelli queat, ob inferioris maxime intestinorum tractus rigidiorem constrictionem, ita partim sursum ascendens, vel in superioribus regionibus genita, sursum etiam educitur; quod fit per motus ventriculi constrictorios & spasticos, qui sub reliqua præsente expansoria distensione tunicarum ventriculi, non possunt aliter, quin multarum præcordialium angustiarum causa evadant: qua elisione facta, partes hactenus aggravatæ & oppressæ admodum ventilantur & liberantur.

§. V. Quod vero genesin flatulentiæ talis in intestinorum tractu attinet, illa mox, quando de flatulentia seorsim agere constitui, significanda erit: id interim hoc loco tenendum est, quomodo maxime sub hac molestia & conatu ad emittendos ructus, hypochondriorum regiones laborent: & quemadmodum sub prædictis affectibus in genere flatulentiæ familiariter concurrunt, insuper etiam spasmi utplurimum ad essentiam eorundem spectant, ita iisdem morbidi hi ructus facilius conjunguntur, tanto magis vero quando alvus occlusa est.

CAPUT IV.

DE

SINGULTU.

§. I.

AD affectus in hyochondriorum regione sese imprimis prodentes, & ad aliqualem promotionem salutarem materiæ in libero suo motu impeditæ destinatos, pertinet Singultus, de quo in tantum hoc loco loquor, in quantum morbidum quendam affectum constituit, licet cæteroquin transitoria quædam & tolerabilis molestia, per totam quasi vitam humanam existat, quando in diæta, maxime circa rationem quantitatis, vitium commissum fuit, non minus etiam quando

quando aura frigidior, vel intra pectus poſt prægreſſam qualemcunque incaleſcentiam, vel ab extra pectori admiſſa fuit.

§. II. Singultus morbidus vero ferme nunquam periculo caret, & communiter aliis ſonticis affectibus velut ominoſum ſymptoma ſupervenit, quemadmodum experientia teſte internas diaphragmatis, Ventriculi, Hepatis, inteſtinorum, imo etiam aliquando pectoris inflammationes, nonnunquam Scirrhos atque graves & periculoſos infarctus hepatis, Lienis aut Pulmonum, quandoque actuales corruptiones vel præſentes vel imminentes, aliquando vel difficulter erumpentia vel plane retropulſa exanthemata, aut etiam ingeſta corroſiva venenoſa comitatur.

§. III. Ita experientia medica atteſtatur, quomodo ſuſpectum hoc ſymptoma ſupervenerit temere retropulſis inflammationibus, ſive ſimplicioribus ſive eryſipelaceis, aut repente ſuppreſſis alvi fluxibus & vomitibus, vel ſubito cohibitis Hæmorrhoidibus, vel cito oppreſſis cholericis dejectionibus aut etiam exacerbatis doloribus nephriticis, vel plane retropulſis podagricis & hæmorrhoidalibus motibus.

§. IV. Singultus in ſe ſpectatus, eſt ſemiconvulſiva, repente ſuccuſſatoria diaphragmatis cum connexo thorace, hypochondriorum regione atque Ventriculo, commotio, minime a ſtimulante & nervos forte irritante materia, coacta, quæ interdum non niſi per inſomnia excogitari debet, ſiquidem ex retropulſione ſpaſmorum vel inflammationum non facile quisquam hariolari aut rationabiliter ſupponere poſſit, an & qualis illa ſit acris & nervos vellicans materia, unde mihi hæc ratio confuſa & obſcura videtur.

§. V. Sicut vero aliàs ſuccuſſatoriæ commotiones non niſi majores motus tonici gradus ſunt, per hunc vero diverſi ſalutares ſcopi atque effectus produci & promoveri poſſunt, ita etiam judico, quod ſingultus non ſit turbulentus, & omni ſcopo deficiens motus, ſed quod rectius a natura ad certum finem deſtinatus ſit, quando videlicet nobiliora hypochondriorum viſcera, aut ſenſibiliores partes eorundem ſuſpecta quædam cauſa occupavit, quæ velocem & gravem noxam minatur, ſive fuerit ſtaſis ſangvinis, ſive ſuſpectus infarctus in corruptionem propendens, ſive colluvies materiarum ſubtilium, ſubitaneam putredinem comminantium, quarum poſteriorum emotionem & priorum tempeſtivam remotionem atque diſcuſſionem motus hi concernunt, ſiquidem illæ cauſæ, quæ talem ſymptomaticum ſingultum provocant, communiter vel tempeſtiva evacuatione, vel efficaci remotione indigent.

CAPUT V.

DE

COLICA SIMPLICI.

§. I.

DE hæmorrhoidali colica in ſuperioribus actum fuit, jam illam communem & frequentius occurrentem colicam explicabo, quæ non concernit ſangvinis per loca hæmorrhoidalia excretionem, ſed aliarum ſubſtantiarum, inteſtinis adverſarum & moleſtarum, efficacem exonerationem; & hæc Colica alia eſt flatulenta, alia humoroſa & quæ cum hac convenit.

§. II. Differt itaque quoad materiam hanc excernendam præſens colica, dum quædam excurrit cum flatuum ſtrenua exoneratione, alia cum mucida alvi depoſitione, alia cum bilioſorum recrementorum evacuatione, alia cum ingeſtorum alimentorum inſvetorum vel adverſorum & male confermentatorum expulſione.

§. III. Affectus quoad ſtatum ſuum nulli ferme eſt incognitus, ſiquidem cum doloribus, in inteſtinis tenuibus, præcipue torminoſis, conſtrictoriis, & laceratoriis ſeſe ſiſtit, qui per intervalla afficiunt, multam vero anguſtiam pariunt, & inquietudinem cauſantur, per initia ſubinde firmam alvi occluſionem continent, & durante hac interdum in Vomitum anxium excurrunt, aliquando vero in ſtrenuam alvi apertionem deſinunt, quæ, quo magis tempeſtive & conſtanter ſuccedit, eo certius reliquum affectum ſublevat, ita ut mox totum hoc malum acquieſcat, remanente animi & corporis torpore, imprimis vero diſtincta quadam inteſtinorum laſſitudine: & hic affectus in diverſis ſubjectis, quæ imprimis in negotio & officina concoctionis ſenſibilia ſunt, frequentius recurrit.

§. IV. Abſolvitur Colica ſpaſmodicis inteſtinorum motibus ſive periſtalſi valde exacerbata & in ſpaſmos converſa, quæ inteſtina rigide contrahit, qui motus iterum fruſtra phyſicis ſtimulationibus nervulorum adſcribitur, cum tamen Colica per ejusmodi ſubſtantias mitigetur, quæ adhuc plus partes interiores nervoſas ſtimulare deberent, uti ſunt aromaticæ, piperatæ, carminativæ, amaræ, ſalinæ, acres, & diverſæ aliæ hujus cenſus: ſiquidem etiam tales cauſæ & occaſiones colicam excitant, quæ ab omni ſtimulatione utplurimum liberæ ſunt.

§. V. Quare hoc augmentum periſtalſeos directum eſſe indico & judico, ad excernendum quoddam objectum ex inteſtinis, quod qualitercunque naturæ ejusque ſenſui & conſvetudini adverſum & moleſtum eſt, hinc etiam omnium optime, efficaciſſime, citiſſime, maximeque ſecure colici tales inſultus per congruas evacuationes curantur, quæcunque enim colica ſine evacuatione deſinit, illa

vel

vel facile recurrit, vel alvi obſtructiones, cardialgias & varias abdominis moleſtias poſt ſe relinquit, omnium peſſime colica per famoſa opiata, ſine habito reſpectu ad evacuationem tempeſtivam & opportunam tractatur.

§. VI. Directi ſunt tales motus ſpaſmodici vel ad occluſorum & collectorum flatuum, inteſtinorum tractum valde anguſtantium & moleſtantium catotericam eliſionem, vel ad aſſumtorum inſvetorum adeoque adverſorum acceleratam & expeditam excretionem, vel ad ciborum pingvium, acidorum & ſimilium, qui cum bile ſub digeſtione acriorem qualitatem conceperunt, adeoque hoc ordine inteſtina ægre afficiunt ſtrenuam & vegetam depoſitionem, (ſub quo reſpectu vero hæ ſtimulationes non efficiunt colicam, quin certius propter illas, ſalutari inventione, hi ſpaſmi ſuſcipiantur, quo tales offenſiones tempeſtive avertantur, quod etiam valet de illis colicis doloribus, qui ingeſta corroſiva, arſenicalia & Saturnina ſequuntur) vel ad ſeri ſubtilioris, quod per refrigerationem abdominis ad interiora repreſſum eſt, tempeſtivam ſecretionem, intra inteſtina & acceleratam atque impetuoſam ejectionem ex inteſtinis; quare natura in hac catoterica evacuatione, ſub colica impedita, per Vomitum hunc, defectum aliquando ſupplere nititur: ex quo facile innoteſcit, quomodo hæc colica omnino molimen ad ſalutarem excretionem conſtituat.

CAPUT VI.

DE

FLATULENTIA.

§. I.

CUm hactenus paſſim in præcedentibus affectibus flatuum mentio facta fuerat, ita hoc loco quaſi ex inſtituto quoad fundamenta de Flatibus agere ſuſcepi, præprimis cum hæc moleſtia multa ſubjecta, maxime vero ad frigoris & caloris mutationes ſenſibilia & imprimis fœminas, menſium anomalicis ſucceſſibus, expoſitas, aut maſculos hypochondriacos, hæmorrhoidarios, podagricos, nephriticos, iſchiadicos, tanto magis vero in diæta frequentius aberrantes, corripiat.

Conf. Stahlii Diſp. de Flatulentia.

§. II. Interdum hæc moleſtia ſatis manifeſta eſt, ita ut cum dolorificis expanſionibus, tenſionibus inteſtinorum, dilacerationem velut comminantibus, alvi concurrente ſegnitie aut ſtrictura, abdominis duritie, anguſtiis præcordialibus & variis aliis evidentibus indiciis ſeſe prodat: aliquando vero ita tacite angit & affligit, ut poſt diuturnam demum moleſtiam ſeſe exſerat, antea vero in-

opiratis quibusdam anguſtiis & inquietudinibus in abdomine, nec non cardialgiis ad Lipothymias usque urgentibus, capitis & ſenſuum quaſi obnubilationibus, nec non temulentis incommodis, reſpirationis oppreſſionibus & vomendi conatibus ſimilibusque, ſubjecta talia detinet.

§. III. Quod flatuum geneſin attinet, brevibus indico, quod communiter ex prima & ſecunda digeſtione nec non ſucceſſiva fæcum alvinarum egeſtione, materiæ quædam humidæ aquoſæ, ſalinæ, & oleaginoſæ in tenuem halitum tranſeant, quæ vel iterum fluidis humiditatibus ſeſe commiſcent, vel ſucceſſive ex inteſtinis emittuntur: quo magis vero ſubſtantiæ tenues mucidæ & aquoſæ aut fermentativum motum augentes & incitantes ingeruntur, eo magis hæc tranſpiratio, exaltatio & vaporoſa exhalatio augetur, ſiquidem imprimis fructus horæi, legumina, dulcia, pingvia, fœculenta, frixa & ſimilia ad flatuum augmentum contribuunt.

§. IV. Quam diu vero inteſtina juſta ſua periſtalſi gaudent, tam diu halituoſæ tales materiæ, ita in eorundem cavitate coarctantur, quo minus moleſtam expanſionem illis inducere queant, niſi valde augeantur & in uno inteſtinorum tractu coarctentur, & copioſius colligantur; quodſi vero in una inteſtinorum regione vel paululum periſtalſis illa remittit, in altera vero vegete, imo fortius continuat, tunc ex hac in priórem flatus tales comprimuntur, in qua moleſtæ & dolorificæ illæ diſtenſiones una cum connexis reliquis incommodis oriuntur.

§. V. Et cum prædicti affectus communiter ſpaſmodicas internorum viſcerum commotiones inferant, ita evenit, dum in una abdominis regione, aut parte ſpaſmi intenduntur, ut tunc in alia regione & parte quantisper ordinarius toni gradus remittat, id quod etiam de inteſtinis valet: ſicuti externæ refrigerationes ſimul ad internas inteſtinorum conſtrictiones diſponere ſolent, prout alias per diverſa individua, natura in ejusmodi locis admodum ſenſibilis eſt, unde vel pedum vel abdominis refrigeria, ad moleſtas has flatulentias contribuunt: viciſſim vero etiam internæ inteſtinorum exæſtuationes per decocta calida, in ſubjectis ad flatus adſvetis, aliqualem laxitatem cauſantur, ut ex eo flatulentiæ ortum ducant.

CAPUT VII.
DE
ILEO MORBO.

§. I.

Hic affectus gravitate & periculoſo quodam ſtatu antecedit præcedentes, ob id etiam vulgo miſerere dicitur, eo, quia communiter miſerum & funeſtum

ſtum eventum ſortitur: Iliaca vero paſſio nuncupatur, quia cauſa hujus mali communiter in Ileo inteſtino obſervata fuit: alias etiam dicitur Volculus, quia deprehenſum fuit, quod ex convolutione intra ſuas cavitates & ex complicatione inteſtinorum ortum traxerit.

§. II. Ordinarium hujus affectus phænomenon eſt vomitus ſtercoreus, ſub diuturna & contumaci alvi obſtructione, internis anguſtiis, nonnunquam etiam ardoribus, concurrente interdum febrili motu, cardialgia atque propenſione in Lipothymiam, intercurrentibus torminoſis ſtricturis inteſtinorum, difficili reſpiratione & magna oppreſſione pectoris; erumpit ſudor frigidus, accidit quandoque ſuſpecta tuſſis, omiſſis reliquis & pluribus circumſtantiis, hunc affectum illuſtrantibus & comitantibus.

§. III. Quamquam vero hæc ex ſuo eventu judicari poſſit, quaſi pernicioſa adeoque inverſa & præternaturalis evacuatio exiſtat, tamen variæ adhuc circumſtantiæ intercurrunt, quæ ab hoc judicio hanc evacuationem aliquo modo excuſare poſſunt; ubi antea potiores illas cauſas recenſere intererit, quæ hunc affectum provocant, e quibus annotari merentur vel inflammationes inteſtinorum, vel rigidæ obſtructiones & exſiccationes, vel occluſiones circa inteſtinum cœcum, a comeſtis ſolidioribus & durioribus ſubſtantiis, vel valvuloſæ illius protuberantiæ circa hoc inteſtinum inverſiones vel inteſtinorum implicationes & involutiones, vel herniæ incarcerationes, vel etiam ſcybalorum in inferioribus inteſtinis indurationes, miſſis aliis ſingularibus & ex rarioribus obſervationibus petendis cauſis.

§. IV. Dum vero talis ſtatus, qui inteſtina affligit, admodum acutus eſt, natura vero ex ſuo officio huic afflictioni conſulere & occurrere debet, ita ejusmodi inteſtinorum morbum adhuc offendunt fæcum alvinarum oppletiones & retentiones, quo minus reliquæ afflictioni auxilium commodum ferri queat; unde primarium ejusdem naturæ conamen eſt, quo antea hæc ſcybala removeat, quæ reliquum affectum maxime moleſtant; ſed cum hæc ob præſentem læſionem deorſum educi nequeant, in corpore vero ob urgentem calamitatem retineri non debeant, ita omnino natura eadem, ſalutari intentione per ſuperiores regiones educit, quo deinde reliquæ afflictioni ſubvenire queat.

§. V. Interim nulla phyſica ratio neceſſitat & ex ſua efficacia quaſi inteſtina cogit, quo citra talem ſalutarem reſpectum, per ſe, & per valorem ſpaſmorum nudorum excrementa ſurſum exprimant, cum alias fæces alvinæ ſatis diu retineri poſſint, licet nullam talem inverſam periſtalſin cauſentur: interea vero ejusmodi excretio tunc contingit, quando talis labes in inteſtinis occurrit, quæ circa ſui reſtitutionem non phyſico ſed vitali magis reſpectu fæcum alvinarum tempeſtivam remotionem urget.

§. VI.

§. VI. Et dum plurimæ prædictarum cauſarum ita comparatæ ſunt, quo ex inducta & præſente humorum ſtaſi facile putrefactorium effectum comminentur, ita ſalutaris hæc naturæ intentio, circa ſcybalorum excretionem ſalutari tamen eventu deſtituitur, quoniam interea radicale malum, non modo in firmiorem poſſeſſionem tranſit, ſed & per accidens, ſub illa inverſa periſtalſi & ſpasmodica commotione, citra tamen naturæ intentionem, quæ magis ſui corporis integritatem quam interitum proſequitur, ad eventum periculoſum promovetur.

CAPUT VIII.

DE

CHOLERA.

§. I.

MOrbus hic qui Choleræ nomine imprimis inter veteres venit, eſt ſatis ſtrenuus & impetuoſus, qui interdum ſine febre interdum vero cum febre conjunctus decurrit, & ratione præcipitis ſui exitus acutam indolem non tam æmulatur, quam rectius præſentat.

§. II. Bilioſus hic morbus de quo impræſentiarum loquor & qui choleræ nomine venit, paululum adultioribus ſive natu majoribus ſubjectis obtingit, & conſiſtit in dejectione vehementi bilis acrioris, tam per vomitum, quam per diarrhoeam, utpote quæ excretio, cum efficacibus ſpaſmis ſtipatur, tam circa ventriculum cum magnis cadialgiis & ſuccuſſatoriis torſionibus, quam in abdomine cum acute torminoſis & lancinatoriis doloribus decurrentibus: & hæc repentina & vehemens evacuatio, non modo exceſſivo quodam modo inſiſtit, ſed etiam cito ad eventum pertingit, langventibus interea & animi & corporis viribus, affligentibus magnis anguſtiis præcordialibus, moleſtantibus vertiginoſis capitis perturbationibus, incommode afficientibus ardoribus in ventriculo, œſophago, faucibus, inteſtinis & exitu ani, nec non excoriationibus, tam hujus inteſtinorum exitus, quam intimiorum faucium, ut & arroſionibus & ſtupefactoriis obtuſionibus dentium.

§. III. Cauſa hujus affectus eſt bilis valde acris & corroſiva, quæ propterea tam ſtrenuis & impetuoſis motibus cito & impatienter ad excretionem promovetur, quoniam corporis ſalubritati magis proficuum eſt, ſi cauſtica talis bilis cito expellitur, quam ſi diutius retinetur, quoniam ſine mora partes textas inteſtinorum & ventriculi peſſime afficit, lædit & corrodit, adeoque putrefa-

trefactoriis mox insultantibus effectibus ansam præbet, quo respectu etiam hanc excretionem salutarem voco, modo limites congruos quisquam non transgrediatur.

§. IV. Et quo bilis corrosivam talem qualitatem nanciscatur, efficit vehemens illa & intimior confermentatio ingestorum talium, quæ alias facile fermentativum motum subeunt, inde evenit ut in subjectis vel per se bile abundantibus & cholericis, vel quando sub prægressa iracundia bilis copiosius profusa est, post assumta pingvia, dulcia, mellita, frixa, fæculenta & similia, tam acris subactio & fermentativa commotio succedat, ex qua acida bilis principia ita exaltantur & attenuantur, quo corrosivam hanc efficaciam induat.

§. V. Si itaque hæc caustica bilis in Ventriculo & circa tendinosum pylorum obhæresçit, adeoque hanc partem & regionem ægerrime afficit, tunc superveniunt per initia torsiones & constrictiones rigidiores, tam in ventriculo quam circa illum, quæ ad futuram hujus nocivæ bilis eliminationem respiciunt, ex quibus proinde eximiæ illæ cardialgiæ oriuntur: quid quod evenit, ut ab extra introrsum humores copiosius affluant, quando acrior bilis corrosivam suam efficaciam in ventriculo exserit, quippe qui naturæ mos est, quo stimulatoriis effectibus sese opponit, unde extrinsecus horripilationes, intrinsecus vero ardores oriuntur.

CAPUT IX.

DE

BILIOSIS INFANTUM DEJECTIONIBUS.

§. I.

CHolericis ejusmodi affectibus sæpius subjiciuntur Infantes, qui diversis effectibus & frequentioribus invasionibus sese comprobant: & hi alia diversa gravia pathemata una inferunt, quæ interdum cum funesto eventu exeunt, unde illorum indoles recte significanda est, quo partim præservatoriis, partim curatoriis applicationibus iisdem artifex legitime consulere possit.

§. II. Exordiuntur tales cholericæ evacuationes, mox in tenera infantum ætate & præcipue quando adhuc lactantur, siquidem communiter ad talem cholericum affectum lactatio contribuit; succedunt tales dejectiones cum torminosis doloribus, unde ex alteratis virideſcentibus aut coagulatis excrementis, fœminæ prædicere sciunt, quod infantes torminibus laborent, sub quibus multos ejulatus effundunt, valde inquieti sunt, quid quod plane epilepticis insultibus afficiuntur: excrementa vero diversum colorem præsentant, sive æruginosum, sive gramineum, sive obscurius virideſcentem, sive croceum, sive vitellinum, in qua posterio-

ri qualitate imprimis fæces alvinæ conſtant ex molleculis coagulatis, quaſi vitellus ovi ad duritiem coctus, fruſtulatim diſcerptus intermixtus ſit; quando vero graminea obſervantur excrementa, tunc videtur, quaſi filamenta graminea diſcerpta & conciſa fæcibus alvinis intermixta ſint.

§. III. Et hæc ipſa quidem excrementa communiter produnt morbidum infantum ſtatum, aut quod iidem in inteſtinis male ſe habeant, & ſubeſt omnino in tali ſtatu acrior bilis conſtitutio, unde inteſtinis offenſio & roſiva quædam ſtimulatio accidit; cum vero infantes ad ſufferendas qualescunque læſiones admodum ſenſibiles ſint, ita huic bili acriori in inteſtinis hærenti, vel ſpaſmi acerbiores inteſtinorum vel perfectæ convulſiones opponuntur, quo noxia hæc & teneriori corpori valde inimica materia vegete & tempeſtive expellatur.

§. IV. Et hæc tam ſuſpecta bilis acredo illis evidentibus ſignis ſeſe comprobat, dum in infantibus exitum ani excoriat, nec non linteamina intra quæ ſcybala infantum dejecta ſunt, corrodit, ſiquidem ex iisdem acidus ille fœtor ſatis eminenter expirat; unde etiam canes, qui aliàs infantum excrementa avidius ingerunt, has fæces, cum tali bile inquinatas, averſantur.

§. V. Quo vero bilis acrem hanc qualitatem concipiat, communiter contribuit, lac nutricum ſive per animi pathemata, ſive per malam diætam, ſive per venereas concupiſcentias & actiones, ſive per refrigerationes alteratum, quale lac in infantum ventriculo & inteſtino duodeno cum bile fortius fermenteſcit, adeoque bili in infantibus aliàs tenuiori ob reliquam attenuationem talem acredinem inducit.

CAPUT X.

DE

DIARRHOEA.

§. I.

SOlennis & frequens hæc eſt alvina excretio, quæ propterea ſimplici ſua denominatione effluxionem aut transfluxionem exprimit & conſiſtit in pituitoſo, ſeroſo, mucilaginoſo, copioſo tamen & largo fluxu alvino, non paſſive inteſtina excidente, ſed ſub activis repetitis & validis expreſſionibus ſuccedente.

§. II. Quare hunc alvi fluxum ſatis ſæpe tormina & tractiones inteſtinorum comitantur, præprimis quando paulo difficilius procedit; familiarior eſſe deprehenditur hæc diarrhœa ſubjectis humidioribus, in quibus vel ſua ſponte, imo interdum ſtatis temporibus & periodis aut annuis recurſibus, vel poſt prægreſſum errorem diæteticum, oritur, qui occaſionem aliquando huic evacuationi ſubminiſtrat.

§. III.

§. III. Præter concurrentia inteſtinorum tormina, laſſitudinem corporis, appetitus aliqualem imminutionem, & ſupervenientem nonnunquam ſitim, aut inquietudinem mediocrem in abdomine, exiguam horripilationem, animi torporem & remanentem obtuſiorem ſenſum in interioribus abdominis nihil mali involuit, niſi excedat; aliàs utplurimum euphoriam poſt ſe relinquit & ab aliis abdominis affectibus præſervat: ſi vero minus frequenter recurrit, aut impetuoſe decurrit, cum tempore hypochondriacos affectus, poſt ſe relinquit: repente vero ſuppreſſa diarrhœa, variorum morborum certior & efficacior cauſa fit.

§. IV. Eſt itaque diarrhœa actus naturæ, ſalutari intentione ſuſceptus ad evacuandum ſuperfluum ſerum mucilaginoſum, in primis viis aut humoribus collectum, aut ex abdominis peripheria repreſſum, & in neceſſaria ſua tranſpiratione interceptum, nec non ad expellendum aliud in inteſtinis obhærescens adverſum objectum, deſtinatus.

§. V. Abſolvitur hic actus maxime auctiori periſtalſi, quæ nonnunquam ita intenditur, ut ſpaſmorum & torminum indolem referat, quod eo facilius contingere ſolet, quo minus materia evacuanda mobilis & tractabilis eſt; deinde vero in hoc affectu augetur & acceleratur ſecretio ſeri mucilaginoſi per inteſtinorum glandulas, qui duplicatus actus ita proportionate abſolvitur, quo ſalutaris efficax & tempeſtiva exoneratio noxiorum vel adverſorum ſubjectorum obtineatur.

§. VI. Unde nudus inteſtinorum ſpaſmus aut nuda vellicatio minime hunc actum abſolvit, ſiquidem ſpaſmi illi aut reliqua mitiora periſtalſeos augmenta, ſub illo directorio ſtant, per quod ad excretionem ordinatam deduci & applicari debent: quemadmodum non de neceſſitate ſpaſmorum eſt, quo ſibi relicti evacuationem inferant; deinde etiam diarrhœæ ſæpe nullum demonſtrativum ſtimulum excipiunt, quin potius activum ſuum decurſum eo ipſo comprobant, quod exquiſitis non raro periodis in diverſis individuis recurrant.

§. VII. Aliàs quidem ad diarrhœam diſponunt ſingulæ illæ cauſæ, quæ vel inteſtina moleſte afficiunt, adeoque ſalutari conſilio naturæ tempeſtive removentur, ſive ſint bilioſa, acria, ſive ſalina concentratiora & ex parte corroſiva ſubjecta, vel quæ primas vias onerant, & negotium concoctionis, chylificationis atque reliquæ ordinariæ abſterſionis, depurationis & ſecretionis impediunt, uti ſunt materiæ mucidæ, ſeroſæ, inteſtina & primas regiones opplentes, vel alimenta inſveta aut adverſa & cum nauſea ingeſta, vel incongrue in Ventriculo & proximo inteſtino confermentantia, adeoque iterum moleſtius in hisce locis naturam afficientia, vel denique ſerum ſubtile ad interiora repreſſum, quod

cum per ſuperficiem abdominis non excernitur, nunc in nobiliores partes retropulſum, cum ſpiſſiori ſero ſubactum, ſub aucto tali motu ſecretorio & excretorio citius e corpore expellitur.

§. VIII. Et quanquam hic actus non modo generice ſalutariter prævisus ſit, imo ſæpe cum euphoria occurrat, tamen interdum etiam contingit, ut natura quæ ab erroribus nunquam libera eſt, in abſolvendo hoc actu ſimiliter errorem committat, dum vel in eodem excedit, vel inopportuno tempore & auſu aliquando eundem exercet; ſicuti diarrhœæ in hectica, phthiſi, ſcirrhis abdominis, malo hypochondriaco &c. rariſſime bene excurrunt, & communiter tunc occurrunt, quando affectus exacerbatus in ſubjectis immoderatioribus ad aliquem finem properat, quo nonnunquam occaſiones quædam vel ſenſum in inteſtinis vel functiones affligentes & exacerbantes, contribuunt.

CAPUT XI.

DE

DYSENTERIA.

§. I.

Licet appellatio præſentis affectus nil niſi morbidam aut malam inteſtinorum diſpoſitionem involvat, tamen juxta veterum & ipſius etiam Hippocratis interpretationem & explicationem acrem alvi fluxum & torminoſum inteſtinorum affectum indicat, qui ratione indolis ſuæ, plurimos alios alvi fluxus gravitate & vehementia ſuperat.

Conf. Stahlii Diſp. de Dyſenteria.

§. II. Obſervatur hic affectus vel ſimplicior vel cum febre complicatus, in quo poſteriori ſtatu periculoſior eſt & facile epidemicus ſive contagioſus redditur; conſiſtit in genere in ſangvinolento fluxu alvino, cum multis torminibus conjuncto, concurrentibus teneſmis & dolorificis torſionibus acribus & morſicantibus circa exitum ani, qui fluxus tamen tota ſua indole, ab hæmorrhoidali evacuatione diſcrepat, imprimis cum ſangvis excretus mali odoris & coloris ſit, & reliquæ etiam circumſtantiæ, cum negotio hæmorrhoidali non conveniant: inſuper ſub hac dolorifica alvina depoſitione, fruſtula quædam membranacea & filamenta dejiciuntur, vires valde langvent, appetitus deficit, ſuperficialis horripilatio afficit, aſpectus faciei morbidus redditur, patientes lectum petere tenentur; gravius hic affectus detinet plethoricos & cholericos, & de reliquo certo anni tempore, videlicet Julii & Auguſti menſibus ingruit.

§. III. Quando febris conjungitur, unà communia febrilia ſymptomata corri-

corripiunt, affectus quoad omnia ſigna redditur impetuoſior, adeoque celeriores progreſſus ſervat, concurrentibus anguſtiis præcordialibus majoribus; aliàs hic affectus per unam & alteram ſeptimanam continuat, & ſi loco ſangvineæ dejectionis ſpumidam, fœtidam, filamentoſam & ſanioſam materiam effundit, Dyſenteriæ albæ nomine venit, quæ periculoſior eſt, quam dyſenteria rubra & ſimplex: quod ſi tam ſimplex quam febrilis dyſenteria, tanto magis vero hæc, repente ſupprimitur, peſſime cedit negotium, ſiquidem facile interna putredo ingruit, ut citius miſere pereant hactenus afflicti patientes.

§. IV. Utut vero ex ſuis ſymptomatibus & non raro etiam ex eventu hic affectus pro pernicioſo, declarari poſſit, tamen adhuc quædam circumſtantiæ occurrunt, ex quibus huic evacuationi ſalutaris quidam reſpectus commode attribui poteſt: etenim ſi hic corruptus ſangvis retinetur, aut excretio hæc ſubito ſupprimitur, quo ille retineatur, perit æger, ſi vero hæc abſterſio & evacuatio legitime decurrit, neque in exceſſu neque in defectu peccat, reſtituitur omnino patiens, teſte conſtanti experientia.

§. V. Sangvis, qui cum tantis torminoſis & ſpaſmodicis motibus adeo rigoroſe & impetuoſe dejicitur, jam pronus eſt in putredinem, quia cum materia bilioſa acerrima & fermentativum motum repente excitante inquinatus eſt, hinc ſalutari omnino conſilio & conamine benigna natura talem ſangvinem cito & ſtrenue expellit, ne in inteſtinis actualem aliquam putredinem aſſumat & propaget, quo reſpectu etiam hæc excretio ſalutaris vocari poteſt.

§. VI. Ad talem ſangvinis inquinationem, contribuit vehemens illa fermentativa commotio, quæ in inteſtinis contingit, quam provocat comeſtio fructuum immaturorum, acidorum & ſubinde fermentationi non parum ſubjectorum, quales vel in prædictis menſibus occurrunt, vel præmature ingeruntur & cum bile vehementer confermentant, ex hac colluvie acerrimæ & corroſivæ ſubſtantiæ evenit, ut inteſtina intimius arrodantur, & abſterſa, corroſa & colliquata interiori tunica, oſtiola venarum aperiantur, unde ſangvis ſincerus in cavitatem inteſtinorum effluit, qui ſi extra motum ſuum redigitur, per ſe pronus eſt in putredinem, ita nunc cum inquinamento illo acri fermentativo acido bilioſo commixtus, eo facilius ad corruptionem ſubeundam diſponitur, ut adeo tempeſtive natura hanc ſaburram cum maximo impetu expellat.

§. VII. In ſubjectis plethoricis affluxus & effluxus in affectis locis copioſior eſt, facilius vero ob corroſivum effectum inflammatorius motus accidit, tanto magis vero, quo vehementior evadit interna arroſio, ſub qua febrili commotione, ſubtilia talia principia orgaſtica, fermentativa acido-ſulphurea intra ſangvinem reſorbentur eidemque ſimilem putrefactorium interitum minantur, ex quo natura multiplicibus ſcopis, tam repurgandi ſangvinis, quam abſolven-

dæ internæ inflammationis ſatisfacere debet: evenit eo ipſo, ut ab ægrotantibus apoſpaſmata talia tranſpirent, quæ e fermentativa commotione bilis primum genita fuerant, & quæ ipſa etiam viciſſim aliis ſanis ſubjectis communicata non modo ſimilem febrilem motum provocant, ſed & in illis locis in quibus bilioſam colluviem offendunt, ſimilem fermentativam commotionem excitant, ut ita tam dyſenteria, quam complicata febris, per contagium propagetur, id quod tanto facilius in ejusmodi ſubjectis contingit, quæ ſimiles fructus acidos aut aceſcentes aut immaturos comedunt, vel quæ cholericæ magis indolis exiſtunt & frequentioribus iracundiis exponuntur.

§. VIII. Sicut corroſivus ille effectus, qui a prædicta materia in inteſtinis ortiur, teneriorem & molliorem internam villoſam tunicam conſumit & abradit, ita cum reliquis excretionibus fruſtula & filamenta de tali tunica excernuntur: quin evenit, ut interdum maligna quædam interna ulceratio in inteſtinorum cavitate generetur, ex ſangvine parcius profuſo ſed textura inteſtinorum paulo magis corroſa, hinc alba Dyſenteria provenit, in qua ichoroſa & fœtida illa materia ſimilibus impatientibus & vehementibus torminoſis commotionibus ejicitur: quæ ulceratio vero quia magis magisque latius ſe expandit & humorum ſeroſo mucilaginoſo bilioſorum affluxui, quidquod conſtanti irritamento & inquinamento expoſita eſt, ob id difficilius mundificari & conſolidari poteſt, hinc affectus facilius in ſiniſtrum eventum degenerat.

CAPUT XII.

DE

LIENTERIA.

§. I.

ALia hæc ſpecies excretionis ex inteſtinis eſt, quæ magis erroneam indolem quam ſalutarem reſpectum involvit, qua alimenta ingeſta, ſine alteratione & concoctione, iterum excernuntur, qualis affectus præcipue in infantibus tenerioribus, rarius vero in adultioribus ſubjectis obſervatur.

§. II. Et hæc ciborum crudiorum evacuatio, haud ita tacite contingit, neque juxta communem opinionem paſſiva quadam elapſione nititur, ſed diverſos activos concurſus infert; ſiquidem diverſæ obſcuriores & per intervalla recurrentes ſtricturæ ſpaſmodicæ, in inteſtinis affligunt, una cum appetitus gravi dejectione & nauſeabunda ciborum averſione, ut & concurrentibus cardialgicis afflictionibus; qui affectus ſi aliquandiu durat, atrophicum ſtatum poſt ſe trahit, & febrilem inordinatam commotionem ſub acerbiore ſuo decurſu involvit: ubi

adhuc

adhuc ex antiquiorum mente gradus hujus affectus commemorare placet, quando initia aut mitiorem illus ſtatum paſſionem Cœliacam, perfectiorem vero illius gradum atque complementum Lienteriam nuncupare maluerunt.

§. III. Iuxta ſtylum antiquitatis præſens affectus communiter læſæ facultati retentrici adſcribitur, a quibusdam vero irritatæ facultati expultrici adſignatur, denique quidam nomini magis ſatisfacere geſtientes Lieni culpam imputare voluerunt, quaſi a defectu ſufficientis fermenti, a Liene præparandi, dependeat; quanquam vero quælibet harum opinionum ſuas difficultates habeat, tamen cum media harum magis conſentire placet, ſub juſta tamen interpretatione, quia facultatis expultricis accuſatio nimis metaphyſica eſt.

§. IV. Ex eo itaque affirmo, quod Lienteria ſit opus naturæ, non vero læſa facultas corporis, aut ventriculi & inteſtinorum nuda debilitatio, & relaxatio, ſed potius actus ad præfixum certum finem directus, qui finis conſiſtit in cibi, contra appetitum ingeſti & adverſi, tempeſtivam remotionem: ſiquidem illi motus torminoſi tam in Ventriculo quam in inteſtinis ſub Lienteria contingentes, teſtimonium magis de actione, quam de paſſione perhibent, quo de reliquo Cardialgica pathemata, tanquam conſectaria intimiorum ſtricturarum circa ventriculum & appetitus dejectio, ſive activa alimentorum averſio, pro illuſtrando hoc aſſerto, pertinent.

§. V. Quod hic affectus non a laxitate & atonia Ventriculi & inteſtinorum pendeat, varia poſſunt produci documenta, illud ad minimum in hac opinione notandum eſt, quod commodius alimenta aſſumta in flaccidis & laxioribus viſceribus deliteſcere & decumbere poſſent, quam per tot circumvolutiones & flexuras elabi deberent: neque propterea illæ accuſatæ activæ ſtricturæ & commotiones confuſæ ſunt, ſed ad illum ſcopum præviſæ, quo cibi, qui de præſenti naturæ adverſi & moleſti ſunt, mox removeantur: quemadmodum cum Lienteria non raro actuales vomitus vel concurrunt vel alternant.

§. VI. Ad talem affectum, & quo natura de retinendis cibis nauſeam & converſionem concipiat, diſponit præprimis prægreſſum vitium in diæta commiſſum, quando teneris infantibus aut ſubjectis ſenſibilioribus, antea officina concoctionis cum multis & dyſpeptis alimentis oppleta & onerata fuit, ſicut illud familiare malum eſt, dum infantibus ad ſummam quaſi ſaturitatem cibi obtruduntur; quod ſi itaque natura impoſterum ingurgitata alimenta per vomitum non rejicit, tunc eadem per alvum inconcocta excernit & tam diu in hoc negotio adminiſtrandæ & continuandæ concoctionis acquieſcit: hinc in cura hujus affectus multum valet abſtinentia.

CAPUT

CAPUT XIII.
DE
ICTERO.

§. I.

QUamquam in hoc affectu excretio bilis insolita & extraordinaria e superficie corporis occurrit, attamen illa primariam suam causam in nobiliori abdominis viscere habet & supponit, siquidem impedita ordinaria excretione, bilis per ductum choledochum in intestinum duodenum nititur, ut propterea retenta & latius dispersa bilis, tanquam materia mixtioni animali inimica per insolitam viam, bono omnino conamine, ejiciatur.

§. II. Benignior Icterus est flavus, pejor & deterior vero est niger, uterque prodit sese vel flava vel nigra defœdatione superficiei corporis & in flavo tanquam mitiori, affligit multa lassitudo virium & appetitus dejectio, alvi segnities intercursans cardialgia, æstus aridus, volaticus, capitis temulentia, nauseabundus sapor in faucibus, alternans conatus vomendi; proinde excrementa sunt pallida, urina est crocea, atque variæ inquietudines in abdomine occurrunt: plurima horum pathematum in nigro ictero sunt acerbiora, ubi etiam febrilis & hecticodea commotio urget, donec tandem misere & sub horrido aspectu in hoc pereant patientes.

§. III. Icteri flavi causa est constrictio ductus Choledochi, & interceptio affluxus bilis intra intestinum duodenum, unde hæc bilis refluit, præcipue per ductum hepaticum in sangvinem & futurum negotium secretionis bilis sufflaminatur: inde etiam concoctio est difficilis, alvus segnis, colluvies fæcum alvinarum pallida, & quia imposterum hæc bilis sangvini copiosius interfusa largius cum Urina secernitur & excernitur (quia viæ urinariæ subtilioribus talibus recrementis sequestrandis magis aptæ sunt) propterea ipsa urina est valde flava.

§. IV. Bonum itaque naturæ opus hoc esse indico, dum bilem per alia loca eliminat, quando eandem per consveta excernere non potest, unde de præsenti illæ viæ pro excretione bilis extraordinaria selectæ sunt, quæ alias seri transitui & excretioni dicatæ sunt: dum vero bilis ut sulphureus humor valde subtilis est, ita ad orgasticas sangvinis commotiones & connexas exæstuationes multum contribuit; cæterum vero illæ causæ ad icterum concitandum contribuunt, quæ immoderatas stricturas in primis viis provocant, quo vel repentinus terror, vel subitanea refrigeratio externa aut interna vel adstringentium usus disponit.

§. V.

§. V. Unde imprimis ad Hiſtoriam practicam ſpectat, quomodo præmature ſuppreſſam febrem intermittentem, aut repente oppreſſum menſtruum aut hæmorrhoidalem fluxum, ut & male tractatum hypochondriacum morbum &c. Icterus ſecutus ſit, & ſi vel citius, vel cum mora, bilis in humoribus diſperſa corrumpit, tunc priſtinum ſuum colorem amittit & ob conceptam nigredinem, nigrum Icterum conſtituit: quæ bilis in tali deteriori ſtatu & qualitate diverſis textis partibus corruptionem communicat, ut hectica febris, quæ internis abſceſſibus opponitur denique ſuperveniens, huic tragœdiæ funeſtum finem imponat.

CAPUT XIV.

DE

VERMIBUS.

§. I.

DEnique in ſerie extraordinariarum excretionum, quales hactenus explicavi, mentio facienda eſt excretionis Verminum, quæ non modo ſatis frequenter, ſed & cum multis morbidis moleſtiis conjuncta contingit, ſicuti imprimis infantiæ & pueritiæ ætas, cum hac moleſtia uſitatius affligi ſolet, licet aliquando, rarius tamen, adultiores homines vermibus vexati conſpiciantur.

§. II. Et ita ejusmodi vermes diverſæ ſpeciei in Ventriculo & inteſtinis generantur, qui poſtea vel ſponte interdum excernuntur, vel varia pathemata una inferunt; ex illis vero frequentius occurrunt tormina in inteſtinis, pavores nocturni, multæ ſputationes, imprimis matutinis horis ſuccedentes, ſtridor dentium, anguſtiæ jejuno ventriculo occurrentes, alvi modo laxitas, modo adſtrictio, cum inflatione & torminibus conjuncta: appetitus eſt vagus & communiter famelico ventriculo pejus habent: ſitis matutinis præcipue horis urget, corripit quandoque plane motus convulſivus & ſucceſſive tabes affligit, omiſſis pluribus huc ſpectantibus characteribus.

§. III. Sunt vero Vermes in corpore vivo humano plane alienum & adverſum quiddam, dum præcipue in concoctionis officina, neceſſarium nutrimentum auferunt & in ſuum ſuccum convertunt, ob id ſubjecta ſucceſſive extenuantur, impalleſcunt & contabeſcunt, & quando crudiores quædam materiæ ex inteſtinis per primas vias transferuntur, tunc ibidem in tenerioribus glanduloſis partibus ſuſpectos infarctus & atrophicos affectus cauſantur.

§. IV. Neque tantum Vermes laudabilem chylum conſumunt, ſed & ſimul morſibus ſuis & variis ſerpentibus & quaquaverſum repentibus curſibus per inteſtina, incommode & male affligunt ſubjecta, ut ſubinde natura interdum ve-

hementioribus torminosis, colicis, interdum plane convulsivis commotionibus eorundem efficacem expulsionem suscipiat & urgeat, quo a tam pernicioso objecto sensum afficiente, laudabilem digestionem atque se- & excretionem in intestinis administrandam impediente, ut & chylum necessarium & utilem auferente, corpus suum liberet, quam excretionem tanto immoderatiori conamine prosequitur, quo magis hoc objectum molestat & adversum est.

§. V. Quod genesin Vermium attinet, haud affirmo quasi a qualibet externo seminio iidem proveniant, quin potius adverto, quod tales vermes, qui in hominibus generantur, alibi non occurrant, unde per homines tales vermium species propagari credo, siquidem mox ab infantia communicatio nutricum forte cum similibus Vermibus inquinatarum cum infantibus & conversatio infantum & puerorum inter se invicem, talem communicationem seminiorum, ex uno corpore in alterum comprobare potest.

§. VI. Et dum Vermes alimentum consumunt, propterea in subjectis afflictis appetitus avidus & vagus est, & subinde tales apparatus cum appetitu connexi, immoderatius suscipiuntur, ut sunt frequentes illæ sputationes, qui respectum suum habent, ad alimenta assumenda, cæterum vero hi Vermes in intestinis obhærescentes, non parum se- & excretiones cum hisce partibus perpetrandas impediunt, unde diversa anomalia circa easdem frequentius occurrit.

SECTIO OCTAVA.

DE

AFFECTIBUS SEROSIS.

§. I.

IN prioribus longum numerum affectuum sangvineorum, cum connexionibus suis & consectariis recensui, posteaquam vero in præcedenti sectione diversas alias excretiones, ad salutarem scopum prævisas commemoraverim, ad Seri vitia pertractanda nunc me converto, in quorum deductione tamen simul significabo, in quantum tales morbi cum Hæmorrhagiis & motibus hæmorrhagicis consentiant, ut in eo etiam præsentis Pathologiæ nexus rationabilis, & ex experientia medica constanti & solerti petitus, emineat.

§. II. Affectus serosi vero illi dicuntur, in quibus maxima culpa sero copiosius retento adscribi debet, quod laudabilibus humoribus annexum, varias depravationes, adeoque tam crasi & consistentiæ humorum, quam legitimæ solidarum partium constitutioni, ut & congruis se- & excretionum vitalium successi-

bus

bus multa damna & incommoda infert, quin denique tales effectus & conſecutiones cauſatur, ex quibus nonniſi funeſtus eventus metuendus eſt.

§. III. Fundamentum horum ſeroſorum morborum, maxime conſiſtit in impedita excretione & copioſa retentione ſeri, quod dum per ſe excrementitiam & inutilem ſubſtantiam conſtituit, ita non alios quam noxios effectus parit, ſi diutius aſſervatur & coacervatur: ante omnia vero tales pernicioſos effectus in illos humores transfert, cum quibus communiter fluctuat & inter illos lympham præcipue inficit, quæ ob gelatinoſam ſuam conſiſtentiam tenue ſerum citius aſſumit, ſed ab eodem in ſpiſſiorem, ſaponariam, mucidam craſſitiem redigitur: deinde vero ſucceſſive ſolidis partibus, tam mediante ſpiſſiori hac lympha, quam per ſe varia damna minatur & communicat.

§. IV. Cum hisce ſeroſis affectibus, concurrunt ordinariarum excretionum impedimenta, quæ hac intimiori ſeri cohæſione cum humoribus nituntur, ſiquidem urina parcius & impeditius profluit, alvus ſegnius liberatur, & diaphoreſis tardius minusque ſufficienter decurrit; unde & humoribus & reliquo corpori, tanto magis inquinationes præternaturales accidunt, & vel particularis vel totalis intemperies & dyſcraſia ſupervenit.

§. V. Ob id ordo vitalis graviter mutatur; & dum ipſa vita proprie per Se- & Excretiones obtinetur, ita nunc ſub tali offendiculo quaſi directe Vitalis œconomia læditur; qui ſtatus quo magis inſoleſcit, eo magis reliquum ſucceſſum motuum vitalium turbat, quin denique tantum efficit, quo huc illuc in corpore actuales corruptiones magis ulceroſæ, quam putridæ, oriantur, & denique cum tabe & hectica tota hæc tragœdia excurrat: ſiquidem communiter affectus ſeroſi, chronici exiſtunt, & irregularibus ſucceſſibus, quin complicatis & intricatis circumſtantiis & pathematibus expoſiti ſunt.

CAPUT I.

DE

CACHEXIA.

§. I.

INter hos ſeroſos morbos ordine primo genericum illum affectum produco, qui medicis Cachexia audit, quæ vi vocis depravationem habitus corporis denotat, ſiquidem hic affectus maxime ſeſe cum morboſo illo externo aſpectu prodit, qui a vivida ordinaria & florida conſtitutione nimium quantum diſcedit & pallidam, ſubtumidam, liveſcentem, pendulam & flaccidam deformationem induit, quaſi corpus vaporoſo, adeoque omnino morbido tumore

affectum sit; & licet hic affectus intimiorem radicem & majorem causam involvat, tamen placuit medicis a tali phænomeno, qui sensus mox afficit, eundem denominare.

Conf. Stahlii Disp. de Cachexia.

§. II. Affectus non est infrequens, familiarior fœminis, quam viris, in juniori ætate usitatius, quam in valde adulta occursans, subjecta de reliquo spongiosiora corripiens; hic præter externam corporis deformationem ordinariarum excretionum impeditiorem successum, alvi segnitiem, aliquando percursantem inquietudinem flatulentam cum abdominis duritie alternantem infert: Urina est vel parca vel pallida, animus torpet, vires langvent, corpus laborat constanti lassitudine, appetitus est vagus, concoctio difficilis, afficit frequens cardialgia & asthmatica molestia, somnus est impeditus, accidit nonnunquam moderata pedum intumescentia, extrinsecùs corpus magis friget, in hypochondriis interdum sensus constrictionis & gravativi incommodi, aut etiam duritiei insolitæ afficit: in fœminis menses vel desunt vel insufficienter fluunt, vel inordinate procedunt vel impallescunt, quæ singula pathemata si continuant, interdum in Hydropem, aliquando in hecticam, desinunt.

§. III. Quoad genealogiam horum pathematum notandum est, quod palmarium vitium in hoc affectu hæreat, in depravata Lympha, quæ a sero insufficienter excreto & largius retento, ita inquinata fuit, ut aliqualem gradum mucilaginosæ spissitudinis susceperit, unde etiam accidit, ut lympha talis mucilaginosa, sub continuo transitu per partes spongiosas, fibras carnosas, relaxet & emolliat, quæ proinde inturgescunt, & flaccidum atque pendulum illum habitum constituunt: dum vero fibrillæ adeo inflatæ & emollitæ propius ad se invicem accedunt, eo ipso interstitia sive poros coarctant, & sufficienti ac intimiori ingressui sangvinis aditum denegant, unde calor & color imminuitur & transpiratio superficialis sufflaminatur, adeoque serum subtile sulphureo-salinum acre magis in corpore retinetur.

§. IV. Et dum Serum lymphæ adeo innexum est, evenit per reliquam connexionem, ut urinæ & alvi excretio impeditius succedat, adeoque ob talem totius œconomiæ vitalis depravationem, vires & animus langveant, cum in corpore ita deperdito omnino fastidiat multum operari, siquidem ob alvi successivam obstipationem & constrictionem, & sangvinis activam restrictionem versus præcordia, nec non difficiliorem transitum per pectus & hypochondria partim difficilior respiratio, partim successiva hypochondriorum inflatio oritur, quid quod subinde appetitus bono jure langvet, cum neque consultum neque rationabile sit, corpus adeo depravatum nutrire & sustentare; & cum fœminæ aliàs laxioris habitus existant, ita præter aliam adhuc digniorem causam huic affectui Ca-

chectico

chectico facilius quam viri exponuntur; de reliquo hic affectus eo contumacior est, quo firmius serum illud laudabili lymphæ innectit, & lympha magis magisque spissiorem consistentiam nanciscitur.

§. V. Quo vero Serum copiosius retineatur & successive utili lymphæ commisceatur diversæ causæ contribuunt, inter illas principem locum tenent spontanearum salutarium Hæmorrhagiarum perturbationes, imminutiones aut suppressiones, quod maxime valet de Mensium impeditori successu, imprimis vero per irregularem diætam introducto, propterea fœminæ magis huic affectui subjiciuntur: hinc vicissim cachexia in fœminis communiter mensium vitia involvit: non minus in virili ætate aliquando hæmorrhoidalium fluxuum aut molimimum perturbatio ad eundem affectum disponit; unde contingit, ut sangvis per Venam Portæ nunc copiosius transfluens, organa secretoria magis oneret obruat & impediat, quapropter sequestratio seri acrioris a Lympha & tardius & difficilius succedit, quin eo magis pravus hic humor coacervatur, & quo successive firmius sese immisceat occasio eidem subministratur.

§. VI. Deinde ad hanc Cachexiam disponunt aliæ causæ, quæ seri excretionem impediunt, sive transpirationis ordinariæ suppressiones, sive adstringentium alimentorum, potulentorum & artificiorum ingestiones, sive sudorum spontaneorum suppressiones, sive frequentes sensibiliores corporis refrigerationes, sive immoderatæ exterioris corporis humectationes & emollitiones, quæ ob angustationem pororum seri transitum sufficientem omnino impediunt, sive refrigerantium & coagulantium ingestionem, sive alia offendicula, quæ glandulis mesenterii & hepati repentinam aliquam strictuam inferunt, ex quibus & diversis specialioribus aliis adhuc causis seri tempestiva, necessaria & sufficiens absersio & evacuatio graviter alteratur: per priorem vero respectum, hic affectus cum Hæmorrhagiis apprime cohæret, siquidem non raro perturbatos spontaneos sangvinis fluxus, aut molimina hæmorrhagica impedita excipit.

CAPUT II.

DE

HYDROPE ASCITE.

§. I.

DIRus Hydrops alter ille & maxime sonticus & periculosus, imo scandalosus est affectus serosus, qui Cachexiam quoad præsentem tractationem, excipit & qui etiam interdum ratione Historiæ morborum & consecutionum, morbis usitatarum, Cachexiam sequitur, licet non æque semper ex Cachexia

Hydrops oriatur, ſed aliquando ex ſe corripiat, adeoque citiores progreſſus faciat.

Conf. Stahlii Diſp. de Hydrope Aſcite.

§. II. Eſt hic aſcites morbus ille immedicabilis, qui minime cum nuda quadam tranſitoria intumeſcentia abdominis confundi debet; ex quo evitari poſſunt illæ ſolennes confuſiones, quæ paſſim in Hiſtoria practica occurrunt, imo illæ temeratiæ promiſſiones, circa curam perfecti hydropis verſantes, licet aliæ inflationes quæ de hydropis proſapia non ſunt, curatæ quidem obſerventur.

§. III. Hydrops hic, affectus eſt minus frequens, adultiori tamen ætati familiaris, in ſubjectis, de humido temperamento participantibus, magis uſitatus, non raro ſub reliqua ſua raritate molimínibus aut fluxibus ſangvineis prægreſſis, ſed ſuppreſſis, ſuperveniens, qui ſeſe cum tumore abdominis aquoſo & concurrentibus communiter œdematoſis inflationibus, ſiſtit; affligit una difficultas reſpirandi, urina difficilius, parcius & non niſi pallida, interdum etiam acris effluit, alvus eſt inordinata, aliquando plane turbulenta; vires valde langvent, corpus pallet & friget, animus torpet, appetitus eſt vagus; afficit frequens cardialgia, ſomnus eſt perturbatus & prout tumor hydropicus magis increbeſcit, tunc vel ſuperficies in abdomine dehiſcit, vel in pedibus fiſſuræ tales oriuntur, ex quibus ſerum illud mucilaginoſum emanat, & niſi medela tempeſtiva adhibeatur corruptio quædam maligna & ſemi ſphaceloſa ſupervenit, interdum excipiunt impetuoſi alvi fluxus, aliquando Hæmorrhoides ſerius erumpunt maxime in viris hæmorrhoidariis & in hypochondriis percipitur obtuſus quidam dolor: in demortuis vero obſervatur communiter hepar vel durum, ſiccum, conſtrictum, aridum, & exſuccum, vel in quibusdam viciſſim ſcirrhoſum, tumefactum, expanſum & inflatum, ut hepatis glandulæ admodum protuberent, & a vaſculis probe diſcerni queant.

§. IV. Quod modum fiendi aut hunc affectum producendi concernit, tunc ſummum malum in hoc affectu conſiſtit in actuali Lymphæ cum ſero depravatæ, extravaſatione & effuſione e ſuis vaſculis tenerioribus intra abdominis cavitatem, quæ contingit ob perruptionem tenerioribus hiſce vaſibus inductam; unde ordinarius Lymphæ motus & progreſſus maxime alteratur & quoad ſe & excretionum impedimenta eædem rationes & iidem fiendi modi notari debent, quales in Cachexia modo indicati ſunt; dum vero Lympha in cavitatem abdominis tanta copia effluit, neque iterum refluit, tunc partes quas alluit, emollit, colliquat, relaxat, & a neceſſaria & vitali ſua tonica efficacia deducit, quin continuante hac emollitione, teneriores membranaceas partes, ut omentum & meſenterium penitus diſcerpit; quæ Lympha, dum abdomen adeo opplet non modo

do

do per expanſionem hanc moleſti illius aſthmatis cauſa evadit, ſed & ſucceſſive inferioribus partibus ſeſe inſinuat, easdemque æque emollit & tumefacit.

§. V. Quando depravatio Lymphæ ad Aſciten contribuit, tunc major ipſi quam in vulgari Cachexia, ineſt ſpiſſitudo, quæ tantum efficit, quo ob impeditiorem tranſitum per tenuiora vaſa lymphatica, tandem perfecta dilaceratio & perruptio hiſce vaſis accidat, quæ impoſterum conſolidari non poſſunt, ut propterea hydrops immedicabile malum evadat & Paracenteſis, tanquam extremum refugium in Aſcite, nullius certi & fidi uſus exiſtat: & hæc ipſa quidem ſpiſſior lympha reliquis glanduloſis abdominis partibus communiter damnum aliquod inducit, quod in ſcirrhoſo illo infarctu, qui poſt mortem in hydropicis conſpicitur conſiſtit.

§. VI. Ad hanc depravationem Lymphæ eædem cauſæ, efficaciori tamen ratione, contribuunt, quæ ad cachexiam diſponunt: inter quas iterum primariæ, experientia teſte, ſunt Hæmorrhagiæ, ſive menſtruæ ſive hæmorrhoidales, repente & contumaciter ſuppreſſæ, imprimis vero poſt largiorem fluxum cum adſtringentibus remediis cohibitæ, quæ in viſceribus abdominis tantas obſtipationes repentinas & firmas poſt ſe trahunt, ut mox talis laudabilis lymphæ deterioratio occupet.

§. VII. Si itaque Hydrops a præmiſſorum adſtringentium uſu inconvenienti ortum trahit, communiter poſt mortem in hepate alter ille ſtatus exareſcentiæ & exſuccæ contabeſcentiæ deprehenditur; ſicuti proinde imperitæ febrium intermittentium ſuppreſſiones per adſtringentia communia febrifuga eundem effectum, tam pro deobſtruendis viſceribus, quam pro excitando Hydrope ſufficientem cauſantur; quo adhuc ſpectat prodiga ardentium ſpirituum, in inſvetis ſubjectis, ingurgitatio, in quibus, & non in aliis, iidem, ſucceſſivam adſtrictoriam & coagulatoriam efficaciam ad hanc Lymphæ depravationem neceſſariam exſerunt.

§. VIII. Quæcunque denique cauſæ ad repentinas oppilationes viſcerum abdominis, quo imprimis mala & ſiniſtra artificia medica refero, contribuunt, eædem in aptis ætatibus ad Hydropem Aſciten provocandum aptæ obſervantur: ſiquidem de reliquo cum hoc diro morbo interdum Hectica aut tabes concurrit, quando una in pectore vel Hydrops vel periculoſus ſcirrhus vel perfectus abſceſſus cum tempore concurrit. Præpoſteræ denique hæmorrhoidales evacuationes in hoc affectu ut maxime inopportunæ, magis nocent, quam proſunt, quoniam tali tempore malum eſt obſirmatum.

CAPUT

CAPUT III.

DE

ANASARCA ET LEUCOPHLEGMATIA.

§. I.

Cum de tumoribus hydropicis ſermonem inſtituere ceperim, ita mox placet præſentium affectuum tractationem ſubjungere, qui humidam illam intumeſcentiam & emollitionem, non in ſingulari parte, ſed in univerſo ambitu corporis ſiſtunt, adeoque cum cachexia aliquam affinitatem habent, quippe quæ inter hos affectus, mitiorem gradum continet & conſtituit, Anaſarca ſummum, & Leucophlegmatia medium talem gradum & ſtatum tenet.

§. II. Hi affectus paulo lentius ingruunt & procedunt, ſed de reliquo ſatis inſolentes & refractarii exiſtunt; Anaſarca quidem conſiſtit in eximia & œdematoſa totius habitus corporis inflatione, rupturam veluti minante, quæ tamen præ reliquis ſimilibus hydropicis intumeſcentiis valde infrequens eſt; Leucophlegmatia eſt paulo mitior inflatio, quam Anaſarca, ſed paulo major quam Cachexia; uterque affectus familiarior in reliqua ſua raritate eſſe deprehenditur fœminis mollioris & laxioris imo tenerioris texturæ, attamen uterque morbus imprimis prior, haud facile cum Aſcite coincidit, niſi diutius duraverit & per varias & diſcrepantes medicationes tractatus & offenſus fuerit.

§. III. Cauſæ, quæ ad Anaſarcam contribuunt, conſiſtunt in immoderatis & ſubitaneis excretionum ſangvinearum cohibitionibus, in febribus ſiniſtre curatis, in ſcabie retropulſa, in ſubitaneis extraordinariarum ſudationum repreſſionibus, quo adhuc ex Hiſtoria cauſarum, in experientia medica occurrentium, refero eventum Venenorum ingurgitatorum innoxium, quem variæ œconomiæ vitalis offenſiones, læſiones, & perturbationes exceperunt.

§. IV. Adeſt itaque in hiſce affectibus vitioſa lymphæ qualitas, quæ eodem modo ac hactenus de ſeroſis morbis dictum fuit, provocatur & a ſero diutius & copioſius retento acquiritur, quæ qualitas eo magis deterioratur, quando ſerum acre & fermentativum eſt, quale e ſcabie retropulſa provenit; operatur vero eo magis Lympha talis mucilaginoſa & ſaponiformis, eliquante, emolliente & relaxante effectu, in externum corpus, quo magis partes antea molliores & ob teneritudinem temperamenti phlegmatici conjuncti & ſexus ſequioris ſpongioſiores & laxiores exiſtunt: ſicuti reliquæ cauſæ, quæ viſcera abdominis, maxime vero Hepar & glandulas reliquas offendunt iisdemque ſtricturam aut obſtipationem firmiorem inducunt, ad hos affectus provocandos, quadrant.

CAPUT

CAPUT IV.

DE

TYMPANITIDE.

§. I.

CUm hydropicorum tumorum per diversas ſpecies hucusque mentionem fecerim, hoc ordine placet aliquid de Tympanitide differere, quanquam affectus hic ad aquoſos tumores non æque pertineat, cum tamen partim aſciticum quendam morbum præſentet, partim nonnunquam cum Hydrope aſcite concurrat, ita hoc loco illius reminiſcor: eſt itaque hic affectus tympaniticus tumor, id eſt flatulentus & rigide expanſorius, quo non modo peritonæum, ſed & ſimul inteſtina vehementer diſtenduntur, ut abdomen tympani inſtar denſum & durum ſit, & ad contactum quaſi reſonet, poſteaquam vero flatus aliquot emiſſi ſunt, flacceſcit, ſed denuo ſimilibus flatulentis extenſionibus ſubjicitur.

§. II. Cum hoc ſtatu affectus præſentis concurrunt varia pathemata, quæ maxime abdomen & pectus affligunt, ut ſunt murmura, obſcura tormina, tenſiones circa umbilicum, gravativa moleſtia in lumbis & hypochondriis, cardialgia, appetitus dejectio, Ventriculi inflatio, habitus cachecticus, difficultas reſpirandi, functionum animalium, vitalium & moralium langvor, unde etiam virium decrementum & eximia laſſitudo in pedibus corripit, urina eſt pallida & cruda, vel tenuis & interdum febrilis quædam commotio irregularis accidit.

§. III. Hic affectus eſt flatulentus non modo in inteſtinis ſed & in toto reliquo abdomine, qui excipit actualem horum viſcerum atoniam, quæ per varias cauſas producitur; qua laxitate præſente, halituoſæ materiæ, partes abdominis magis opplent & extendunt, adeoque organa ſecretoria in functione ſua magis impediunt, quæ jam antea ob eandem laxitatem inertius & magis inſufficienter ſuo officio funguntur, ex eo ejusmodi halituoſæ tranſpirationes magis augentur, unde pectoris motus & libera reſpiratio graviter offenditur, quid quod ſub tali ſtatu, futuræ lymphæ depravationi atque cachecticis & hydropicis affectibus anſa præbetur, imo quoniam hac ratione officina digeſtionis, chylificationis, depurationis humorum & ſe- atque excretionis graviter offenditur, ita ſimul ob hanc rationem ſingulæ hæ functiones in hoc affectu læduntur.

§. IV. Quicquid itaque ad talem totalem atoniam in abdomine contribuit, illud ad præſentem affectum diſponit, ſiquidem motus hæmorrhoidales, ſive ſub multis difficultatibus procedentes, ſive per mala regimina & artificia perturbati, nec non variæ Menſium perturbationes & in illis adhibitæ malæ medicationes, ut & acerbiora pathemata hypochondriaca eademque per impetuoſa me-

dicamina tractata, aut hysſtericæ paſſiones ſiniſtre curatæ, vel colicæ & flatulentæ moleſtiæ perverſa medicatione offenſæ, ad talem viſcerum abdominis relaxationem futuram inducendam ſatisfaciunt; ubi merito reprehendo uſum vulgarem & liberalem opiatorum in prædictis affectibus, quæ ad motuum defectus cauſandos facile contribuunt.

CAPUT V.
DE
OEDEMATE.

§. I.

PArticularis hic eſt tumor, cum pallore & frigore conjunctus, qui maxime artus, communiter vero pedes, invadit, ex exiguis initiis ſucceſſive increbeſcens, mollis, & ad contactum facile cedens, ita ut cum digitis compreſſus, foveas, lentius ſeſe reſtituentes atque denuo explentes, conſtituat, cæterum vero admodum contumax eſt, & facile in pravas conſecutiones conjici poteſt; qui tumor a reliquis hydropicis affectibus in tantum diſcrepat, quod magis vaporoſus, quam aquoſus exiſtat.

§. II. Præter recenſitas has qualitates, ſubinde œdemata affectæ partis ſtuporem & laſſitudinem involvunt, quid quod non raro cum aſthmatica afflictione coincidunt, ita ut ſi vel aliquo modo imminui videantur hi externi tumores, mox illa oppreſſio pectoris alternet, unde etiam a temeraria Oedematum retropulſione, præter alios hydropicos & hecticos effectus, catarrhales ſuffocativi inſequi obſervantur, de reliquo vero eadem œdemata, quando ſemel occuparunt, contumacius ſubſiſtunt, tanto magis vero in ſubjectis adultioribus & ſenectuti propioribus: neque etiam illa animadverſio prætereunda eſt, quando œdemata alia ab interna, alia vero ab externa cauſa ortum trahunt.

§. III. Oriuntur œdemata vel ex ſuppreſſis Hæmorrhoidibus & perturbatis moliminibus hæmorrhoidalibus, nec non ex Menſibus impeditis aut ſuppreſſis, vel ex affectibus arthriticis, podagricis & nephriticis, ſiniſtre ſuccedentibus aut tractatis, utpote quæ ſpecies œdematum ex hisce originibus provenientium, peculiarem indolem habent: proinde etiam oriuntur ex nimia & ſenſibili affectarum partium refrigeratione, aut humectatione & relaxatione, ut & ex febribus male tractatis, ex diuturna artuum defatigatione, ex retropulſa ſcabie, & ſimilibus cauſis aliis.

§. IV. Circa cauſalem reſpectum hoc loco etiam indico, quod in œdematum genealogia ſimiliter ſpiſſior lymphæ conſiſtentia & particularis relaxatio

in-

in affecto loco in culpa ſit, quæ poſterior vel ſua ſponte ingruit, vel ex aliquibus prædictarum cauſarum, nimirum nimia humectatione, refrigeratione aut defatigatione inducitur, ut propterea in talem partem humores copioſius tranſeant, in eadem vero majorem ſpiſſitudinem nanciſcantur, quia frigori magis expoſiti ſunt, & a ſubtili ſero non ſatis adæquate liberantur.

§. V. Quando œdemata e perturbatis fluxibus vel motibus ſangvineis ortum traxerunt, tunc communiter ex concurrente impedimento juſtæ ſeceſſionis, ſe- & excretionis ſeri, ſpiſſeſcentia aliqua lymphæ accidit, tanto magis quando interna viſcera, ſeri ſecretionibus & abſterſionibus dicata, vel nimio humorum infarctu onerata, vel penitus per qualecunque adhibitum regimen aut artificium conſtricta fuerunt: quo adhuc pertinent, particulares illæ reſtrictiones tonicæ in inferiora loca tanquam confinia hæmorrhoidalium regionum, ſub quibus ſucceſſive mucilaginoſa talis lympha inferioribus hiſce artubus emollitionem inducit, concurrentibus tamen motibus illis, quaſi a tergo ſupervenientibus, tonicis, in has inferiores partes directis, qui ſi aliquo modo reprimuntur ad interiores partes ſub ſpaſmodico-congeſtoriis ſchematibus recurrunt, & ſi antehac ſub prægreſſo affectu hæmorrhagico pectus in conſenſum tractum fuit, nunc etiam idem pectus corripiunt.

§. VI. Quando in podagricis affectibus contraria quædam artificia adhibita fuerunt, quæ parti affectæ ſtuporem vel relaxationem obtulerunt, adeoque legitimæ toni efficaciæ vim intulerunt, ſimiliter tumores tales œdematoſi excipiunt, quo magis affectæ partes copioſioribus humorum affluxibus patent, ſub quibus vero in ipſa parte laxiori affluentibus & transfluentibus humoribus variæ alterationes accidunt, ut ita denuo liqueat, quomodo per conſecutionem talis tumor cum motibus & affectibus hæmorrhagicis conſentiat: quo magis denique in artubus partes muſculoſæ ſunt, eo magis inducta fibrarum emollitio vaporoſum talem tumorem æmulatur.

Conf. Stahlii Diſp. de Tumore œdematoſo podagrico.

CAPUT VI.

DE

SCLEROSI ET HYDATIDIBUS.

§. I.

PRæcedentium affectuum hydropicorum ratio inducit me, quo horum præſentium mentionem faciam, ſiquidem hi, prioribus hydropicis morbis ſeſe interdum conjungunt, id quod in demortuis per ſcrutinium anatomicum obſervatum

vatum fuit: aliàs vero horum affectuum vera indicia aut characteres non aperti sunt, unde etiam hi affectus in vivis non facile agnoscuntur.

§. II. Sclerosis inter Medicos audit plurimarum glandularum & quidem lymphæ transitui & depurationi dicatarum, induratio & obstructio, qua præsente reliquum corpus successive contabescit, & hecticodea quadam febricula corripitur, langventibus viribus & ordinariis se- & excretionibus & reliquis functionibus in homine vivo occurrentibus impeditius succedentibus. Hydatides vero sunt vesicæ majores huc illuc in abdomine & pectore cum Lympha spissiori impletæ, & vel organis, imprimis hepati, vel membranaceis plexibus adhærentes, quarum in vivis ex certis signis nulla datur cognitio.

§. III. Uterque status ex Lympha spissiori generatur, quæ nunc successive in glandulis, quas adhuc ingreditur, subsistit, & has propterea deobstruit, sed insuper cum tempore in iisdem exarescit, adeoque plenariam indurationem nanciscitur & conciliat, subinde vero magis magisque seri secretionem & lymphæ depravationem sufflaminat: quando vero talis spissior lympha intra membranas, partim organa certa cingentes, partim alibi constitutas, obhæresçit & in illis non modo in stagnationem sed & in stasin transit, ita posthac tales vesicas format; uterque status propter reliquam causandi & fiendi rationem, in contumaciori cachectico & hydropico affectu concurrit, in quo ejusmodi lymphæ depravatio adest, quæ in tenerioribus maxime partibus tales præternaturales effectus edit: interim horum accidentium cognitio non nisi ad illustrationem prædictorum morborum cachecticorum & hydropicorum pertinet, siquidem in hisce affectibus hydropicis communiter Hepatis & glandularum vitia concurrunt.

§. IV. Interim etiam evenit, ut Atrophia, de qua mox agendum erit, quando majora incrementa subiit, talem Sclerosin producat, & Hydatides aliquando sub asthmaticis affectibus diuturnis, aut aliis chronicis abdominis morbis, qui functiones cum Hepate in vitali œconomia administrandas afficiunt & lædunt, una concurrant, ut denique in subjectis sub talibus affectibus emortuis phænomenon tale observationibus anatomicis reservandum, conspiciatur.

CAPUT

CAPUT VII.

DE

CATARRHIS.

§. I.

QUanquam in superioribus tractationibus varios affectus catarrhales recensuerim, qui caput & pectus corripere & detinere solent, tamen constitui hoc loco breviter in genere de Catarrhis quædam seorsim explicare & indicare, imprimis cum hic affectus tum in ore medicorum, tum in buccis vulgi, valde frequens sit, adeo ut vix quisquam innominato aliquo dolore obtusiori corripiatur, quin mox generalis ille affectus Catarrhorum accusetur, quemadmodum hic affectus non raro ignorantiam medicam adumbrare debet, ut ne nihil dixisse videatur artifex, catarrhum, scorbutum, malignitatem, obstructionem &c. accuset.

§. II. Sermo mihi nunc est de Catarrhis frigidis agere, quibus subjectæ sunt partes seri & muci affluxui expositæ, in quibus hi humores sequestrari & stagnare possunt, uti sunt glandulosæ, membranaceæ & cribrosæ; e quibus vero etiam collecti tales humores vel resorberi vel evacuari possunt & quæ propterea ex consvetudine pro excretorio organo a Natura seligi solent, sicut alias etiam evenit, ut ex hisce locis tales humores excernantur, velut sunt nares, fauces & pulmones.

§. III. Quando in aliqua parte Catarrhus adest, tunc in illa percipitur dolor gravativus, oppletorius, tensorius, interdum leviter æstuans, cum torpore in parte affecta & aliquali movendi impotentia, qui status per aliquot dies continuat, donec vel sub actuali fluxu catarrhali, vel successiva cessatione evanescat, de reliquo vero præsente catarrhali affectu, animi & corporis torpor, appetitus imminutio & propensio in somnolentiam.

§. IV. Quando contingit ut catarrhum acerbiores motus congestorii comitentur, tunc etiam evenit, ut catarrhalis affectus interdum alias partes in consensum trahat, & pristinam sedem quasi mutet, atque aliorsum decumbat, de quo dicunt der Fluß seye im Magen, oder im Arm ꝛc. gefallen, habe sich gesencket, cum quali catarrhi volubilitate & vaga conditione communiter rhevmatodeum quiddam coincidit, uti hoc in superioribus monitum fuit; hinc etiam evenit, ut catarrhi ita transpositi, sive e Ventriculo per Vomitum sive ex intestinis per diarrhœam solvantur.

§. V. Et tales catarrhales affectus, si mitiores sunt, in hac simplici indole brevius decurrunt, nisi post alia tempora & intervalla denuo revertantur;

ſi vero graviores exiſtunt, non modo diutius durant, ſed & acerbiora ſymptomata inferunt, ita ut interdum febriles quædam commotiones ſuperveniant, quæ Catarrhi reſolutionem concernunt, adeoque illo imprimis tempore, quaſi per paroxyſmos revertuntur, quo catarrhi a nova acceſſione humorum ſimilium augentur & partes catarrho obſeſſæ, ob auræ mutationem & frigidiuſculum gradum conſtringuntur, adeoque contentum catarrhum magis comprimunt & firmius reſervant.

§. VI. Ad hos catarrhos, vero contribuunt omnino præcedentes congeſtorii motus ad talia loca tendentes, quorum ſcopus eſt, ut ex illorum confiniis primario ſangvis ſuperfluus & moleſtus evacuetur, ſi vero ſub hac particulari tonica reſtrictione humorum contingit, ut ob reliquam ſeroſam, ſive temperiem ſive intemperiem ſangvinis, feceſſio intra affecta loca priorem directionem exceperit, tunc amiſſo priori illo ſcopo, nunc collectæ colluviei ſeroſæ catarrhalis excretio urgeatur, cui in futurum etiam ita adſveſcit natura, ut per ſeroſam talem evacuationem corporis ſui integritatem proſequatur.

§. VII. Hinc non modo ſangvinis abundantia, ſed & humorum catarrhalium major copia in reliquo ſangvine ad catarrhales affectus diſponit, & ſicuti tales mucilaginoſo. ſeroſæ ſubſtantiæ ſimiliter mixtionis integritati contrariæ ſunt, ita ſalubritas catarrhalium fluxuum aut directionum ex hoc fundamento ſe comprobat, dum per tales excretiones corporis repurgatio rationabiliter intenditur & obtinetur, ſicut etiam a poſteriori utilitas extraordinarium talium evacuationum, ab exceſſu tamen vacuarum, eluceſcit, dum ejusmodi catarrhum legitime decurrentem euphoria ſequitur: eapropter etiam natura cum talibus commotionibus & evacuationibus catarrhalibus non raro certas periodos ſervat: de reliquo variæ externæ cauſæ concurrunt, quæ ad repentendum talem motum & fluxum catarrhalem naturam invitant, inter quas mutationes tempeſtatum ex frigido humidas, hoc loco annotare placet.

CAPUT VIII.

DE

ATROPHIA.

§. I.

DUm in hac claſſe & ſerie ſeroſos morbos explico, ita etiam connecto illos affectus, qui cum ſimplicioribus ſeroſis vitiis affinitatem habent & hoc quidem ordine *Atrophiam* prioribus affectibus annumero, quæ a viſibili illo indicio ſucceſſivæ contabeſcentiæ & privatæ nutritionis, appellationem ſuam obtinet, ubi

ſubjectum

ſubjectum patiens ſub reliquo alimentorum uſu, tamen magis magisque emarceſcit, ut propterea hic affectus, Tabes puerorum, quia juniori ætati evenit, appellari ſveverit.

§. II. Concurrunt præter hunc viſibilem defectum, alia morbida pathemata; imprimis vero iterato notandum eſt, quod Atrophia infantili magis ætati accidat, cum in adultiori Tabes, & Hectica, in ſenili vero Maraſmus audiat: ſub Atrophia excretiones ordinariæ perturbantur & imminuuntur, abdomen inæqualiter protuberat & duritiem aliquam concipit, reſpiratio fit anguſtior, appetitus redditur vagus, animus & vires langvent, affligit interdum vaga ſiticuloſitas, corpus pallet & friget, urina evadit turbida, intercurrunt interdum obſcuri dolores in abdomine, donec tandem malo magis increbeſcente, febrilis commotio & hecticodeum ſchema ſuperveniat, atque infantes miſere pereant.

§. III. In hoc affectu vitium palmarium hæret in glandulis meſenterii, quæ obſtructæ reperiuntur, ut eo minus per easdem chylus transfluere & in lympham converti, aut lympha depurari & a ſero ſequeſtrari queat, hinc partim pingviori & copioſæ Lymphæ, a ſero retento ſuſpecta illa muciditas & ſpiſſitudo accidit, quæ eo magis glandulas haſce occludere adjuvat, & perfectam obſtructionem iisdem inducit; quoniam vero & debitus chyli motus per abdomen & lymphæ depuratio atque ulterior promotio ſub hoc affectu & per illum graviter alteratur & imminuitur, ita partim ob viſcerum & glandularum in abdomine obſtructionem partim ob defectum ſufficientis alimentoſæ materiæ in ſangvine nutritio deficit, & ſecretio ordinaria & neceſſaria ſufflaminatur, quin induratio abdominis & viſcerum exſiccatio magis invaleſcit.

§. IV. Ad hunc affectum diſponunt vitia diætæ in infantibus, quibus chylo ſpiſſitudo atque cruditas accidit, quo imprimis conferunt potus nocturni, qui infantibus conceduntur & concoctionem admodum turbant; huc etiam faciunt cibi fæculenti, multum acidi, ſpiſſi, impaſtantes & refrigerantes, quibus cum & chylus & reliqui humores in primis regionibus incraſſantur; accedunt regimina refrigerantia, quæ ſtricturas internas poſt ſe reliquunt, nec non medicamina adſtringentia, quæ in ſenſibili & tenero corpore ſimiles obſtipationes cauſantur: neque oblivioni tradenda eſt, frequens alvi occluſio, undecunque etiam excitata fuit; per quas ſingulas cauſas ſecretio & abſterſio in abdomine impeditur, ſerum copioſius coacervatur, humores incraſſantur, & organa colatoria propterea infarciuntur & indurantur.

CAPUT

CAPUT IX.

DE

RHACHITIDE.

§. I.

Hic affectus cum præcedenti non parum convenit, licet Anglis quasi endemius esse legatur & observetur; cum tamen extra hanc nationem sese in alias propagavit, ita illius etiam notitia comparanda erit, quamvis ipsi scriptores medici Angli eundem morbum sufficienter commendaverint.

§. II. Deprehenditur hic affectus infantes a primo usque in alterum & tertium annum corripere, & prodit sese præcipue cum deformata articulationum nutritione & nodorum protuberantia, atque irregulari articulorum connexione, ut propterea videantur, quasi duplicati, & ob id affecti infantes singulari debilitate virium laborant, neque facile pedibus insistere & ambulare, aut stare discunt; deinde sub tumore abdominis, pectoris angustia, hypochondriorum intumescentia, pallore, tardiori dentium genesi, aut facili vacillatione, artuum aliquali incurvatione, appetitu vago, alvi irregularitate, intercurrente tussiculosa commotione & qualicunque corporis successiva contabescentia, misere degunt: de quo tamen affectu illi, quibus interest, sperant, si ante quintum ætatis annum remittit, quod nihil mali inferat, si vero diutius durat, immedicabile tunc malum constituat: neque oblivioni tradendum est, quod in Anglia hic morbus hæreditarius etiam esse observatus sit.

§. III. Est hic affectus species quædam specialissima Tabes, e nutritionis vitio communiter proveniens & ex illis causis desultans, quæ vulgo ad atrophiam disponunt: inter alias vero partes & regiones hæc tabes dorsum corripit, unde passim inter medicos tabes dorsalis audit, quæ sicut a primis diætæ vitiis maxime provenit, ita infantibus, præcipue familiaris existit: quanquam e ratione hæreditariæ dispositionis omnino motuum vitia sub certis ideis per generationem propagata, & circa nutritionis negotium occupata culpari queant.

§. IV. Quo vero circa articulationes deformis talis nutritio contingat, inter generales reliquas causas imprimis contribuit negligentior infantum amictus, & laxior vestitus, unde facile in teneris talibus corpusculis, sub qualicunque commotione, subluxationes quædam accidunt, quæ per continuantem nutritionem ita obfirmantur, ut proinde infantes ægrius & difficilius incedere incipiant: sicut etiam præmatura adsvefactio infantum ad ambulandum, quando adhuc debiles sunt, facile efficit, ut sub qualicunque lubrico & titubante incessu luxationem

nem aliquam ſive dorſi ſive femorum & pedum experiantur & ab hinc in talem malum incidant.

§. V. Proinde ad hunc affectum diſponunt omnes illæ cauſæ, quæ laudabili lymphæ vitioſam qualitatem conciliant, aut abdominis viſceribus ſuſpectam conſtrictionem inferunt, quemadmodum lactationis vitia & ſeri impuritates, prava regimina, potus frigidi nocturni, abdominis internæ & externæ refrigerationes, tantum efficiunt, quo viis & humoribus aliqua labes imprimatur, adeoque nutritionis negotium in tenellulis infantibus graviter alteretur, aut ad erroneos plane ſucceſſus invitetur, uti ſub omnibus hiſce circumſtantiis non poteſt aliter, quin Tabes quædam ſucceſſive occupet, & niſi auxilium commodum & efficax feratur, funeſtus denique eventus excipiat.

CAPUT X.

DE
CHLOROSI.

§. I.

EST hic affectus compoſitus quidam morbus ex icterica inquinatione & cachectica depravatione conſtans, ſiquidem talia ſigna & pathemata, in eodem occurrunt, quæ de utroque affectu participant: ſed cum in ſuperioribus de utrisque hisce morbis egerim, hoc loco licebit brevitati magis ſtudere & paucis tantum principaliora, circa complicationem utriusque affectus ſcitu digna, notare.

§. II. Hæc Chloroſis ſequiori ſexui & junioribus quidem fœminis uſitatior eſſe obſervatur, quæ ſeſe externo morbido tam cachectico quam icterico conſpectu prodit, communiter vero etiam Menſium vitia præcurrunt & concurrunt, alvus eſt ſegnior, abdomen interdum tumidum & durum, reſpiratio difficilis, vires langvent, animus torpet, appetitus eſt dejectus, concurrit cardialgia, interdum intumeſcentia pedum, inquietudo in hypochondriis, capitis obſcurior dolor, exæſtuatio volatica & arida, miſſis aliis adhuc phænomenis.

§. III. Ad hunc affectum communiter diſponunt Menſium vitia, ſive imminutiones ſive ſuppreſſiones, quo aliquando animi pathemata, ſive ira ſuppreſſa, ſive terror, mœror, aut vehemens deſiderium concurrunt, ex quibus potioribus cauſis functiones ſe- & excretoriæ in viſceribus abdominis celebrandæ, valde alterantur, ut propterea ex impedita Seri ſecretione & copioſiori illius retentione lympha, tam quoad craſin, quam quoad conſiſtentiam inquinetur, ſed ſubinde etiam bilis (ad cujus largiorem profuſionem fœminæ magis diſpoſitæ ſunt) præter modum copioſius retineatur, & reliquæ humorum maſſæ perfundatur, ut propterea icterica talis complicatio oriatur.

§. IV. Ob has rationes & circumſtantias, facilius in hunc affectum propendere deprehenduntur fœminæ, quæ de temperamento phlegmatico, cholerico, aut etiam ſangvineo participant: ſicuti imprimis etiam laſcvia deſideria ad eundem affectum diſponunt; unde ob concurſum febrilis commotionis, interdum a Medicis, febris virginum aut febris alba, aut febris amatoria appellatur: reliquarum afflictionum ſpecialium ratio ex ſuperioribus explicationibus & illuſtrationibus ſubjunctis haurienda erit.

CAPUT XI.

DE

SCABIE.

§. I.

PRæſens affectus in Hiſtoria vitæ humanæ valde frequens, peculiare ſeri vitium involvit, unde in hac ſua ſingulari indole exponendus eſt, ob quam non modo fœdus ſed etiam diuturnus & contumax exiſtit, dum ſubtili ſuo ſeminio & inquinamento ſeſe maxime per partes fluidas, deinde etiam ſolidas diffundit atque extendit, propterea que non raro aliquid contagioſi involvit, quia in fermentativo-ulceroſam inquinationem & corruptelam excurrit.

§. II. Conſiſtit quoad hiſtoricum ſuum conſpectum hæc inquinatio in eo, quod in ſuperficie corporis efflorescentias puſtulares copioſas ulcerascentes, imo nonnunquam una ſuppurantes exhibeat, cum pruritu, ardore & multo moleſto dolore ſtipatas, nonnunquam frequentius manantes, aut interdum etiam ſpiſſiores cruſtas induentes, quæ maxime partes, liberioris aëris acceſſui expoſitas, occupant, & ſucceſſive quidem conſolideſcunt, ſed denuo iterum erumpunt, & diu ſatis ſubjecta detinent: quando vero talis inquinatio ab extra introrſum repellitur, quod vel per mala regimina, vel mala artificia contingere ſolet, tunc varia gravia pathemata ſuperveniunt, & quidem commotiones febriles acutæ, affectus periculoſi aſthmatici, catarrhales ſuffocativi, œdematoſi, convulſivi, acriores alvi fluxus & adhuc alii.

§. III. Quoad ſpeciem Scabies hæc duplex eſſe obſervatur, vel humida, quæ conſtanter e ſuperficialibus ulcuſculis ichotem dimittit & in ſubjectis humidis de phlegmatico imprimis temperamento participantibus occurrit: alia eſt ſicca, quæ in ſubjectis ſtrictioris habitus oritur: deinde differt etiam, quoad gradum & acerbitatem, ſiquidem in ſubjectis floridioris habitus corporis, plethoricis & ſangvineis commotionibus frequentius obnoxiis, inſolentior & gravior exiſtit, & ſubinde multos ſuperficiales ardores inducit. Ferina Scabies dicitur Medicis, quæ

quæ maxime immorigera & diuturna eſt, neque facile medicis auxiliis auſcultat, ſed firmius & intimius radicata, cum copioſa ſuperficiali efflorescentia & latius ſeſe expandentibus ulcuſculis atque ſymptomatum reliquorum augmentis majoribus conſpiciendam præbet, ſub qua in ſubjectis aliqualis contabeſcentia & naturalis coloris imminutio obſervatur: Venerea denique ſcabies vocatur, quæ ex inquinamento Venereo oritur, & cum reliquo primario affectu venereo concurrit, adeoque magis fœda, dolens, ſerpiginoſa & refractaria eſt.

§. IV. Nititur hic affectus depravatione quadam Lymphæ purioris a Sero ſuſcepta, quod fluidiori, pingviori & tenuiori lymphæ adhæreſcens, mucidam eidem gelaſcentiam inducit, ob quam eadem pro uſibus vitalibus maxime inhabilis redditur; ſiquidem alias Serum, tanto magis ſubtile aut bilioſum, orgaſticum, ſalinum & acre, huic lymphæ ſeſe innectit, eandemque quoad craſin & conſiſtentiam alterat, ut propterea perpetua depuratione indigeat; & talis inquinata Lympha poſtea ſalutari actu ab interioribus & nobilioribus partibus ad exteriores ignobiliores transfertur, in quibus in forma puſtularum obhæreſcit, & ultimos ſuos effectus fermentativos ulceraſcentes exſerit, ſed eo ipſo e corpore proſcribitur: ubi tamen minime ſentiendum eſt, quaſi per neceſſitatem aliquam materialem hæc depravata Lympha in corporis ſuperficie irretiatur, ſiquidem non modo facile & commode ad interiora repelli, ſed & diu in intimioribus corporis fluctuare poteſt: attamen illud maxime contingit, ut lympha talis ſpiſſior, in externas partes demiſſa, ob liberiorem aëris contactum, majorem illic ſpiſſitudinem nanciſcatur, & in talem ſtaſin atque collectionem tranſeat.

§. V. Quando talis ſuperficialis multiplex ſtaſis & ulceratio contingit, tunc & lympha & ſerum acriorem qualitatem concipiunt, & ſubinde multi pruritus affligunt & humorum frequentes affluxus ſuperveniunt; imo quo pingvior lympha eſt, & ſerum magis ſulphureum, eo magis ad præoccupandam malignioremcorruptionem, inflammatorii & ſuppuratorii motus, ſtaſibus illis accidunt: quo intimior & ſubtilior, imo vehementior eſt ejusmodi corruptio fermentativa, eo certius ſubtilia apoſpaſmata ſecedunt, quæ contagioſo modo alia corpora inficiunt & ad eandem corruptelam diſponunt.

§. VI. Interim Scabies affectus eſt junioribus ſubjectis familiarior, ſiquidem ſenioribus ſulphurea, ſubtilia orgaſtica illa principia & ſalina tenuiora magis deſunt, quam junioribus, quidquod ſenes circa talem ſingularem excretionem, in ſuperficiem corporis dirigendam, neceſſario & ſufficienti vigore deficiunt, quibus utrisque requiſitis juniora ſubjecta non carent, interim etiam ſenibus, floridioribus & plethoricis ſcabies interdum obtingere ſolet.

§. VII. Et cum hoc inquinamentum ſubtile, ſeroſum, fermentativum, communiter ſeſe in ſangvinem per ſuperficiem corporis transfluentem, denuo immergit,

git, ita cum hoc pravo ſeminio tota humorum maſſa inficitur, adeoque malum hoc intimiores radices concipit; ſicut viciſſim tale ſubtiliatum & orgaſticum ſeminium ex veſtimentis inquinatis denuo in corpus infectum redit, ut propterea pro malo hoc extirpando, ſedula veſtimentorum & linteaminum mutatio proficiat: quando etiam contingit, ut ſub qualicunque corporis exæſtuatione copiofior affluxus in ſuperficiem corporis augeatur, adeoque præſentes ſtaſes lymphæ & corruptelæ ulceroſæ, a majori ſeri affluxu exacerbentur, tunc connexa pathemata moleſti pruritus & ardoris magis increbeſcunt.

§. VIII. Quæcunque propterea cauſæ, ad ſeri repreſſionem a ſuperficie corporis ad interiora contribuunt, illæ præcipue ad Scabiem provocandam diſponunt, ſiquidem illud ſerum, quod per tranſpirationem inſenſibilem excernitur, magis ſubtiliatum & orgaſticum eſt, adeoque ſimiles effectus fermentativo-orgaſticos cum tempore poſt ſe trahit: ex eo itaque omnia impedimenta, quæ liberiori tranſpirationi inducuntur, promovent Scabiem; quo itidem contribuit, inſveta qualitas auræ humida frigidula, quæ prout certis nationibus frequentius obtingit, ita eo magis ad hanc inquinationem procurandam concurſat.

§ IX. Proinde etiam ſtante principaliori hac cauſa, ultro ad hunc affectum contribuit impurior, acrior & ſalſuginoſa diæta, ſub qua ſerum hoc acre in humoribus augetur: neque etiam oblivioni tradenda eſt illa circumſtantia, quomodo interdum natura erroneo quodam conamine, quando jam diutius lympham a ſero depravatam peculiari activa directione, in ſuperficiem corporis transmiſit, in futurum reliquum ſerum, quod per urinarias vias ſe- & excernendum eſſet, copioſius in eandem ſuperficiem transferat, atque ita ad habitualem & ferinam ſcabiem anſam præbeat.

CAPUT XII.

DE

LEPRA ET ELEPHANTIASI.

§. I.

SCabiei modo explicatæ conſideratio, ducit me ad aliam obſervationem quæ ſimiliter verſatur circa affectus tales, qui fermentativa quadam, ſed majori corruptela, ſuperficiem corporis defœdant, & qui, licet in noſtris climatibus rariores exiſtant, tamen quoad genium ſuum ſpecialem commendationem promerentur: prior horum affectuum eſt *Lepra*, quæ pro meliori diſtinctione Lepra Arabum vocatur, alter affectus dicitur *Elephantiaſis* & vocatur Lepra Græ-

Græcorum, duplex affectus Lepræ nomine exprimitur quia in ſuperficie corporis, ultimas quaſi ſuas vires comprobat & exſert.

§. II. Uterque affectus eſt admodum gravis & ſimul contagioſus, qui non modo in ſuperficie corporis, effectus ſuos edit, ſed & intimiores & majores radices poſſidet; quando vero inquinamenta horum morborum ſalina, acria & ſulphurea cum tempore redduntur, tunc teneriorem cutis texturam inficiunt & depravant, dum tenerrima vaſcula ſangvifera per cutem diſperſa inflantur, ipſa cutis per initia intumeſcit & roſeo quodam colore, pruritu & ardore affecta eſt, quæ ſi fricatur, teneram cuticulam facile dimittit, unde humiditas ſpiſſiuscula, paululum flaveſcens & cum ſtigmatibus ſangvineis remixta effluit: cum tempore habitus corporis ſtrictior & rigidior atque ſiccior evadit, & hinc inde dolorificæ quædam fiſſuræ oriuntur: proinde cruſtæ generantur ſicciores, quæ abraſæ, denuo emanationem humiditatis ſpiſſioris & ſangvinolentæ poſt ſe relinquunt, cum tempore vero corripit inſenſibilitas in ſuperficie corporis, & quando cutis ſicca & conſtricta, inſuper copiosas ſquamas dimittit, adſpectus etiam torvus & tabidus eſt, tunc affectus magis audit Lepra Arabum.

§. III. In Elephantiaſi adeſt prædicta ſuperficiei corporis inflatio, magnus pruritus, ardor & rubor, cutis etiam inæqualiter craſſa, & dura exiſtit, ſed proinde ſquamis quaſi aſperioribus, in illis imprimis partibus, quæ minus obtectæ ſunt, deformata conſpicitur: porro adeſt difficultas reſpirandi, vox eſt rauca, pili excidunt, venæ varicoſam inflationem ſubeunt, exoriuntur nonnunquam in ſuperficie corporis maligniora ulcera, corripit denique interdum æſtus vagus, omiſſis multis adhuc ex Hiſtoria practica petendis pathematibus.

§. IV. Quamquam circa aetiologiam præſentium affectuum variæ opiniones circumferantur, quibus modo volatile, modo fixum, quoddam fermentum accuſatur vel acrimonia quædam humorum, vel neſcias qualis ſalſedo, & a quibusdam impuritas ſpecifica ſuillæ carnis culpatur, ſemper tamen remanet, principalis quæſtio, quid & quale nam illud ſit materiale inquinamentum, quo ejusmodi affectus poſt ſe trahit; equidem malo circa ſpecificam indolem & eſſentiam materialem in hiſce affectibus exponendam, ignorantiam meam confiteri, quam dubiam aliquam ſententiam ex vulgaribus opinionibus arripere & proponere.

§. V. Illud interim certum & indubium eſt, quod hoc inquinamentum ſpecificum ſit, adeoque ſpeciales ſuos effectus edat, ſed interea negari non poteſt ex iisdem effectibus, quod ſymphæ depravatio ſingularis in affectibus hiſce occurrat, quæ partim a ſero acriori provenit, partim a ſpecifico illo materiali inquinamento excitatur; unde circumſtantiæ monſtrant, quomodo hi affectus certo & exquiſito quodam contagio nitantur.

§. VI. Et tale contagium quidem per ſerum in humoribus fluctuans ſalinum acre & ſulphureum orgaſticum operatur in puram lympham, eandemque in gravem corruptelam conjicit, quæ per peculiarem naturæ activitatem ab intra extrorſum reſtricta, in ſuperficie corporis, hanc deformationem & deſtructionem perficit; in quam proinde ſangvis copioſius affluit, per modum congeſtionis, quæ hanc externam cauſam ſequitur, ſed eo ipſo etiam malum magis auget, & ardores confirmat & ſuſtentat, ob hanc contagioſam indolem hi affectus epidemici & endemii ſunt, hinc ipſa divina lex lepra affectos a reliquo mundo populo ſeparare & excludere juſſit, ne puri ab impuris inficiantur; & cum cæterum talis depravatio totam œconomiam vitalem & ſingulas operationes ad vitam ſpectantes graviter alteret, ita tantorum pathematum in hiſce affectibus occurſantium numerus innoteſcit; imprimis vero mali complementum in maligna quadam Lymphæ corruptione conſiſtit, quæ ſubtile ſeminium contagioſum dimittit, & corpus ſemel affectum contumacius detinet & affligit, ut de tali inquinamento totus homo tam quoad fluidas quam quoad ſolidas partes compatiatur.

CAPUT XIII.

DE

DIABETE.

§. I.

COnverto me ad alia ſeri vitia aut morbos ſeroſos & quidem circa Se- & Excretionem ſeri in negotio diureſeos verſantes: Urinæ vitia ſunt, quæ aliquot ſpecialioribus affectibus exponenda erunt, & horum quidam conſiſtunt in exceſſivo fluxu Urinæ, alii in defectivo, alii denique in modo, urinæ excretionem concernente & comitante.

§. II. Exceſſiva Urinæ excretio medicis vocatur Diabetes, quæ duplici modo in Hiſtoria practica occurrit, primo quando Urina tenuis prodige & largiter profunditur, deinde quando potulenta, ita ex urinariis viis educuntur, prout ingeſta ſunt; uterque ſtatus Diabetes valde rarus eſt in experientia medica, ſiquidem Galenus teſtatur, quod in tota ſua Praxi diffuſiori, non niſi bis hunc affectum conſpexerit; propterea etiam hodiernis temporibus rarioribus obſervationibus inſeritur.

§. III. Cum hac prodiga Urinæ excretione concurrit multa ſitis, virium langvor, dolores lumborum, tam gravativi quam tenſorii, ardores interni, exæſtuationes & ſi diutius durat affectus, Tabes quædam accidit: de reliquo in ſenioribus periculoſior eſt, quam in junioribus. §. IV.

§. IV. Quoad cauſalem hujus affectus deductionem, minime aſſero, quaſi paſſive Urina per vias urinarias delabatur, ſiquidem a ſuppoſita laxitate renum, nulla tam frequens & exceſſiva ſecretio urinæ ſupponi poteſt, quin potius nudi infarctus & citra ullam ſe & excretionem contingentes oppletiones expectari deberent: neque ad incognitas illas vias, potum immediate a Ventriculo in renes transferentes, provocare lubet, cum de rebus, quarum exiſtentia nondum certa, ſed tantum imaginaria eſt, nihil ſolidi prædicari poteſt.

§. V. Unde potius aſſero, quod auctior hæc excretio, inferat augmentum ſecretionis, quod mediante motu tonico, active ad hoc negotium applicato, abſolvitur, ita ut potius hæc excretio excedente activitate naturæ, quæ tonum in ſuo corpore exercet, auget & imminuit, nitatur, ad quem exceſſum ipſa per tales cauſas proritatur, quæ negotium ſecretionis urinæ impellunt & vias urinarias ſtimulant, uti ſunt remedia diuretica, Venerem ſtimulantia, ſalia volatilia, vina diuretica recentia aut valde ſulphurata aut calcarea, quæ ſenſibilem alias in ſuo corpore naturam, in hiſce etiam partibus ſtimulant, qualem ſtimulum eadem auctiori hoc actu ſequitur.

§. VI. Unde vel ex reliqua maſſa humorum ſerum citius & copioſius dum renes cum ſangvine ſuo ingreditur, ſeparatur, & deinde repente excernitur, vel mox aſſumtus potus in reliquos humores recipitur, atque ex inteſtinis immediate Venas ſangviferas meſenterii ingreditur & ab hinc ad citiorem diureſin applicatur, vel hic ipſe potus, ſine prægreſſa multa ſubactione tam in Ventriculo & inteſtinis, quam in humoribus mox intimius ingreditur renes & in reliqua ſua fluiditate, relaxata paululum intimiori renum ſubſtantia, in hac genuina ſua conſiſtentia transprimitur & excernitur: cum qua copioſiori humiditatis evacuatione aucta ſitis rationabiliter conſpirat.

CAPUT XIV.
DE
URINÆ IMMINUTIONE.

§. I.

HI affectus defectivum diureſeos vitium conſtituunt, & in ſua diagnoſi admodum perſpicui ſunt; concurrunt vero cum iisdem multæ morbidæ afflictiones, imprimis internæ anguſtiæ, preſſiones, tenſiones, ardores aut febriles commotiones, inquietudines, virium langvores, appetitus defectus, ſomni perturbationes & dolores ſyſtorii in lumbis & regione pectinis, quin in ſubjectis junioribus & ſenſibilioribus convulſivi motus ſuperveniunt.

§. II.

§. II. Hunc defectum excretionis Urinæ vel actuales ſpaſmi in renibus, veſica urinaria & ſphincktere veſicæ atque ureterum cauſantur, vel obſtructiones vel excreſcentiæ quædam inducunt; ſpaſmi quidem vel calculorum præſentiam ſequuntur, vel per internas & externas refrigerationes vel per inconvenientem adſtringentium uſum provocantur: obſtructio provenit a calculo, exitum & collum veſicæ occludente: excreſcentiæ interdum etiam oriuntur propius circa veſicæ collum, fungoſæ, & caruncularis tanquam reliquiæ venereorum prægreſſorum inquinamentorum; licet etiam ex diuturna alvi occluſione ſimul viæ urinariæ obſtruantur, aut quando alvi fluxus prægreſſi repente ſuppreſſi ſunt, aut in aliis abdominis affectibus adſtringentia remedia incaute adhibita fuerunt, evenit, ut hiſce locis obſtipatio conſtrictoria inducatur.

§. III. Dum itaque tam principalis pars ſe- & excretoria ad vitales uſus maxime neceſſaria, in ordinario ſuo officio adeo impeditur, ex eo valde tota œconomia vitalis alteratur unde pro adjuvanda hac excretione varii vagi & contumaces ſpaſmi ſuperveniunt, ſicuti affluxus humorum ad hæc loca cum ardoribus & diſtenſionibus partium ſeſe prodentes, una concurrunt, vel ſemi convulſivi aut perfecte tales Motus, accidunt, quo cum rigore, adverſa objecta incommoda & impedimenta removeantur.

CAPUT XV.

DE

INCONTINENTIA URINÆ.

§. I.

AD vitiatum modum excernendi Urinam pertinet præſens affectus, qui in involuntaria & paſſiva ſucceſſiva Urinæ emanatione conſiſtit, dum volentibus etiam ſubjectis urina retineri non poteſt, ſed conſtanti genitalium humectatione, quamprimum in veſicam delata eſt, effluit, adeoque multa incommoda poſt ſe trahit: quo loco non ſermo eſt, de illa involuntaria urinæ emiſſione, quæ interdum puerulis obtingit, aut etiam adultioribus ſubjectis, quando multum potum antea ingurgitarunt, ſed de illa incontinentia, quæ continua adeoque morbida eſt, ſicuti citra voluntatem obtingit, ita voluntario emendari non poteſt.

§. II. Ad hunc affectum nulla exquiſita ætas diſpoſita eſſe deprehenditur, quando interim occurrit, tunc a juniori ætate in adultiorem ſe extendit, & varia propterea obſervationes, dum interdum puerilis, alibi paululum adultior ætas hac calamitate corripitur: eſt vero hic affectus, ſi vere morbidus eſt,

& a prava consvetudine non dependet, curatu difficilis, quin interdum plane immedicabilis: de reliquo vero hæc passiva urinæ effluxio, non modo genitales partes admodum relaxat & arrodit, sed & futuris se. & excretionibus aliis non exigua impedimenta conciliat.

§. III. Ad hanc urinæ incontinentiam variæ causæ contribuunt, inter quas potiores sunt, quando diu multumque calculus, imprimis vesicæ, deinde etiam renalis, collum vesicæ affligit & occludit, quid quod exitu suo sphincterem vesicæ graviter & cum multo dolore offendit; quando calculus talis excisus fuit, & una sphincter vesicæ aut hujus vicinia læsionem subiit; quando diu & sæpe remedia diuretica & aphrodisiaca stimulantia adhibita fuerunt; quando pectinis regio graviter contusa & lapsu quodam violata fuit, quando difficile puerperium præcessit, aut fœtus grandior fuit, aut obstetrix violentas manus intulit, quando uteri prolapsio contingit, aut quando sub virulento seminis fluxu minus congruæ injectiones adhibitæ fuerunt, missis aliis pluribus causis, quæ hisce commemoratis accenseri possunt.

§. IV. Effluit vero involuntario urina, quando sphincter vesicæ vel relaxatus vel penitus tono suo destitutus aut paralysi correptus est: hic enim quamdiu hac strictoria commotione gaudet, tam diu retinetur urina; ad hanc relaxationem aut plenariam atoniam hujus sphincteris contribuunt omnes prædictæ causæ, quarum efficacia in vias urinarias, adeoque in sensibilem hanc partem, utplurimum violenta & valde sensibilis est, sive Sphincter per gravem contusionem aut extensionem, aut vulnerationem, aut stimulationem & corrosionem aut similem causam offendatur; unde vel repente & simul & semel, vel successive motus hic vitalis ab ipsa natura amittitur, quæ in hac parte per offensionem sui sensus & suæ functionis, in hanc toni amissionem inducta fuit: quo gravior itaque est causa, & quo magis natura in genericam motuum amissionem inclinat, aut quo frequentius talis causa præcessit, eo facilius immedicabile hoc redditur malum.

CAPUT XVI.

DE

ISCHURIA ET DYSURIA.

§. I.

UTerque affectus perinde vitiosum urinam excernendi modum concernit, qui etiam aliquo modo inter se varia & diversa subjecta affligit, imo interdum gravia symptomata involvit, ut propterea multiplices observationes

de diverso horum affectuum eventu prosient: raro vero ita simpliciter hi morbi oriuntur, sed communiter alios sonticos affectus comitantur, & quo magis urinæ retentionem inferunt, eo periculosiores evadunt.

§. II. Ischuria in genere medicis vocatur urinæ retentio, aut insufficiens fluxio, siquidem interdum in eadem urina vel penitus supprimitur, vel parcius, sed cum multo & frustraneo aut vago conamine & nisu, excernitur: Dysuria vulgo difficilis urinæ excretio est, quando vel magna vel parca urinæ quantitas excernitur, multus tamen dolor, interdum ardens, tendens, lancinans, & anxius conatus concurrit: ischuria contra communiter circa exiguam urinæ excretionem versatur: aliquando dysuria a medicis pro urinæ ardore sumitur.

§. III. Ad Ischuriam disponit usitatius calculus in collo vesicæ sive urethra, interdum etiam in uretere hærens, aut sangvis congrumatus has cavitates deobstruens, aut crassus & tenax mucus, hos transitus opplens, aut spissior sanios materia sive e renum sive vesicæ ulcere proveniens, & similem obstructionem inducens, sive etiam tumor in hisce locis subnatus, aut incongrua fortioris adstringentis remedii oblatio, imprimis in urinæ vitiis aut mictu cruento, & moliminibus ad hunc mictum sangvineum respicientibus: ex quibus singulis causis itaque urinæ sufficiens excretio non parum impeditur: qua vero ita retenta non nisi gravia pathemata spastica & urinæ excretionem urgentia, aut congestoria superveniunt.

§. IV. Ad Dysuriam vero contribuunt internæ arrosiones venereæ, aut acriores ulcerationes in talibus locis præsentes, aut violationes laceratoriæ a calculo acuminato hisce partibus immissæ, vel incarcerationes talium calculorum acuminatorum, unde urinæ transitus non quidem adeo impeditur, partes vero arrosæ ab urina acri graviter stimulantur, vel a calculo acutiori offensæ dolorificis spasmis affliguntur, qui illatæ hujus offensionis remotionem urgent, & ita dolores illos eximios pariunt: quando denique sub Ischuria, urina diutius supprimitur, tunc denique internæ stases sangvineæ, inflammationes, febres, spasmi, convulsiones, quin ipsa mors excipiunt.

CAPUT XVII.

DE

STRANGURIA.

§. I.

URinæ vitiis denique annumero Stranguriam, affectum admodum frequentem, qui cum hac sua denominatione simul indolem sive formam suam prodit, dum

dum a ſtringendo dictus eſt: pertinet vero ſimiliter ad vitioſum modum excernendi urinam, dum ſufficienter & frequenter quidem, licet ſucceſſiva & repetita excretionis proſecutione, nec non cum multa moleſtia atque incommodo, urina dimittitur.

§. II. Familiarius afficit ſubjecta ſpongioſiora, quæ aliàs ſpaſmodicas ſtricturas facilius & frequentius experiuntur, & conſiſtit in frequenti niſu atque moleſto conatu cum interna ſtrictura conjuncto, urinæ excretionem urgente, adeo ut ſubjecta cogantur urinam excernere, licet poſt præcedentem ſufficientem excretionem nunc guttatim & per modum anxii ſtillicidii effundatur: interea etiam in urethra percipitur ſenſus inſoliti refrigerii, ex quo a Germanis mictio frigida appellari ſvevit: durat itaque tale incommodum per breve temporis ſpatium, aut per unam & alteram horam, ſed redit etiam iterum facile, quin denique in aliqualem habitum degenerat.

§. III. Provocatur hic affectus per diverſas cauſas, maxime vero per internam & externam abdominis & genitalium refrigerationem, ut & per potus inſvetos, aut crudos & non bene defæcatos, vel per cibos, acriori & fortiori fermentationi ſubjectos, aceſcentes & ſpiſſiores, ſicut etiam frequentior ſpermatis profuſio aut pollutio nocturna ad hunc affectum contribuit; communiter vero vitia diætæ & errores in regimine commiſſi Stranguriam excitant, imprimis quando poſt aliqualem abdominis exæſtuationem repentina refrigeratio admittitur.

§. IV. Conſiſtit propterea Stranguria in ſpaſmodica ſtrictura Sphincteris veſicæ, mediante qua frequens & repetita excretio urgetur, & quidem cum moleſtiis mitioribus tenſoriis atque refrigerii ſenſu, qui ſpaſmodicas commotiones communiter comitatur; excitatur talis ſpaſmus vel mediante refrigeratione locis hiſce inducta, vel quando deſtinato quodam conſilio natura inſvetum, adeoque adverſum potum ad citiorem excretionem diureticam perducit, aut quando eadem, ſubtilia quædam principia fermentativa acria, adeoque adverſa, ſero intermixta, per augmentum hujus motus citius & efficacius ad excretionem promovet & ab iisdem corpus ſuum liberat, ſiquidem talia principia ſimul ſenſibilem ſphincterem afficiunt & ſtimulant: unde interdum ardorem urinæ ſtranguria comitatur, dum offenſus ſphincter cum ſpaſmodicis motibus eum in finem inſtruitur, quo urina talis citius eliminetur.

CAPUT XVIII.

DE

SPERMATIS FLUXU VIRULENTO.

§. I.

HActenus varia Seri vitia explicavi, jam placet ſingularia quædam vitia & pathemata annectere, quæ in ſpecificis quaſi humorum & partium inquina-

mentis consistunt, adeoque hoc loco de primis quasi gradibus inquinationis venereæ differere volo, ita ut mox denotem in quales humores atque partes inquinamentum illud agat, adeoque de Gonorrhœa & fluore albo, virulentis tractare constitui, ubi antea virulentiam hujus fluxus significare necesse erit, siquidem in Praxi medica etiam observatur talis fluxus seminis benignus, de quo deinde agendum erit.

§. II. Præsupponit talis malignus fluxus actuale inquinamentum venereum, maxime per impurum coitum communicatum, quod eo citius & acerbius inficit & grassatur in subjectis plethoricis & floridioris sangvinis: exserit sese Gonorrhœa virulenta cum successivo corrupti seminis fluxu & manante effusione e consvetis locis: ipsum semen est spissius, sed subinde mali coloris & odoris, siquidem flavescit & livescit: sub excretione urinæ urgent & angunt dolorifici ardores in Urethra; stimulantur subjecta, maxime matutinis horis, ad dolorificas, circa radicem penis prementes, tendentes, scindentes & lancinantes, erectiones: intumescit aliquando ipsum Scrotum & virga virilis, seorsim vero interdum eximio tumore, ex albicante roseo, cum limpido humore oppleto & fissuram quasi comminante corripitur præputium: quandoque unà in glande pustulæ exiliores limpidæ sed prurientes & ardentes efflorescunt, quæ affrictæ ulcera & profundius & latius serpentia constituunt, quales ulcerationes non modo glandem, sed & reliquum corpus virgæ virilis afficiunt: sunt vero talia ulcuscula manantia, fœtida & contumacia: interdum in glande efflorescunt fungosæ verrucæ numerosiores; de reliquo concurrunt per intervalla majores ardores interiores, ipse vero affectus aliquandiu durat, donec sub adhibita congrua medela successive & seminis promanantis color & consistentia mutetur & melioretur, & dolores in Urethra mitigentur & evanescant.

§. III. Fluor albus virulentus, quoad genericas passiones iisdem damnis sese exserit, siquidem successive liquor genitalis spissus flavescens atque fœtidus emanat, qui tam interiora quam exteriora vaginæ uteri arrodit, iisdem superficialem maliguam ulcerationem inducit, quæ successive latius se extendit, atque graves ardores & pruritus causatur: interea labia vaginæ uteri intumescunt, quid quod angescente malo, ulcerosa illa maligna corruptela penitus consumuntur. Et sub tali virulento fluxu subjecta utriusque sexus quoad reliquum corpus successive extenuantur, contabescunt, impallescunt, livescunt, & si talis fluxus vel per malum regimen vel per malam medicationem præmature cohibetur & opprimitur, tunc in vicinis glandulis ingvinalibus, duriores tumores oriuntur, qui Bubones Venereos postea constituunt: quid quod evenit denique ut malo hoc magis magisque increbescente inquinamentum tale venereum, intimius intra corpus transferatur.

§. IV. Circa causalem venereorum affectuum in genere disquirendorum

respe-

reſpectum, notandum eſt, quod inquinamentum venereum quoad eſſentialem materialitatem nondum conſtet, interea vero illius effectus in humores & certas partes magis innotuerint, ſiquidem venereum contagium primario noxios ſuos effectus in humores lymphatico-ſalivales & ſub tali miſcela in ſpermaticos transfert, quibus primum ſpiſſiorem conſiſtentiam inducit eosdemque ad ſtaſes ſuſpectas ſubeundas diſponit, quin proxime fermentativam acrem ulceroſam corruptelam ſubtilem & latius ſeſe expandentem in iisdem excitat, quæ corruptio ex humoribus ita depravatis in partes continentes glanduloſas & alias molles teneras citius progreditur, easdemque depaſcit atque ſucceſſive texturam illarum conſumit & aufert.

§. V. Quando itaque tale contagium Venereum per immediatum contactum atque coitum partibus genitalibus communicatur & affricatur, tunc in iisdem mox fluidas ſpermaticas & lymphaticas partes inficit, e quarum majori ſpiſſitudine facile ſuſpecti tumores oriuntur, quando vero corruptio exinde oritur, mox eadem in maſculino ſexu, molliori glanduloſæ proſtatarum texturæ communicatur, quæ per ulcerationem talem veneream, aliquo modo arroſa & conſumata in futurum ſemen a tergo affluens transmittit, quod Urethræ membranaceam teneriorem ſuperficiem ſimiliter inficit & ulceraſcente illo motu fermentativo excoriat, ut Urina ſalina transfluens, dolores illos prurientes & ardentes cauſetur.

§. VI. Sub hiſce effectibus atque partium talium ſenſibilium acrioribus ſtimulationibus, ſuperveniunt affectæ parti congeſtiones & affluxus humorum, tanto magis in ſubjectis ſenſibilibus & plethoricis, unde diverſæ intumeſcentiæ, ardores, & tenſiones conjunguntur, & ſicuti matutinis horis ordinario ſperma in majori motu eſt, ita illo tempore affluens acrius ſperma circa radicem virgæ virilis ſtimulantiones majores excitat, quas immoderatiores membri erectiones excipiunt: quo magis corruptum ſperma molliorem glandis texturam inficit, eo certius eidem ſimilem ulcerationem inducit, ut ita totum membrum cum tali fermento & corruptela obruatur; ſi itaque corruptum tale ſperma in emanatione ſua cohibetur, tunc non modo inquinamentum venereum retrocedit, ſed & cohibitus affluxus ſpermatis vicinis glandulosis partibus ſuſpectos & contumaces tumores inducit.

§. VII. Et cum in fœminis ſimilis liquor ſpermaticus in glandulis vaginæ uteri & certis veſiculis colligatur & ſecernantr, ita corruptio ex hoc liquore tranſiens, hanc vaginam maxime afficit, ita ut e poris illis atque meatibus, qui in hac vagina reperiuntur copioſus talis depravatus liquor affluat & cæteroquin humores in majori quantitate eo congerantur, unde intumeſcentia laxioris hujus partis magis augetur, ulceratio exacerbatur & dolores exſperantur, quid quod eo ipſo inquinamentum tale in ſe multiplicatur & deterioratur, donec in latiorem

tiorem ambitum imo ipsius corporis penetralia interdum sese extendat & dis-seminet.

CAPUT XIX.

DE

FLUXU SEMINIS BENIGNO.

§. I.

INterdum etiam contingit, ut sine virulentia venerea communicata, semen purum successive profluat, cum multa molestia & suspecto omine; qui status *Gonorrhœam benignam* constituit & qui affectus in re medica admodum rarus est; attamen Fluor fœminarum Albus Benignus eo frequentior & subinde etiam magis immorigerus existit, ita ut facile in suspectam consvetudinem degeneret & sæpe satis imo diu medicam opem eludat, quin potius magis increbescat & varia prava consectaria inferat.

§. II. Quod Gonorrhœam benignam primum attinet, tunc consistit illa in talibus circumstantiis, ut semen & colore & consistentia bonum, sine dolore successive magis vero matutinis horis emanet, & quidem vel libere & sponte vel sub alvi depositione & paulo molestiori & laboriosiori expressione: comitatur talem continuantem seminis fluxum defatigatio corporis, gravativus dolor lumborum, lassitudo femorum & pedum, nec non pallor faciei, & metus de futuris periculosis eventibus: excipit interdum talis fluxus præcedentem venereum seminis fluxum, aut prægressam frequentem pollutionem nocturnam, aut prodigam spermatis ejaculationem, aut anomalicos motuum hæmorrhoidalium decursus & successus, ut & multum usum præmissum venerem stimulantium remediorum &c.

§. III. Adeoque in tali affectu diversæ causæ accusari possunt, & quidem vel motus erronei strictorii & subtiles spasmodici, partes spermaticas in consensum trahentes, qui numerum anomaliarum hæmorrhoidalium augere adjuvant, vel quales motus ex erronea consvetudine continuantur, quando frequentes spermatis excretiones, vel stimuli ad easdem, præcesserunt: vel culpari possunt nimiæ prostatarum consumtiones & abolitiones, per prægressam ulcerationem veneream commissæ, ut inposterum sperma retineri non queat, sed passive effluat, quo denique spectant extensiones nimiæ tum vasorum deferentium, tum etiam caruncularum vesiculis seminalibus appositarum & aliarum partium sperma transmittentium nimiæ relaxationes atque distensiones, quo interdum violentiores & dolorifici majorum calculorum transitus contribuunt, ut inposterum sperma & tenuis liquor, qui sperma diluit, passive successive effluat; quæ singulæ causæ, ita comparatæ sunt, ut vel ob motuum depravationem, vel difficul-

tatem

tatem adhibendi & immediate applicandi auxilii, facilis medela aut reſtitutio vix promitti queat.

§. IV. *Fluor albus* vero *benignus* fœdum & refractarium eſt malum, quod in diverſis locis multas fœminas, maxime juniores affligit, ſed eo ipſo in adultiores ætates ſeſe extendit; hic fluor conſiſtit in majori vel nonnunquam moderatiori, conſtanti tamen, liquoris ſpermatici emanatione & genitalium humectatione, interdum ita acri & immoderata, ut partes genitales valde excoriet: concurrunt communiter multi interni dolores ſtrictorii, tenſorii, preſſorii, deproſapia ſpaſmorum & aliquando interni anguſtatorii, quandoque Cardialgici: comitantur proinde hunc fluxum gravitates lumborum, laſſitudines tum totius corporis, tum pedum & femorum, extenuationes, contabeſcentiæ & impalleſcentiæ, aliquando inordinati ſucceſſus alvini, vitia urinæ &c.

§. V. Interdum contingit ut hic fluor inſufficientem Menſium fluxum vel antecedat vel ſequatur aut plane ſub reliqua ſuppreſſione Menſium, vices horum ſuppleat, concurrentibus talibus pathematibus, quæ reliqua Menſium vitia ſtipare ſolent: quin evenit etiam, ut incongrue ſuppreſſo huic fluori ſupervenient affectus rhevmatici, iſchiadici, ſemi podagrici aut arthritici, hyſterici, cardialgici, ſtrangulatorii, colici anoterici, aſthmatici ſpaſtici, aut catarrhales ſuffocativi, ſicuti de reliquo exempla etiam in hiſtoria medica occurrunt deliriorum, quæ hujus fluoris inopportunam ſuppreſſionem exceperunt.

§. VI. Ad hunc affectum præcipue contribuunt irregularitates, quæ circa Menſium fluxum ſuccedunt, ita ut natura erroneo quodam, attamen vicario, motu & actu, loco ſinceri & ſufficientis ſangvinis hanc materiam copioſius in loca uterina congerat & ex iisdem conſtantius excernat atque huic excretioni ita adſveſcat, ut repentinam illius ſuppreſſionem immoderatis ſpaſmodicis translationibus humorum, in alia loca, excipiat: & ad hanc irregularem vicariam evacuationem non raro contribuunt laſcivæ concupiſcentiæ aut immoderatæ actiones venereæ vel deſideria Venerea, ſicuti junioribus & libidinoſis viduis hoc malum non infrequens eſſe obſervatur; denique etiam perverſa & ſpiſſior mucilaginoſa diæta occaſionaliter ad hunc affectum contribuit, ſicuti ubertas materiæ hujus lymphatico mucilaginoſæ ad augmentum ſe- & excretoriæ hujus functionis naturam quaſi ſeducit, quando eadem alias in tali actu conſtituta eſt: neque reticere, quin potius ſincere indicare volo, quomodo malus, ille mos, in certis germaniæ locis uſitatus, quo fœminæ pro frigore arcendo & calefaciendis atque fovendis inferioribus partibus, prunas in certis & aptis æneis receptaculis & ciſtulis collectas ſupponunt, ex quibus vapor interdum ſatis fœtidus ad genitalia aſcendens, pro diverſis talibus irregularibus motibus & excretionibus excitandis & inducendis quadrat.

CAPUT

CAPUT XX.
DE
LUE VENEREA.

§. I.

DUm in præcedenti tractatione de primis & ſucceſſivis inquinamenti venerei gradibus egi, ita mox de ſummo complemento & gradu hujus contagii & virulentiæ, qui ſub nomine Luei Venereæ indicatur agere conſtitui, ubi breviter notandum, quod talis morbus non niſi ante pauca ſecula Europæ locis cognitus redditus fuerit, ſiquidem ſub expeditione quadam Hiſpanorum in India occidentali a militibus exceptus ab hinc in Hiſpaniæ, Italiæ & Galliæ quin denique Germaniæ loca transportatus legitur, proptereaque ab ejusmodi nationibus diverſam appellationem ſuſcepit: ſicuti etiam Hiſtorici referunt, quod illis etiam temporibus primum ex eadem India, in qua morbus hic endemius eſſe, & tam per contagium propagari ſcribitur, quam a comeſtione certæ ſpeciei reptilis animalis de lacertarum proſapia derivatur, remedia vulgaria antivenerea in alias Europæ nationes transportata ſint.

§. II. Incipit interdum hæc Lues & quidem uſitatius ex prægreſſo virulento ſeminis fluxu male tractato, exſerit ſeſe eum inſolita laſſitudine & torpore corporis, capitis dolore nocturno, pungente, pruriente, lancinante & terebrante, imo etiam ardente, excipit raucedo ſuſpecta, inflatio glandularum colli pruriginoſa, & uvulæ atque interiorum narium ardor & ſiccitas; dolent artus, tanto magis per noctem, ſingulari modo, ita ut dolor ad oſſa pungente ulceroſo oſteocopo & terebrante ſenſu penetret; protuberant hinc inde tumores duriores nodi, tophi, & gummata aut majores adhuc ſimili doloris ſenſu præditi, volubiles tamen & ſub cute huc illuc tractabiles: exoriuntur variæ maculæ in ſuperficie imo puſtulæ prurientes maxime in naribus & faucibus, quæ denique in fœtidam & peſſimam veneream ulcerationem exeunt: ubi tamen merito hic affectus a ſcorbuto diſcernendus eſt: omiſſis pluribus adhuc aliis circumſtantiis.

Conf. Stahlii Diſp. de ſcorbuti & venereæ Luei diverſis ſignis & Medicinis.

§. III. Sicut antea monui, quod indoles hujus inquinamenti ex effectu ſuo agnoſci & dijudicari debeat, ita circa hujus Luei cauſalem explicationem tenendum, quod miaſma illud venereum in hoc ſummo venerei affectus gradu e locis genitalibus intra humores translatum ſit, ideoque in iisdem perniciem ſuam minetur; habet vero etiam hæc Lues adhuc ſuos ſingulares gradus ex quibus mitior ille eſt, quando inquinamentum venereum humoribus inhæret, & in illis confluenti Lymphæ primum incraſſationis effectum inducit, ſed ſubinde ad exæſtuationes ſive phlogoſes & orgaſticas commotiones, nec non ad perioſtiorum ſtipulationes & diverſas ſtaſes & intumeſcentias contribuit.

§. IV.

§. IV. Alter vero & ſuperior gradus hujus mali eſt, quando hoc inquinamentum partibus ſolidis Lymphæ & ſalivæ tranſitui dicatis, inſinuatur, & in ſtaſin tranſit, mox ſuſpectos tumores inducit, quin denique actuales ulceroſas corruptiones ſumme fermentativas & ſerpiginoſas cauſatur, & ita partes tales molles, mobiles & teneras hac ipſa corruptela aufert, ſubinde ſub qualicunque partium ſenſibilium offenſione affluxus & congeſtiones humorum provocat, quid quod magis magisque per totum corpus ut ſubtile & mobile miaſma ſeſe diſpergit, atque profundas & intimas radices agit, unde tam facile extirpari non poteſt, ſed diutius & contumacius inſiſtit, aut denique ſi educi non poteſt, hecticos, cancroſos, ſemi ſphacelatos aut paralyticos & funeſtos effectus & eventus involvit.

§. V. Communiter hoc malum propagatur per contagium & contactum, quo concubitus impuri contribuunt; non ita facile immediate ex uno in alrum corpus tranſpirat, ſed tali congreſſione utriusque ſubjecti puri videlicet cum impuro nititur, quemadmodum hoc malum a gravida fœtui & a nutrice infanti lactanti communicatur; rariores vero ſunt obſervationes, quibus propagatio hujus inquinamenti citra talem coitum vel ex impuris lectis, vel ex inquinatis veſtimentis, aut infectis balneis & inſtrumentis ad ſcarificationem uſualibus ſiſtitur; de reliquo longe gravius hoc affectu laborant plethorici & floridioris habitus homines.

CAPUT XXI.

DE

SCORBVTO.

§. I.

AD peculiaria, ſingularia & ſpecifica inquinamenta denique refero Scorbutum, qui juxta communem morem minime cum hypochondriaco affectu confundendus eſt, licet ex hoc hypochondriaco malo per accidens & ſub certis requiſitis & circumſtantiis prodire queat: hic morbus prout nobis jam innoteſcit, veteribus medicis cognitus haud fuit, unde potius aliis temporibus reſervandus eſt, & ratione appellationis ſuæ ex ſclavonico idiomate morbum ventris, aut cruciatum ventris denotat, quia in hac regione potiores ſuas moleſtias creat.

§. II. Quin proinde maxima prudentia adhibenda eſt, ne hic affectus tam liberaliter variis vel abſtruſis vel complicatis morbis applicetur; quemadmodum ille abuſus ſatis cognitus eſt, quomodo fruſtra & nimis præcipitanter multis morbis, qui non ſtatim omnibus medicis cogniti ſunt, hæc appellatio tribuatur, ita ut ferme juxta hanc abuſivam applicationem, hic Scorbutus nunc genus morbi

conſtituat, cum tamen conſtanter ſpecialiſſimam ſpeciem affectus morbidi offerat: neque etiam in aliis quam ſeptentrionalibus locis & Balthici maris accolis atque maritimis nationibus frequens & familiaris obſervatur, ubi aura ſqualida, torpida, vappida, nebuloſa, & ex humido frigida eſt.

§. III. In ejusmodi locis hic affectus & endemius & contagioſus exiſtit, ſiquidem ratione ſignorum ſuorum & ad Hiſtoriam pertinentium circumſtantiarum facilius afficit homines plethoricos, ſed magis ſedentariæ vitæ dicatos, in quibus varia hypochondriorum pathemata preſſoria, tenſoria, ſtrictoria, nec non intumeſcentias & flatulentias, borborygmos, ructus, conatus vomendi, vitia concoctionis, cardialgias, ſiniſtri hypochondrii inflationes, alvi adſtrictiones aut vagas diarrhœas inducit: occupat etiam langvor, torpor, laſſitudo, aut tenſio, aut gravativa preſſio in artubus, ſcapulis, coxis, cruribus, gingivæ laxius intumeſcunt, fiſſuras concipiunt, ulceraſcunt, fœtorem & ichorem ſangvinolentum emittunt, habitus corporis quandoque eſt inæqualiter turgidulus, luridus, lividus, pallidus, viroſus, interdum vero etiam ſtrictus & tabidus; aliquando phlogoſes angunt, dentes vacillant & excidunt; hæmorrhagiæ erumpunt ſine levamine, palpitatio cordis oritur, Lipothymia accidit, anxietas præcordiorum urget, maculæ purpureæ, lividæ, flaveſcentes, ſub anguſtiis illis effloreſcunt & repreſſæ denuo ſimiles anguſtias poſt ſe trahunt &c.

§. IV. Quantum quidem ex collectione ſingularum circumſtantiarum judicari potuit, tunc hic affectus non ſimplex ſed complicatus eſt, ſiquidem in quantitatis & qualitatis vitio conſiſtit, dum videlicet partim plenitudine, partim ſpiſſitudine, partim ſpeciali humorum dyſcraſia nititur, ſicut viciſſim etiam hæ cauſæ, quæ ad triplicem hanc alterationem ſimul contribuunt itidem ad Scorbutum provocandum ſatisfaciunt; dyſcraſia vero illa ſpecialior conſiſtit tam in copioſa Seri acrioris collectione, quam mala reliqui fluidi Seri ſubactione cum ſangvine; ob id ſingula phænomena quæ ad Scorbuti Hiſtoriam pertinent, ad has cauſas referri poſſunt.

§. V. Ob plenitudinem & ſpiſſitudinem ſangvinis, tam in abdomine & ſeorſim in Vena Portæ, atque connexis partibus variæ ſtagnationes & ſtaſeos primitiæ, quam in aliis partibus, maxime vero in ſuperficie corporis, quæ facilius alterationibus ſtricturarum ſubjacet, variæ incarcerationes & ſtaſes oriuntur, ne vero ex iisdem actuales corruptiones emergant, ſæpius ſpaſmodici motus accidunt, quibuscum ſangvis paſſim transprimitur & ab actuali obſtructione & putredine præoccupatur; interim ſpiſſiot hic ſangvis cum Sero acriori mixtus in molliori-bus gingivis non modo in talem ſtaſin, ſed & corruptelam fœtidam, ulceroſam incidit.

§. VI. Evenit etiam interdum ut natura tanto malorum cumulo oppreſſa, ple-

plenitudinem ſangvinis per actualem Hæmorrhagiam ventilare nitatur, unde etiam molimina hæmorrhoidalia accidunt, quæ ſi tempeſtive erumpunt, & ſufficientem Hæmorrhoidum fluxum largiuntur, non parum totum affectum levant, præpoſtera vero & inſufficiens Hæmorrhagia nihil affectui huic medetur: quid quod contingit, ut in tali multiplicato malo nimium obruta natura, ſæpe ad confuſas operationes invitetur, adeoque eadem inordinate negotia ſua excretoria adminiſtret, ſiquidem ſub tali morbido humorum ſtatu, reliquæ ſecretiones ægerrime ſuccedunt, unde ex inopia neceſſarii & ſufficientis adjumenti, aut fruſtraneo molimine & auxilio ſæpius ſuſcepto, denique totum ſchema hujus morbi in defectivum motuum vitalium vitium definit.

§. VII. Ad hunc Scorbutum vero contribuit plena, ſpiſſa & irregularis diæta, parcus & ſpiſſus potus, frequens refrigeratio, ſedentaria vita, excretionis alvinæ defectus, tranſpirationis inſenſibilis impedimentum, diæta valde ſalita & familiaris admiſſio auræ ſqualidæ; quo adhuc navigationes ſpectant, ſub quibus facile hoc malum acquiri poteſt, ſi præprimis priores circumſtantiæ concurrunt, ſiquidem aura impurior & per exhalationem maris, magis ſalina reddita ad coacervationem acrioris Seri ſatisfacit, maxime vero ſi labores negliguntur & otia foventur, quæ ſingulæ cauſæ ad augendum & inſpiſſandum ſangvinem, nec non ad copioſiorem Seri collectionem in humoribus contribuunt, ſicuti imprimis in hoc malo ſpiſſitudo humorum diſtincta & magis lenteſcens eſt, dum partim a ſpiſſa diæta, partim ab acriori Sero hæc lenteſcentia ortum trahit.

SECTIO NONA.

DE

FEBRIBUS IN GENERE.

§. I.

COnverto me ad digniſſimam maximeque ſolennem doctrinam & tractationem Febrium, quam primum generice exponere, deinde vero ad ſpecies certas ducere & applicare cogito, tanto magis vero utile erit, febrium Theoriam recte commendare, quia tam confuſi conceptus paſſim de febribus divulgantur, ut mox turbulentæ fermentationes, mox lucidæ ſpirituum acceleratæ commotiones, mox actuales putrefactiones, alibi rapidi & tumultuarii orgaſmi, aut confuſiones ſpaſmorum accuſantur, eo ipſo vero tota indoles febrium mirifice obſcuratur, ut propterea talis febrium Theoria contradictoria, vana, irrita, & operoſa appareat.

§. II. Interim tamen notabile & non ſatis commendandum, repetendum & inculcandum documentum eſt, quod primò febres ordinatos & ſingulares ſuos

decurſus habeant, deinde quod ſi legitime & juxta ſuam genuinam indolem convenienter decurrunt, atque ab accidentalibus concurſibus aliorum motuum & effectuum liberæ ſunt, conſtanter atque perpetuo cum ſalute excurrant; utpote quod phænomenon non niſi ex craſſo præjudicio, & ignorantiæ amore fortuitis ſucceſſibus imputari ſolet.

§. III. Et ſicut ab omni antiquitate medici per febrem diſtinctæ & eximiæ dignitatis affectum intellexerunt, ita illius denominatio non a vano & vago fervore, ſed a februis Romanorum feſtis, pendet, quæ in actu purgationis, expiationis, & emendationis conſiſtebant, ita ut hoc ſenſu febris æquali jure actus vocari mereatur, qui circa purgationem & emendationem corporis, in interitum propendentis, verſatur.

§. IV. Eſt porro Febris tam frequens affectus, ut per multas ſpecies plurimos alios morbos ſuperet, adeoque ex eo majori commendatione indigeat, ſicuti ſubinde ratione invaſionis ſuæ, per tot diverſas ſpecies, ab infantia usque ad ſenectutem ſeſe protendit, licet junioribus, & vegetioribus ætatibus & viribus familiarior exiſtat: quid quod reliquus ſtrenuus & cum ſonticis ſignis fulgens decurſus febrium comprobat, quod hic affectus ſingularem morbi ſpeciem contineat & commendet.

Conf. Stahlii Diſp. de Febris rationali ratione, de Febris Hiſtoria in genere, de Febris Pathologia in genere.

§. V. Eſt vero febris ſalutaris naturæ humanæ actus, in augmento motus progreſſivi ſangvinis & tonici conſiſtens, tempeſtivam vel humorum vel organorum liberationem a qualicunque cauſa, acceleratum periculum minante, per abſterſorios ſe & excretorios effectus præſtandam, directum. Quo ipſo mox vulgarem illam opinionem intercipio, qua totum febris ſchema, ordo & ſucceſſus, vel partium læſioni vel humorum corruptioni adſcribitur & pro mere præternaturali accidente declaratur: equidem hoc loco brevibus dico, quod febris a natura ſalutari intentione atque ſcopo ſuſcepta ſit, ſiquidem communiter obſervatur, quod febris morbus ſit hominum & non brutorum, licet in equis analogus morbus, quem a Gallorum fievre den Fiebel & corrupte den Friffel vocant, obtingat.

§. VI. Sicut alias natura humana per ordinarios vitales motus tam progreſſivum, quam tonicum, corporis ſui integritatem & conſervationem proſequitur, ita in febribus quoad ſpeciem non alios quam hoſce motus ad ſalutarem ſcopum applicat, & dirigit, ſed cum cauſa febrilis majus atque citius periculum involvit, ita rationabili plane conſilio & directorio, hi motus eodem gradu opponuntur, quali gradu noxa imminere videtur; augentur propterea pulſus & tonus, celeritate & frequentia, ſiquidem pulſus celer & frequens eſſentiale febris ſignum

eſt;

eſt; haud vero celeritas & frequentia unum idemque ſunt, cum illa involvat rationem temporis, hæc viciſſim nitatur ratione numeri.

Conf. Stahlii Excuſatio, reſpondens examini Pulſus celeris & frequentis, eorumque conſtans diſtinctio.

§. VII. Cauſa febrilis hæret vel in humoribus vel in organis: in illis communiter eſt materia ſubtilis, quæ cito putridam corruptionem minatur; unde etiam ex iisdem cito educenda & removenda eſt, id quod contingit per præcedentem abſterſionem atque ſeceſſionem, quando ſubtilis hæc materia e priſtino nexu quem cum mixtis ſangvinis moleculis habuit, liberatur, utpote quæ ſeceſſio ſeſe prodit in Urina, quæ quarto die, ſi febris legitime decurrit, ſpiſſum quoddam ſedimentum dimittit, quem actum coctionem & qualem Urinam coctam appellarunt veteres, quando videlicet materia, ita præparata eſt, ut facilem & juſtam ſequeſtrationem & emotionem ſubeat.

§. VIII. Hunc actum Seceſſionis excipit Secretio in aptis organis, qualia antea convenienter & ſufficienter pervia & permeabilia eſſe debent, quam aperturam iisdem interdum natura conciliat per copioſiorem reſtrictionem humorum a peripheria ad centrum, aut ab exterioribus ad interiora, quam deinde horripilatio excipit, nec non per efficaciorem transpreſſionem eorundem humorum per illa organa: ipſa vero ſecretio ſucceſſive contingit, quid quod in legitimo ordine & ſucceſſu motuum vitalium excretionem antecedit, adeo ut hæc minime ante ſufficientem & congruam ſecretionem inducenda aut urgenda ſit, quem ordinem etiam in legitimo febrium decurſu exquiſite ſervat natura.

§. IX. Excretio febrilis excipit præviam materiæ evacuandæ præparationem, qua eidem juſta mobilitas conciliata fuit, aut congrua conſiſtentia, qualis evacuatio minime impetuoſa, ſed ordinata & moderata, attamen tempeſtiva eſſe debet, & quo magis pernicioſa eſt materia febrilis, eo citius excretio talis inchoanda eoque conſtantius & ordinatius continuanda eſt, evitando nimiam commotionem, per quam materia talis ſumme ſubtilis maximeque mobilis ad putrefactorium effectum magis promovetur & humorum mixtioni intimius & ſubtilius interagitatur.

§. X. Interdum etiam talis excretio ex ſingularibus organis & locis perpetranda eſt, quando in iisdem vel primario vel ſecundario febrilis materia obhæſit; alias principaliores febriles excretiones ſunt diaphoreſis & diureſis, aliquando vero ad febriles excretiones ſpectant Hæmorrhagiæ, Vomitus, alvi fluxus aut efflorescentiæ ſuperficiales, utpote quales poſterioris ordinis excretiones, ſimiliter certis febrium ſpeciebus eſſentiales eſſe, deprehenduntur, quæ vero aliquando etiam ſymptomatice febribus ſuperveniunt.

§. XI. Deinde adhuc objectum & cauſa febrium exiſtit ſingularis quædam

functionis in organo vitali læſio, aut præceps hujus partis diſpoſitio ad ſubeundam corruptionem, ſive in tali parte jam adſit ſuſpecta ſangvinis ſtaſis, ſive ſpiſſior infarctus atque oppletio cum multa tenaci materia, ſive affuſio acrioris bilis, ſive in tali parte orta fuerit helcodea abſceſſio &c. quibus ſingulis arduis incommodis febrili activitate ſeſe opponit provida natura, adeoque tempeſtivas reſolutiones, abſterſiones remotiones & mundificationes febrili motu proſequitur.

§. XII. Quo citius atque conſtantius cauſa febrilis noxam ſuam minatur, eo magis expedite & conſtanter motus febriles opponuntur & continuantur, quando vero illa cauſa paululum tardius damnum inferre videtur, tunc per intervalla motus febriles opponuntur, inde innotuit differentia inter febres acutas & intermittentes, quarum priores conſtanter durant, neque ullas intercapedines habent, licet quædam illarum quoad fervorem & acerbitatem ſuam aliquando leviter remittant, deinde vero etiam acutæ hæ febres citius ad eventum ſuum progrediuntur: intermittentes vero febres per intervalla recurrunt & per certas horas aut unum vel alterum diem, acquieſcunt, ita ut nullus motus & nullum ſymptoma febrile in ſubjecto affecto occurrat; quæ poſteriores febres chronicæ ſunt, priores vero periculoſiores, cum reliquæ contumaciores exiſtant, quin aliquando in habitum plane degenerent.

§. XIII. Proprie & diſtincte de febribus differendo, Motus febrilis non eſt genuinus ſpaſmus, licet ex una parte Tonus auctior ſit, ex altera parte vero, per accidens interdum ſpaſmodicæ quædam commotiones concurrant: interea vero augmentum illud tonici motus in febribus abſolute neceſſarium eſt, quo vel ſangvis efficacius, citius & expeditius progrediatur, vel ſub vegeta tali transpreſſione per partes poroſas a materia febrili liberetur, quemadmodum ille ordo communis eſt naturæ humanæ, dum qualescunque corpori inhærentes impuritates ad excitandam corruptionem idoneas per tempeſtivas abſterſiones ſe- & excretiones removet.

§. XIV. Non raro etiam per Motus febriles natura ſangvinis ſuperflui & maxime moleſti exonerationem proſequitur, ſiquidem per idem illud Toni augmentum in junioribus ſubjectis ad ſuperiores corporis regiones, copioſius ſangvinem congerit, quid quod interdum per actualem Narium Hæmorrhagiam eundem egerit; ſi vero impetuoſæ tales congeſtiones intra caput ad tempeſtivam eruptionem non pertingunt, tunc vel intenſiores capitis dolores, vel effectus phrenitici, vel ob majorem cerebri oppletionem & propterea conceptam graviorem naturæ confuſionem & conſternationem, actualia deliria ſuperveniunt.

Conf Stahlii Diſp. de febribus compoſitis ex acuta periodo.

§. XV.

§. XV. Interdum etiam contingit, ut natura ſuperflui ſangvinis remotionem per idem illud toni augmentum urgeat, quando totam maſſam ſangvineam per partes poroſas vegetius transprimit & ſub efficaciori tali contritione illius multam quantitatem in ſerum convertit, & ſub ſeri conſiſtentia & qualitate tam per copioſiorem diureſin, quam diaphoreſin majorem eliminat, ob id febricitantes, propter illud majus Toni augmentum, intenſius æſtuant, &ſi febris recte procedit magis ſudant.

§. XVI. Quo magis actus febrilis ſolennis & ſingularis eſt, eo magis in eodem natura humana etiam exquiſitos ordines temporis ſervat, ut non modo non præmature excretiones urgeat, ſed ſub prædicta effectuum febrilium harmonia, atque convenienti ſubordinatione motus febriles exerceat, utpote qui complexus horum motuum Typum febrilem conſtituit, per quem cujusvis febris indoles, ſpecies, progreſſus & ordo indicatur; ſed & ſervat ſubinde natura illam rationem temporis, dum plurimarum, maxime vero acutarum febrium decurſus, quoad exitum ad certa tempora dirigit; quæ conſideratio proprie involvit rationem periodorum, quales periodi juxta genericum naturæ morem in febribus per ſeptenarios dierum abſolvuntur, dum prima periodus, qua febris quædam acuta excurrere poſſet, ſeptimo die abſolvitur, altera decimo quarto, tertia vigeſimo aut vigeſimo primo: rarius inter noſtrates febris quædam has periodos transgreditur, ni præcedens febris ſpecies in aliam & quidem lentam transmutari videatur: intermittentes vero febres, ut chronicæ non habent exquiſitas periodos, licet veteres aliquid analogi de Paroxyſmis intermittentium febrium obſervaverint.

§. XVII. Juxta hanc rationem temporis eadem natura excretiones ſuas adminiſtrat, adeoque circa præparationem materiæ per primos tres dies occupatur, quam deinde ſucceſſive abſtergere & ſecernere incipit: interdum vero etiam ex ſingulari activitate naturæ & indole febris evenit, ut uno ſtato exquiſito die ſimultanea excretio febrilis adminiſtretur, actu, quem vocant medici critico, quando videlicet ſeptimo vel decimo quarto die ſtrenua & copioſa quædam evacuatio febrilis contingit, ubi tamen illum ordinem eadem natura ſervat, ut in præcedentibus diebus magis circa præparandam materiam verſetur, quam, quia aliquo modo in qualitate ſua efficacius & citius nocente, alterata & temperata eſt, usque ad ſingularem talem diem aſſervat, eandemque poſtea ſimul & ſemel expellit.

§. XVIII. Interdum accidit, ut ſi natura in primariis ſuis excretoriis functionibus febrilibus impedita fuit, materia tamen aliquo modo præparata & temperata eſt, tunc particulares quasdam congeſtorias translationes ad certas regiones & loca inſtituat, & per illas ejusdem, affuſæ & collectæ materiæ excretionem inquirat & urgeat: ſunt tales apoſtaſes febriles, quæ in junioribus caput occupant, ut glan-

glanduloſi tumores inflammatorii illic occurrant, in adultioribus vero interdum phlegmonodei tumores oriuntur, quales ſi temere repelluntur, prægreſſam febris ſpeciem denuo & majori quidem impetu provocant.

§. XIX. Quando materia febrilis, non modo copioſa eſt, ſed & quoad qualitatem aliquo modo intractabilis, tunc per intervalla & præparatur & evacuatur, tanto magis ſi repentinam noxam non infert: hæc conſideratio involvit rationem proxyſmorum quos fruſtra vulgaris febrium theoria efficaciæ materiæ febrilis adſcribit, quaſi illa per exquiſita talia intervalla tanto pondere & tanta quantitate & qualitate generetur & colligatur, qua ad febrem denuo impellendam quadrare poſſet: equidem aſſero quod paroxyſmus tanquam temporaria febris exacerbatio & recrudeſcentia, neque a corpore neque a materia febrili, ſed a natura humana formetur & adminiſtretur, quæ rationabili conſilio, non uno continuo tenore materiam febrilem, quia non adeo urget neceſſitas, proſequitur, ſed prout ipſa reliqua indoles febris permittit majores vel minores intercapedines efficit & ita ſucceſſive materiæ præparandæ vires & operam adhibet.

§. XX. Ab hiſce motuum vitalium augmentis pendent ſymptomata illa, quæ in genere febrem prodant & comitantur: ſicuti calor conſectarium eſt, auctioris tranſitus & progreſſus ſangvinis per partes poroſas; frigus vero auctum tonum in ſuperficie corporis excipit, cum quo ſuperficialis conſtrictio & extenuatio, quidquod pallor & vaſorum ſangviferorum evaneſcentia convenit, ſicut cum copioſiori ſangvinis affuſione in ſuperficiem corporis rubor, inturgeſcentia, oppletio & anguſtatio conſpirant. Ab eodem augmento motus progreſſivi ſangvinis atque impulſu pendent capitis dolor, qui in febribus communiter occurrit & qui tanto magis increbeſcit, quo magis ſuperveniunt particulares congeſtiones Hæmorrhagiam e capite urgentes.

§. XXI. Appetitus dejectio in febribus non eſt coacta aut per phyſicam neceſſitatem producta, ſed rationabilis, cum certe temerarium & quaſi irrationale eſſet, tali tempore quo corpori putredo & mors imminet, cum voluntate cibos ingerere velle, aut quo natura omnes ſuas vires pro arcenda putredine imminente adhibere debet, ſi eadem impurum ſuum corpus & reliquam energiam ſuam, cum cibis oneraret. Ita etiam ſomni impotentia non phyſicis cauſis nititur, ſed ſimiliter rationalis eſt, cum tali tempore, quo tantum periculum corpori imminet, temerarium imo abſurdum eſſet, ſecuritati inhærere: propterea rectius ſub vigiliis atque ſenſuum externorum majori intenſione, natura providas excubias agit, ne ab extra corpori, in tanto periculo conſtituto per accidens quædam ſuperveniant, ex quibus tota ſalutaris naturæ intentio & operatio impedimenta & nocumenta ſuſcipere poſſet.

§. XXII.

§. XXII. Eodem reſpectu virium dejectio aut impotentia ad motus voluntarios, rationalis eſt, ſiquidem ſub febrium debita & efficaci adminiſtratione vires magis reſervandæ & ad extraordinarium hunc actum conſervandæ ſunt, neque neceſſe eſt, quo ſub febribus corpus multum voluntariò moveatur, illud vero neceſſe eſt quo motus vitales augeantur, ad quod augmentum vero vires extraordinariæ requiruntur; non minus ſitis, quæ febrem comitatur, rationalis eſſe obſervatur, cum aſſumtio potus ſufficientis partim diluendis humoribus, partim temperando æſtui, nec non humectandis partibus & promovendis ſe- & excretionibus atque demulcendis ariditatibus reſpondet, ſicuti interſiticuloſitatem hanc & ſucceſſivam humiditatis fluidæ diſſipationem rationalis eſt proportio.

§. XXIII. Quo magis natura in febrium negotio ordinem debitum transgreditur & vel exceſſive vel defective operatur, vel præmature vel præpoſtere ſe & excretiones ſuſcipit, aut ſecundarios quosdam effectus proſequitur, eo magis ſiniſtre totum negotium decurrit, non quidem per eſſentiam, ſed per accidens, ſiquidem febris talis actus eſt, qui exquiſitum ordinem, quoad eſſentialem ſuam rationem, involvit, attamen non ita penitus immunis eſt, quin in eodem natura negotia ſua erronee adminiſtrare queat ſoleatque; exinde fluunt gravia illa urgentia & periculoſa ſymptomata, ut ſunt ſpaſmi vehementiores, inopportunæ Hæmorrhagiæ, vomitus intempeſtivi, convulſiones, prodigæ diarrhœæ, affectus phrenitici, ſoporoſi, deliria, ſingultus, extrema virium decrementa, urina pallida & aquoſa, exanthematum retroceſſiones, Lipothymiæ, cardialgiæ extremæ, incongruæ horripilationes, inſenſibilitates æſtus & dolorum, involuntariæ excretiones &c.

§. XXIV. Nulla febris ſine excretione legitime decurrit: omnis excretio vero eſſe debet tempeſtiva; omnis opportunitas temporis reſpondere debet typo febris: omnis typus infert ſufficientes vires & activitatem naturæ & quicquid has vires impedit atque ratione ordinis atque temporis febrem offendit, illud magis periculoſum quam ſalutarem eventum proſequitur: unde minime expedit prædicta ſymptomata ad eſſentiam febris ſpectantia, pro morbo & effectu pernicioſo æſtimare & tractare, ſiquidem totus conſpectus febris legitime decurrentis, omnibus ſuis eſſentialibus requiſitis actum ſalutarem ſiſtit, ut adeo merito deridenda ſit illa præcipitata objectio, quaſi multi homines febricitantes tamen moriantur, cum non tam propter febrem, ſed propter irregularem hujus decurſum pereant: reliquas ad febrium indolem ſpectantes conſiderasiones, ſpecialior deductio commendabit.

CAPUT I.

DE

FEBRE EPHEMERA.

§. I.

POsteaquam brevibus generalem febrium tractationem præmisi, ita ad diversas febrium species commendandas & explicandas progredior, inter quas brevissimam maximeque benignam primo loco produco, quæ Ephemera sive Diaria est, utpote quæ a breviori suo decursu denominationem suam nacta est, quia tantum per diem aut aliquot horas durat & tunc iterum cessat, neque denuo redit, nisi per accidens ex Ephemera simplici, Ephemera plurium dierum, uti antiquioribus vocare placuit, oriatur.

§. II. Deprehenditur hæc febris familiaris esse junioribus subjectis, inter pueritiam & juventutem constitutis, maxime vero plethoricis & Narium Hæmorrhagiis aut motibus talibus Hæmorrhagicis obnoxiis, & subinde diversis suæ plethoræ commotionibus expositis, incipit mox cum æstuoso capitis dolore, atque reliqui corporis incalescentia febrili, coincidit virium & appetitus dejectio, pulsus celer & frequens evadit, accidit moderata quædam siticulositas, & in subjectis voracibus aut in quibus modo præcessit ciborum assumtio, tempestivus vomitus suboritur, denique communiter febris talis in sudorem moderatum excurrit, aut in quibusdam subjectis sub majori incremento doloris capitis, Narium Hæmorrhagia supervenit & ita postea sub levi languore febris cessat & desinit.

§. III. Ad provocandam hanc febrem concurrunt communiter tales causæ, quæ ad repentinas & immoderatas sanguinis commotiones faciunt, quales sunt exæstuationes importuniores, nec non inebriationes, aut copiosiores vinorum, sanguinem turgefacientium, ingestiones, vel ex aliis occasionibus provenientes repentinæ humorum commotiones, utpote quæ causæ in genere ad motus hæmorrhagicos contribuunt, adeoque ad hanc ipsam febrem disponunt, quo abundantiæ sanguinis molestiori & repente commotæ opponatur.

§. IV. Est itaque hæc febris actus naturæ, quæ per augmentum motuum vitalium sanguinis superflui tempestivam & moderatam imminutionem prosequitur, quam sive per moderatum sudorem sive per temperatam Narium Hæmorrhagiam impetrat: est vero hæc febris imprimis ita brevis, quia junior ætas ad constantiores & diuturniores tales actus, sanguinis imminutioni opponendos, non tantum quadrat, ac adultior, deinde quia sanguinis quantitas non adeo turgens & urgens est, quo major & copiosior consumtio per febrilem motum urgeatur.

§. V.

§. V. Et cum natura in hac febre præcipue ſanguinis imminutionem reſpiciat, ita ſi hoc tempore alia quædam materia in ventriculo obhærens, eandem impedit & per concoctionem adminiſtrandam a liberiori & vegetiori hujus febris adminiſtratione detinet, rationabili conſilio antea ventriculum evacuat, & per vomitum tempeſtive rejicit, quod ipſam moleſtat; proinde vero ipſam febrem ita inſtruit, ut vel ſub augmento tranſitus vegetioris ſanguinis per partes poroſas, aliqualem diſſolutionem & converſionem ſanguinis in ſerum impetret, atque remittente æſtu Serum illud ſub ſudoris forma eliminet.

§. VI. Etenim quam diu natura reſolutioni ſanguinis intenta eſt, tam diu motus febriles in conſueto ſuo augmento decurrunt, adeoque æſtus tantus eſt, quantus febris indoli competit, quo durante nullus ſudor prodit, quia adhuc natura cum reſolutione & præparatione materiæ occupata eſt, quæ circumſtantia etiam in ſingulis reliquis febribus valet, ſiquidem ſub majori æſtus gradu nunquam legitime & proficue excretio febrilis vel ſponte ſuccedit, vel artificialiter promovenda eſt.

§. VII. Quando vero natura cum hac febre ſincere ſangvinis excretionem proſequitur, tunc ad caput, per motus congeſtorios acerbiores, ſangvinem copioſius affundit, unde dolores capitis majores evadunt, donec obtento hoc fine, quem natura in hac febre proſequuta eſt, & liberato corpore a moleſto objecto, motus febrilis acquieſcat & ita totum ſchema hujus ſpeciei legitime decurrat: de reliquo illæ cauſæ prædictæ omnino ad concitandam hanc febrem quadrant, quia ad repentinam Plethoræ commotionem ita contribuunt, ac alias ad ſimplicem Hæmorrhagiam provocandam ſatisfaciunt.

CAPUT II.

DE

FEBRE SYNOCHA SIMPLICI.

§. I.

HAec ſpecies febris inter veteres medicos æque ac præcedens non modo frequenter obſervata, ſed & aſſidue annotata & allegata deprehenditur, & dicitur Synocha, ſive continens, eo, quia continenter durat, & in eo a continua differt, quod nullas ſymptomatum ſuorum remiſſiones inferat, quales tamen continua involvit: dicitur etiam Sangvinea & a quibusdam pro meliori explicatione imputris, quoniam ſimpliciter ad ſangvinis tractationem & exonerationem tendit.

§. II. Convenit hæc febris Synocha ſimplex cum præcedente Ephe-

mera, ob id ab antiquioribus Ephemera plurium dierum vocatur; & hæc Synocha non admodum frequens esse observatur, proinde vero a veteribus distingvitur a Synocho, qui nihil aliud est quam Synocha putrida, de qua mox dicendum erit; corripit Synocha simplicior subjecta juniora, plethorica, de sangvineo temperamento participantia, imprimis narium hæmorrhagiis antehac obnoxia & varias suæ plethoræ commotiones, subeuntia, maxime vero exæstuationibus immoderatis indulgentia.

§. III. Corripit mox cum calore insolito & ita sine horrore, inducit capitis dolorem, satis magnum, cum inflatione oculorum & venarum conjunctum, pulsus est febrilis, & simul plenus & magnus, afficiunt oppletiones in superficie corporis anguſtatoriæ, respiratio est profunda & laboriosa, afficit sitis, alvus est sicca, deficiunt vires & appetitus, urina est rutilans, quæ singula durant interdum usque in quartum diem, quo urina cocta aliquando prodit, quæ index est expectandæ futuræ vel criticæ vel eccriticæ sudationis: quando vero coctio in urina deest, capitis dolores vehementiores evadunt, somnus magis deficit, quid quod interdum deliræ phantasiæ aut actualia delira superveniunt, & si febris legitime decurrit, loco criticæ sudationis, Hæmorrhagia Narium critica oritur; per accidens aliquando conjungitur faucium inflammatio satis insolens; quando vero hæc febris corripit, communiter certum temporis terminum servat & summe matutinis horis, secunda vel tertia, invadit.

§. IV. Est hæc febris simile extraordinarium naturæ conamen, in quo per auctos motus vitales sangvinis, valde turgentis & urgentis, magnam imminutionem respicit, sive per largum sudorem sive per copiosam Narium Hæmorrhagiam inducendam, quo ipso actu vero non paucam sed notabilem & sufficientem sangvinis quantitatem exonerare contendit, unde hæc febris continens est & per plures dies durat, cum simplicior Ephemera exiguæ quantitatis exonerationem concernat.

§. V. Disponunt propterea ad hanc febrem tales causæ, quæ superfluum & valde urgentem atque antehac per Hæmorrhagias ventilatum sangvinem eximie impellunt, adeoque naturam humanam ad efficacem & strenuam illius remotionem & depletionem concitant, quæ hunc actum febrili fervore exercet, & vel sub aucta transpressione sangvinis per partes porosas, notabilem molesti & superflui sangvinis quantitatem dissolvit & in tenue serum convertit, quam resolutionem quarto die cum urina cocta commonstrat, per quam aliquid hujus seri successive eliminare incipit, donec denique septimo die per completam crisin vel ante illum per successivam eccrisin reliquam & totam dissoluti sangvinis quantitatem cum sudore liberali & sufficienti expellat.

§. VI

§. VI. Quo magis natura febrem hanc ad hunc effectum & eventum dirigit, eo magis æstus universam superficiem corporis angit, eo magis oppletoria angustia afficit, eo certius urina cocta prodit & ita omnes hi apparatus, ad peripheriam corporis collineant, quo magis contra ad alterum effectum Hamorrhagiæ Narium tendit, eo magis alvum claudit, eo minus per urinam excernit, eo certius urina manet limpida, eo magis congestiones caput afficiunt, eo magis dolet caput, eo facilius deliria superveniunt & oculi rubent, aurium tinnitus accidunt, aut in confiniis capitis inflammatoriæ commotiones occurrunt, donec tandem aliquando sangvis erumpat & sub strenua tali prosecutione non parum sed largiter effluere inchoet & continuet.

§. VII. Cum itaque hæc febris pro imminuendo sangvine suscepta sit, ita tali hora primum subjecta corripit, qua maxime in ordinario vitalitatis statu sangvificationis negotium inchoat, & post digestionem, chyli translationem in sangvinem & Lymphæ depurationem efficacius succedit; deinde hæc febris subjecta plethotrica juniora & ad sangvineas evacuationes proniora afficit: quid quod mox cum talibus commotionibus incipit, quæ ad resolvendum sangvinem pertinent, quales sunt illi impulsus vegeti sangvinis intra partes porosas: & cum in hac febre nihil e sangvinis massa, sed ipse sanguis vel sincerus vel dissolutus excernendus sit, ita sine præparatione organorum secretoriorum, restrictione humorum ad interiora & consequente horripilatione statim cum auctiori commotione sanguinis in totam superficiem corporis & consequente exæstuatione incipit.

CAPUT III.

DE

SYNOCHA PUTRIDA.

§. I.

Huic simplici Synochæ mox subjungo Synocham putridam, quæ antiquioribus etiam Synochus audit: putrida dicitur juxta antiquiorum mentem, quando sangvis jam putrescit, cum simplicior Synocha a Galeno sangvinea vocetur, quæ nuda & larga quidem sangvinis missione curari potest, in qua sangvis non putrescit: quanquam vero actualem putredinem in sangvine non adesse sentiam, quando febris, quæ putrida Synocha vocatur, supervenit, tamen peculiare aliquid concurrit, quod febrem sangvineam a præsenti eximie distinguit.

§. II. Est itaque Synochus talis febris in qua præter quantitatis sangvinis vitium etiam singulare & quasi prædominans qualitatis vitium occurrit, quando re-

reſpectu poſterioris, maſſæ ſangvineæ, materiæ ſubtiles noxiæ & putrefactoriam commotionem citius concitantes intermixtæ ſunt, a qua propterea corpus vivum tempeſtive & per febrilem efficacem commotionem repurgandum eſt: et ſi tales febres, quæ Synochæ putridæ appellationem merentur, curatius obſervantur, principalius hoc eſt vitium, quando mixtioni ſanguinis ob prædictam ſubtilem orgaſticam materiam putredo imminet, cum qua vero afflictione in uno individuo coincidit urgens ſuperflua ſanguinis quantitas, quæ per febrem jam ſuſceptam ita commovetur, quo eadem simul uno hoc actu auferatur & imminuatur, adeo ut cum in ſimplicioribus febribus unus effectus & ſcopus a natura intendatur, nunc in hac febre duplicatus finis obſervetur, nimirum primarius, qui circa qualitatis depurationem & ſecundarius qui circa quantitatis imminutionem verſatur.

Conf. Stahlii Diſp. de Febribus compoſitis ex acuta periodo.

§. III. Eſt itaque hæc febris ex continenti & continua compoſita, quæ in Hiſtoria practica admodum frequens eſt, adeo ut *Zacutus Luſitanus* (quanquam præter inſtitutum hunc nominetenus ſignificem) in *Med. Princ. Hiſt. Lib. IV. Hiſt. 9.* dixerit, *quod nulla febris ſit, quæ frequentius mortales premat, quam hæc*, & quæ propterea majori animadverſione indiget, ſiquidem propter hanc complicationem finium, juxta indolem ſuam & veterum obſervationem, periculoſior eſt.

§. IV. Subjecta, quæ febris hæc corripit, ſunt communiter juniora plethorica, in diæta plena & regimine irregulari conſtituta, animi activi, corporis floridi, ſangvinis evacuationibus adſveta: incipit interdum hæc febris ut Synocha ſimplicior, ſed mox complicationem ſuam ex acerbioribus ſymptomatum concurſibus commonſtrat, aliquando vero cum horrore inchoat, atque æſtus excipit, pulſus eſt febrilis, urina rutilat, affligit ſuperficiem corporis oppletio moleſta, occurrunt tum horum tum ſingulorum reliquorum febrilium ſymptomatum remiſſiones, quæ de complicatione continuæ febris teſtantur: de reliquo in hac complicata febre occurrunt pathemata, quæ tam de continua quam de continenti participant, ſicuti e continente major æſtus, e continua vero remiſſiones & denuo recurrentes ſenſibiles intenſiones ſymptomatum febrilium, concurrunt.

§. V. Quod vero potiores reſpectus, in hac febre notandos, attinet, tunc ad excretiones & motus excretorios occurrentes propius reſpicio, ſiquidem vi fundamentalis illius complicationis, evacuationes febriles, & continuæ & continenti febri competentes, ſi non ultimis ſuis eruptionibus & ſucceſſibus, tamen apparatibus & contentionibus occurſant, quid quod quaſi de prærogativa certant,

adeo

adeo ut signa coctionis illucescere compareant, sed facile per motus congestorios hæmorrhagicos intercipiantur : actus vero est constanter vehementior, & propterea motus ad resolvendum sangvinem efficacior, unde etiam diaphoreses quædam oriuntur, imo continuant, nisi per mala regimina & artificia impediantur ; nihil vero rarum est, in hac febre, quin facile imo frequenter acerbiores congestiones sangvineæ, ad hæmorrhagicos scopos destinatæ, in capite observentur, unde non modo dolores capitis vehementiores sunt, sed & deliria & anginodea molimina huic febri familiaria existunt, ut ita quaquaversum difficultas & periculosus status hujus febris compareat.

§. VI. Ob id hic actus febrilis naturæ opus est, quæ sangvinis, cum materia putre faciente inquinati, repurgationem & nimiæ illius quantitatis conjunctæ, imminutionem prosequitur, utrumque vero per augmentum pulsus & toni urget, dum peccantem materiam subtilem sub auctiori progressione sangvinis a reliqua pura humorum mixtione abstergere & separare & sub toni augmento atque proportionata applicatione, citius secernere & excernere laborat, qualem secretorium actum, dum in interioribus colatoriis organis administrare contendit, ita horum permeabilitate acquirendæ in tantum prospicit, in quantum mox in principiis totius actus febrilis suscipiendi sangvinem a peripheria ad interiora reprimit, & sub efficaciori tali sangvinis copiosioris transpressione per illa organa, non modo poros patulos & permeabiles reddit, sed & reliquas mobiles impuritates una educit & removet : quam superficialem constrictionem horror ille levis & brevis initialis excipit.

§. VII. Cum vero semel in motu extraordinario & vegeto constituta est natura, ita concursans sangvinis abundantia, reliquis salutaribus successibus, & effectibus non exiguum impedimentum objicit, propterea hoc eodem febrili actu per gradum aucto & sub naturæ directorio quadantenus variato, turgentis & urgentis plethoræ consumtio & imminutio intenditur, quæ partim per congestiones ad Hæmorrhagias respicientes, partim per auctiorem impulsum & connexam divulsionem atque dissolutionem sangvinis aut conversionem in Serum absolvitur, inde oriuntur raptus illi humorum ad caput (ut juxta stylum veterum loquar) deliria, pathemata anginodea & phrenitica, ex altera vero parte, majores oppletiones, diffusiores sudationes & acerbiores exæstuationes ; sicuti reliqua ad hanc ætiologiam spectantia tam e præcedentibus quam e succedentibus elucescent.

CAPUT

CAPUT IV.
DE
FEBRE CONTINUA.

§. I.

AD continuam febrem progredior, quæ propterea hanc denominationem tenet, quia non intermittit, sed a prima sua invasione continuo cursu usque ad suum exitum properat, interim sub hoc suo decursu, servat certis quibusdam horis brevem fervoris & acerbitatis suæ remissionem, ita ut patientes non adeo intense æstuent, vehementer capite doleant, multum sitiant aut valde inquieti esse observentur, interea tamen & calor & capitis dolor & sitis adhuc adsunt, neque penitus cessant aut intermittunt, licet remittant: dicitur etiam vulgo hæc febris Acuta, eo quod præcipitem periodum contineat, & vel septem vel quatuordecim diebus ad eventum suum pertingat, quæ propterea a chronicis & intermittentibus febribus distinguitur.

§. II. Incipit hæc febris cum horripilatione per intervalla recurrente, quam brevi post excipit calor imo æstus, subinde etiam concurrunt reliqua communia febrilia pathemata, velut siccitas oris & faucium, sitis, capitis dolor, virium & appetitus defectus, mitior pectoris angustia, somni impotentia, inquietudo, oppletoria & gravativa molestia in membris, quid quod in subjectis voracibus & in quibus irregularis diæta præcessit, interdum primis diebus vomitus oriuntur, & pulsus totus est febrilis, urina in primis diebus rutilans & limpida, quæ singula per tres dies, usque in quartum immutata durant, donec quarto die, legitime decurrente febre, urina cocta compareat & deinde sudores prodire inchoent, qui circa quamlibet remissionem successive erumpunt: tanto magis vero in hac febre æstuant & sudant patientes plethorici, & facilius de reliquo hac febre corripiuntur homines de temperamento sangvineo & cholerico participantes & si tales excretiones tam diureticæ quam diaphoreticæ recte succedunt, interdum per septem, undecim & quatuordecim dies febris hæc excurrit; quando vero coctionis signa deficiunt, tunc deterior est status, ita ut etiam necessariæ diaphoreses desint & prima periodus sine ullo levamine decurrat, unde nona dies in acutis periculosa esse deprehenditur, quoniam quasi denuo ad negotium febrile sese accingit natura & cum nihil prægressis diebus commissum fuit, quod febri levandæ quadraret, tunc in hoc secundæ periodi limine, statim delinquit & febris sinistre excurrit.

Conf. Stahlii program. de Periculo nonæ diei in Acutis.

§. III. Est hæc febris actus extraordinarius naturæ, ad salvandum cor-

corpus directum per augmentum motuum vitalium ſuſceptus, quo materia quædam ſubtilis, ſumme orgaſtica & ad præcipitem putridam corruptionem inferendam apta, ex humoribus, quibus intimius inhæret, abſtergitur, ſeparatur & denique tempeſtive excernitur, per ejusmodi loca, e quibus alias tenues materiæ inimicæ educuntur, nimirum per diureſin & diaphoreſin, utpote quæ eſſentiales & principales huic febri competentes excretiones exiſtunt.

§. IV. Et cum ſubtilis hæc materia intimius maſſæ ſangvineæ interagitata eſt, eidemque antea paulo firmius inhæret, ita primario neceſſe eſt, quo eadem prius liberetur, abſtergatur atque ab hoc nexu reſolvatur, minime vero præmature ad ſe & excretionem urgeatur, hinc legitima febris indoles ita conſtituta eſt, ut minime cum excretionibus mox inchoet, quin potius aliqui dies decurrant & præcurrant, in quibus natura huic abſterſioni præmittendæ, operam dat, quæ ſub efficaci ſangvinis tranſitu per partes poroſas contingit; ſervat tamen etiam in & cum hoc actu natura illam temporis rationem, quam in genere ad febriles decurſus impendit, ut videlicet circa dimidium primæ periodi ad ſeceſſionem talem pertingat, eandemque quarto die in urina cocta demonſtret, a quo tempore proxime febriles excretiones ſucceſſive procedunt, quando videlicet ſub quolibet paroxyſmo aliquid hujus peccantis materiæ, e priſtina cohæſione liberatum fuit, quam materiam poſtea natura, remittente majori motuum febrilium gradu, tranquillius, tam cum urina quam cum ſudore, eliminat.

§. V. Dum vero pro hoc actu abſterſorio & ſecretorio præcipue etiam interna viſcera colatoria requiruntur & adhibentur, ita neceſſe omnino eſt, quo eadem ad ſolennem hunc febrilem actum rite præparentur, cui requiſito mox per initia proſpicit natura, dum a peripheria ad interiora copioſius congerit & reprimit humores, qui ſub efficaciori transfluxu per organa illa juſtam & neceſſariam aperturam conciliant, & quicquid alieni inhæret, abſtergunt & removent: ex qua reſtrictione ſuperficiali horripilatio prædicta pendet: quid quod ille, in hac febre, naturæ mos eſt, ut quando in ventriculo aut inteſtinis & primis regionibus impuritates quædam hærent, quæ futurum liberum effectum & ſucceſſum abſterſorium & ſecretorium impedire poſſunt, eædem tempeſtivè ſive per vomitum ſive per alvi fluxum removeantur, quo reliqui actus & decurſus febriles efficacius & facilius progrediantur.

§. VI. Quando ſub hac febre ſimul ſangvinis ubertas naturam aggravat, tunc per augmentum efficacioris transpreſſionis ſangvinis intra poroſitates, cujus conſequens major incaleſcentia eſt, ſimul hujus urgentis quantitatis imminutio intenditur, ſicut hoc in præcedente Synocha putrida febre indicatum fuit; aut evenit ut motus hæmorrhagici immoderatiores caput infeſtent,

stent, & facile deliria causentur: interea vero hæc operatio naturæ in hac febre secundaria est, quæ priori, qua depuratio tempestiva sangvinis intenditur, conjungitur.

§. VII. Quantum quidem ex ipsis effectibus observatur, materia peccans in hac febre est satis subtilis, quæ proinde ex ejusmodi causis & occasionibus prodit, unde vel in ipso sangvine floridiori eadem materia generari, vel aliunde communicari potest: quapropter ad hanc febrem provocandam contribuunt immoderatæ commotiones & exæstuationes corporis, aut repentinæ sudorum prægressorum repressiones, vel spirituosorum ingestiones & subjunctæ spumefactoriæ sangvinis commotiones & similes adhuc aliæ occasiones, e quibus singulis talis subtilis, valde mobilis, orgastica sive intestinam & putrefactoriam humorum commotionem augens materia, generatur, quæ ne ad effectum talem putrefacientem properet, salutari omnino inventione & conamine per hanc speciem febris a natura profligatur, quid quod ita proportionate & accurate tractatur, ut motibus febrilibus legitime exeuntibus, conveniens & tempestiva illius materiæ secessio, se- & excretio sperari queat: quibus singulis recte connexis & judicatis facile hæc febris ab illa vulgata opinione repurgabitur, quasi turbulentus & essentialiter pernicioſus atque præternaturalis actus sit.

CAPUT. V.

DE

FEBRE ARDENTE.

§. I.

HAec febris peculiari nomine indicatur & Ardens, ad differentiam aliarum, vocatur, quid quod a veteribus per excellentiam πυρ dicitur, quasi in hac febre ignis & fervor ad summum gradum pervenerit; unde non modo æstuosa hæc febris est, sed plane ardens propterea que veteres inter se disceptarunt, an in hac febre putredo, an vero combustio adsit; ardens vero dicitur, quia non simplex æstus, sed urens ardor, qui in aliis febribus deest, hic exquisite concurrit, quippe qui sub præcordiis sedem suam habet, & ab hinc velut in totum corporis ambitum sese effundit, licet aliquando in interioribus obhæreſcat, quando superficiem corporis horripilatio quædam pervadit, unde innotuit illud medicorum dicterium, quod interna urant, externa vero frigeant, siquidem a veteribus ob multam anguſtiam & cardialgiam hæc febris Asodes & ab aliis comburens a quibusdam fastidiosa vocatur.

§. II.

§. II. Non immorabor diffusiori commemorationi multiplicis denominationis, inter medicos occurrentis, quin potius simpliciter indico, quod hæc ardens febris illa sit, quæ vulgo cholerica audit & quæ duplicis gradus est, una mitior, quæ *Biliosa* est, altera acerbior & periculosior, quæ *Causus* existit & febrem illam Hippocratis lethiferam constituit, quarum febrium phænomena sequentia sunt: mitior & Biliosa quidem febris ad continuum rypum transit & semitertianariam indolem exhibet, dum quotidie notabiles exacerbationes, sed vagis quibusdam invasionibus sistit, adeo ut in relatione ad continuam febrem exacerbationes illæ, paulo serius recurrant, in respectu vero ad tertianam febrem communiter præoccupent, adeoque quotidie paroxysmos forment, quorum alterni bini ratione temporis congruunt, de reliquo vero satis acute decurrunt.

Conf. Stahlii disp. de Febre Biliosa. De Febre Lethifera Hippocratis.

§. III. Invadit ejusmodi ardens febris cum horrore, quem mox excipit æstus, magna virium dejectio, gravis & discreta anguſtia præcordiorum, ita ut interdum ob hanc Lipothymiæ metus adsit, caput valde dolet & vertiginosa perturbatione laborat, urget æstus aridus, magna sitis, quæ in causo clamosa vocatur, quia cum multo clamore & impatientia efflagitatur, quando vero patientes avidius potum ingerunt, aut frigidum potum assumunt, graviores anxietates præcordiales experiuntur: in febre biliosa tempestive oritur nausea eximia, conatus vomendi, aut interdum concurrens inquietudo torminosa in abdomine, donec mox vel vomitus impetuosus biliosus erumpat, vel alvi fluxus biliosus concurrat, qua excretione peracta, successive urina valde rutilans sedimentum concipit & febris hæc, per sudores repetentes & sub paroxysmorum remissionibus occurrentes definitur, adeo ut intra unam vel alteram periodum, mitior talis ardens febris excurrat.

§. IV. Causus vero est gravior & acerbior gradus febris ardentis, in quo omnia prædicta & reliqua etiam symptomata longe impetuosius affligunt & insistunt, cum maximo angore & ardore interno, absque tamen biliosa illa tempestiva dejectione, nisi vagus quidam, anxius, inordinatus & frigidus sudor interdum erumpat: decurrit ita periculosus hic status usque in sextum aut septimum diem, sine occurrentibus coctionis signis, alvus est rigide clausa, quin evenit denique, ut sexto die paucus & fœtidus vomitus erumpat, sed qui nihil levat, quin mox funestus exitus instet, ita ut patientes vix septimum diem superent, ob id Hippocrates aliqualem spem fecit, si patientes septimum diem transgressi sunt: etiam si vero contigerit, ut præsens periculum egressi fuerint patientes, quod tamen raro fit, tamen in futurum nulla fida & firma sanitas sequitur, quin suspecta Hectica accidat & tunc patientem jugulet; unde etiam

ob ſingularem ſuum periculoſum ſtatum hæc febris cauſus dicitur, quia imprimis vehementiam cauſeos ſive internæ aduſtionis exſerit.

§. V. Eſt propterea febris talis ardens ſollicitus & rigoroſus naturæ actus quæ internæ arroſioni a bile accerrima ventriculo, pyloro & inteſtino duodeno inductæ ita conſulit & ſuccurrit, ut bilis temperationem & excretionem per auctiores motus vitales intendat atque urgeat, unde materia febrilis, in hac ſpecie febris, eſt bilis, quæ ſub acriori confermentatione cauſtica reddita fuit, adeoque tum prædicta loca, tum imprimis tendinoſum ſenſibilem pylorum ægerrime afficit & interni illius ardoris, ſub præcordiis deliteſcentis, urgentis & angentis cauſa evadit, pro quo ardore demulcendo & acriore bile diluenda magna illa ſitis occupat; cum vero in affectis locis ſenſibiles ſtricturæ adſint, ita largiores potulentorum ingeſtiones, aut interna refrigeria cum potulentis ingeſtis commiſſa ob repentinam alterationem male perferuntur adeoque majores ſtricturæ ad ingeſtorum potulentorum revomitionem directæ ſuſcipiuntur.

§. VI. Et dum corroſiva bilis partes tam ſenſibiles afficit, ita ad easdem vehementior congeſtio dirigitur, qui ordinarius modus naturæ eſt, quo ſtimulationibus talibus inductis, ſeſe opponit, unde in febre ardente communiter interna inflammatio adeſt, ſiquidem ex hac repreſſione humorum ad interiora illæ ſuperficiales horripilationes, in hac febre occurrentes, oriuntur: interea vero ob periculoſiorem ſtatum in hac febre præſentem & majorem animi & corporis angorem, quid quod ob graviorem reſpirationis oppreſſionem vires magis ſunt dejectæ, & dum motus ſtrictorii vomibundam excretionem concernentes, ſuperiores regiones magis occupant, ita caput ſubinde majori ſanguinea congeſtione affligitur, ex qua tam vertiginoſæ perturbationes, quam deliræ interdum commotiones pendent.

§. VII. Quando in hac febre cauſtica illa bilis tempeſtive evacuatur, tunc præoccupatur interna imminens putrida corruptio, ſi vero hæc bilis vel ob tenacitatem ſuam, vel ob nimiam tenuitatem, vel ob paucitatem, vel ob nimium angorem & errorem naturæ, non tempeſtive excernitur, ſed diutius retinetur, tunc mox internam illam arroſionem putrida corruptio excipit & eventus redditur lethalis, quale quid in Cauſo occurrit, in quo concurſans interna inflammatio, fruſtra ſuccedens, ſimiliter in exitum talem ſphaceloſum deſinit, ut propterea nihil proficiat, etiamſi ſerius materia illa bilioſa cauſtica aliquo modo excernatur.

§. VIII. Si vero tempeſtive bilioſa talis dejectio ſucceſſit, tunc per reliquum febrilem motum, illud e maſſa humorum ſeparatur, quod vel de tali colluvie bilioſa, eidem inſinuatum eſt, vel quod ſub febrili motu ex ipſo ſangvine

ne genitum fuit, hinc tails ſubtilis orgaſtica & putrefaciens materia, partim per diureſin, partim per diaphoreſin repetitam evacuatur: de reliquo illis maxime horis ardens febris exacerbationes ſuas ſubit, quibus juxta communem ordinem affundendæ bilis in inteſtina eadem nunc copioſius transfertur, adeoque quaſi ſtimulum adjicit, id quod communiter antemeridianis horis ſuccedit, ex quo bilioſæ febres, quoad paroxyſmos, tertianis febribus reſpondent, ut propterea veteres tertianas continuas bilioſis febribus annumeraverint.

CAPUT VI.

DE

FEBRE INFLAMMATORIA.

§. I.

CUm de Ardentibus, febribus dixerim quod inflammatorium quiddam contineant, ita mox progredior ad ipſas febres inflammatorias exponendas, de quibus vero mox in primo limine indico, quod non propterea inflammatoriæ dicantur, quaſi inflammationes efficiant, aut ab inflammationibus neceſſitentur & efficiantur ſed quod inflammationibus vel vehementius inchoantibus vel factis, majoribus tamen & in nobilioribus partibus exiſtentibus, ſalutari quadam directione ſuperveniant, quo natura unitis quaſi viribus, tam inflammatorio quam conjuncto febrili motu metuendæ putredinis effectum excludat: quo reſpectu inflammatoria febris ſymptomatica & ſecundaria appellari poteſt, quia inflammationibus præcedentibus demum ſupervenit.

Conf. Stahlii Diſp. de Febribus ſecundariis.

§. II. Propterea hæc febris perinde periculoſior eſt, quam alia benigna febris, quia in eadem extraordinariæ naturæ operationes duplicatæ ſunt, & tam quoad inflammationem, quam quoad ipſum ſuum typum, magis quam ſimpliciter acutum morbum, exhibent: eo periculoſior vero in hac febre ſtatus eſt, quo nobiliores partes inflammatione tali laborant, ſiquidem ſingulæ illæ inflammationes, quæ in abdomine occurrunt, diſcreta quadam prærogativa ominoſiores exiſtunt quam reliquæ.

§. III. Subjecta quæ inflammatoriis febribus corripiuntur communiter obſervantur vel magis vel minus plethorica, & ſangvinis commotionibus expoſita; quoad invaſionem ſuam febres tales cum horripilatione inchoant, ſuperveniente æſtu, per momenta increbeſcente, ita ut in initiis magis continentem quam continuum typum æmulentur; concurrit proinde hæc ſingularis circumſtan-

ſtantia, ut quo intimior & major aut periculoſior eſt inflammatio eo certior ſub reliquo febris decurſu & æſtus continuatione patientes ad levem externi aëris admiſſionem refrigeſcant, & moderate exhorreſcant: ſi vero membrum tale aëris contactui ſubtrahunt, atque denuo obtegunt, tunc moleſtum æſtum denuo percipiunt.

§. IV. Concurrunt cum hac febre multi taciti angores & inquietudines, nec non reliqua ſymptomata febrilia, & quando inflammatio in aliqua regione aut parte ſuperficialis eſt, tunc percipitur dolor pulſatilis & lancinatorius in affecto loco, qui vero obtuſior & vix ſenſibilis eſt, quando inflammatio profunda exiſtit; imprimis vero in ventriculi inflammatione frequentius occurrit, ut patientes vel leviſſimum contactum affectæ regionis, etiam ſi a pulvillo molliori provenerit, ægerrime perferant: a quarto die febris urina rutilans turbari & mutari incipit & ſedimentum ex roſeo pallidum, quod de lympha attenuata & intermixto principio ſulphureo ſeroſo participat, dimittit, quod perperam quidam pro vero pure agnoſcunt,: ſucceſſive vero madores contingunt, aut interdum criticis diebus largiores ſudores, quibus cum vel madoribus vel ſudoribus hæc febris excurrit.

§. V. Interdum occurrunt tempeſtivæ Narium Hæmorrhagiæ in ſubjectis junioribus aut loco harum, deliria, in Lienis inflammatione ſiniſtre exeunte oriuntur denique circa ſeptimum vomitus nigricantes & fœtidi, quibus brevi poſt mors ſupervenit: aliquando ita excurrit febris inflammatoria ut abſceſſum internum poſt ſe relinquat, cui poſtea hectica febris accidit, & deinde eventus itidem funeſtus eſt.

§. VI. Quemadmodum Febris Inflammatoria propter inflammationem & potius pro illa quam contra illam eſt, ita primario ſuas intentiones & fines in hac febre natura cum inflammationis formali ratione conjungit, & ob id hæc febris ſalutarem finem habet, quando per hanc natura humana inflammationis efficaciorem & meliorem ſucceſſum adjuvat, ſublevat & urget, tanto magis vero, quia ob dignitatem affectæ partis, ob defectum interni auxilii artificioſi, ob difficultatem interni regiminis motibus inflammatoriis conjungendi, ob concurrentem interdum ineptitudinem partis affectæ, quo minus eidem neceſſarius inflammationis gradus applicari queat, totum hoc negotium adminiſtrandæ inflammationis arduum exiſtit, adeoque tali ſuperveniente naturæ auxilio febrili indiget, quæ ipſa febris, quia conjunctim cum inflammatione metuendæ putredini reſiſtit, ſimiles effectus continet, nimirum continuantes ſubtiles reſtrictiones ſangvinis, a ſuperficie ad interiora & affecta quidem loca, quas conſtans moderata horripilatio ſequitur, præprimis quando aura nudam aliquam partem contingit.

§. VII.

§. VII. Deinde vero reliquum motuum augmentum, nimirum æſtum insignem poſt ſe trahit, qui motus auctior, cum primario ad diſcutiendam & referandam ſtafin directus ſit, ita febrilis excretio cum illo tantum accidenti connectit, quando ſub hoc auctiori progreſſu quantitas quædam ſanguinis hujus reſolvitur, attenuatur & in ſerum ſubtile ſulphureum convertitur, quod non quidem exquiſitis horis eliminatur, ſed ſucceſſive, dum natura interno diſcuſſorio ſcopo intenta eſt, tam ſub madoris quam ſub urinæ forma dimittitur: tanto major vero & incaleſcentia & ſudatio evadit, quo magis patientes plethora laborant, qua præſente natura, quæ ſemel in motu eſt, particulares congeſtiones ad caput ſuſcipit & conjungit & vel actuales Hæmorrhagias producit, vel nudos infarctus & vehementes capitis oppletiones, quæ deliriis provocandis inſerviunt, inducit.

§. VIII. Non æque neceſſe eſt, latius hoc loco differere de illis cauſis & occaſionibus, quæ ad ſtaſes internas provocandas contribuunt, illud ad minimum indico, quod nuda ſangvinis ſpiſſitudo, non ſatisfaciat indoli febris inflammatoriæ recte commendandæ, ſiquidem rariſſimum eſt, quod prædominantes melancholici, quibus ſpiſſitudo ſangvinis eſſentialis eſt, hac febre corripiantur, quin potius inculco, quomodo ſingulares conſtrictoriæ obſtipationes, aut congeſtoriæ commotiones immoderatiores ad tales internas ſtaſes contribuant; quales ita nominatæ commotiones non raro cum intentione & contentione Hæmorrhagica cohærent, ſiquidem inter alias & reliquas principaliores, quas modo generice nominavi, cauſas, illæ adhuc notari debent, quæ ex ſenſibili refrigeratione poſt prægreſſam majorem exaſtuationem repentinas partium conſtrictiones & ſangvinis incarcerationes poſt ſe trahunt.

§. IX. Primarius tam inflammationis, quam conjunctæ febris ſcopus eſt reſolutio & diſcuſſio, qui ſi obtineri non poteſt, ſecundarius urgetur, qui eſt ſuppuratio, uti in Pathologia inflammationum in genere, explicatum fuit; quando vero contingit, ut interna diſcuſſio obtineri haud queat, tunc abſceſſus apoſtematicus, ne maturius corruptio ingruat, ſupervenit: quoniam vero interni abſceſſus variis humorum affluxibus expoſiti ſunt, & ſubinde puris remotio & impuritatum abſterſio non facile impetrari poteſt, propterea immedicabile ſupervenit malum, videlicet ulcus internum, ſub quo aliquandiu corpus conſervari & a repentina morte præſervari poteſt; interdum vero etiam accidit, ut inflammatio, tempeſtiva diſcuſſione deſtituta, circa ventriculum aut in liene immediate in putredinem ruat, ut de hinc in extremis hiſce neceſſitatibus comprehenſa afflicta natura ultimo quodam ſed ſalubritatem non impetrante tentamine, per vomitum affectas partes liberare contendat, quo ipſo putrida illa materia rejicitur.

CAPUT

CAPUT VII.

DE

FEBRE CATARRHALI BENIGNA.

§. I.

Sicut interdum inflammationes & quidem minores sine febre procedunt, majores vero & ominosiores cum febre complicantur, ita etiam similis circumstantia, circa catarrhorum considerationes occurrit, dum quidam simpliciter decurrunt: aliqui vero febris concursum involvunt ut ita talis febris propter catarrhum suscipiatur, quando hic nobiliorem partem gravius occupavit & contumacius detinet, aut simul subtiliores organicas & ad corruptiones inferendas habiliores materias parti alicui inducit, qualis febris subinde non tam catarrhi augmentum, quam citiorem & efficaciorem resolutionem & affectæ partis liberationem respicit.

§. II. Ad ejusmodi febrem disponuntur subjecta quæ alias catarrhis obnoxia sunt, maxime vero sangvineo phlegmatica aut cholerico-phlegmatica & vice versa; servat etiam talia tempora, quæ catarrhis provocandis quadrant, nimirum vel vernale vel autumnale. & licet antiquioribus medicis hoc nomine haud usitata deprehendatur, tamen inter Arabes occurrit hæc febris, quæ Latica dicitur, ab humore pituitoso, latice, quem nos catarrhalem vocamus, uti Græci phlegmaticam febrem, quam de quotidiana indole esse asserunt, nominant.

§. III. Præsupponit itaque hæc febris in affecto subjecto præcedentem & concurrentem catarrhum sive Coryzam impeditius succedentem, sive Gravedinem sive infarctum pectoris mucidum & difficulter exeuntem: invadit non modo hæc febris circa vesperam, sed & circa solis occasum suas exacerbationes sistit, & quidem corripit cum præcedente moderato refrigerii sensu, mox æstus excipit, attamen moderatior, affligit capitis gravitas aut pectoris angustia cum aliquali tussiculosa commotione, sitis est, non adeo vehementer urgens, adeoque mitis, vires non multum sunt dejectæ, neque penitus somnus deest, afficit quandoque raucedo, calor vero febrilis plurimum per noctem decurrit, donec post quartum quasi paroxysmum remittente caloris acerbitate, quotiescunque videlicet futuri paroxysmi per horas mitigantur, sudor moderatus procedat & successive in septimum, undecimum aut decimum quartum diem hoc ordine continuet: interea aliquando spontaneæ diarrhœæ (quæ in hac febre non æque pernicioſæ sunt, modo moderate progrediantur, cum contra alvi adstrictiones periculosiores existant) occurrunt, nec non catarrhi præsentes paulo volubiliores reddun-

tur,

tur, per accidens vero concurrunt & quidem magis ob malum regimen, anginodeæ faucium & glandularum in collo inflationes: de reliquo hæc febris mitior neque admodum periculosa est, nisi vel ex mala medicatione vel malo regimine in lentam febrem conjiciatur.

§. IV. Est propterea hæc febris operatio naturæ, qua urgentem, refractarium, & partem sensibilem valde afficientem catarrhum resolvere, discutere & ad successum suum promovere allaborat, unde tali tempore partim primum invadit, partim exacerbationes suas repetit, quali catarrhales decubitus augeri & exacerbari solent, id quod vespertinis horis vulgo evenit: ad hanc efficaciorem catarrhorum discussionem inducendam quadrat copiosior restrictio humorum ad affectam partem, quo major & vegetior transpressio, partim discussorium effectum post se relinquat, partim fluidiorem materiam affundat, ut eo melius infarctus catarrhales educi queant, quam restrictionem sangvinis ad alias & internas partes communiter superficialis horridula sensatio excipit.

§. V. Disponunt, itaque ad febrilem concursum tam catarrhus acrior & contumacior, qui simplicioribus motibus absterforiis & resolutoriis non obtemperat, quam externæ tempestates, quæ ad humorum commotiones suscipiendas & augendas contribuunt, nec non reliqua ratio temporis, quando videlicet verno, vel autumnali tempore natura ad motus extraordinarios exercendos magis inclinat, quo adhuc qualiscunque reliquorum humorum collecta impuritas serosa subtilior contribuit quam uno eodemque febrili actu eliminare contendit natura.

§. VI. Unde hæc Febris Catarrhalis primario quidem cum catarrhi resolutione atque facili successu decurrit, deinde vero e reliqua massa sangvinea absterguntur & removentur impuritates serosæ, tam per moderatam diuresin, quam per lenem diaphoresin: quoniam vero causa impulsiva & objectiva in hac febre tam præceps & sonticum aut putridum damnum non minatur, propterea motus febriles temperatiores sunt & reliqua symptomata mitiora: sicut proinde facilis alvi successus vel moderatus fluxus in tantum universo febris decursui subvenit, in quantum vel impuritates e primis regionibus, vel spissiores mucidas materias, ad fovendos catarrhos idoneas subtrahit & imminuit, & illud præoccupat, ne successive per talem materiam præsentes catarrhi augeantur & foveantur.

CAPUT VIII.
DE
FEBRE TERTIANA.

§. I.

Ad intermittentes febres nunc progredior, quæ per exquisita intervalla revertun-

tuntur, adeoque non modo remittunt, ſed & penitus per unum aut alterum diem intermittunt, i. e. acquieſcunt, ut affecti homines nihil quicquam de febrili ſymptomate experiantur, ſed quaſi ab omni febre liberi compareant, & hoc modo intermittentes febres opponuntur acutis, ſiquidem illa adhuc differentia inter utrasque annotanda eſt, quod intermittentes chronicæ ſint, & communiter diutius continuent, non raro etiam admodum contumaces, neque tamen ita periculoſæ exiſtant niſi valde perturbentur, ſubinde denique aliquando in malam conſuetudinem degenerent.

Conf. Stahlii Diſp. de Febre Tertiana.

§. II. Inter intermittentes vero febres principalis eſt Tertiana, quæ tanquam ſpecimen omnium reliquarum febrium produci & commendari poteſt, quia in eadem plurima illa ſymptomata, quæ ad febrium eſſentiam ſpectant, occurrunt & quæ tam de pulſus quam de toni augmento participant: dicitur vero Tertiana legitima & ſimplex, quæ ab uno paroxyſmo ad alterum per triduum decurrit atque per unum diem intermittit & exquiſite alternis diebus occurrit & talis quidem febris uſitatius verno tempore invadit & homines juniores & paululum activiores corripit.

§. III. Quoad ſimplicem Hiſtoriam (quam brevibus delineare placet) hæc febris antequam exquiſitum ſuum typum prodit & ingreditur, invadit ſubjecta cum eximiis capitis doloribus, æſtu & multa defatigatione, adeo ut exinde facilius continua febris quam intermittens expectari & prædici queat, quæ alteratio vero poſt aliquot horas ceſſat, donec alterno die, paulo exquiſitius & cum ſimplici ſuo typo febris hæc invadat.

§. IV. Corripit quidem ſingulis paroxyſmis ſubjecta antemeridianis horis & circa tempus jentaculi, nona circiter hora: invadit cum torpore animi & corporis, oſcitatione, incipiente horridulo ſenſu in lumbis, qui magis magisque per dorſum & reliquum corpus ſe effundit; frigent extremitates narium, aurium & digitorum, impalleſcunt patientes & quaſi contabeſcunt ad conſpectum, ſucceſſive intenſius horrent & circa hypochondria ſtricturas percipiunt, fitiunt hoc tempore intenſius, quin denique vehementer horrent; hic horror continuat per dimidiam horam (ſi enim diutius inſiſtit, de febris majori contumacia teſtimonium perhibet, et ſi brevius durat, æſtus vero longior & vehementior eſt, tunc febris hæc magis in continuam inclinat) & quando jam miteſcere incipit occupant quædam Cardialgiæ aut conatus nauſeabundi & vomibundi, donec circa exitum frigoris & initium caloris in junioribus evemetis vomitus occurrat, in adultioribus vero aliquando diarrhœa; qualis excretio ſi diu deficit, febrem contumaciorem eſſe denotat.

§. V. Hunc paroxyſmum frigoris confeſtim excipit paroxyſmus caloris, cum

cum dolore capitis æſtuante, tenſorio, pulſatili, qui in ſubjectis junioribus, magisque plethoricis acerbior & intenſior eſt, ſubinde vero calor externum corpus pervadit, cum pulſu exquiſite febrili, qui calor magis magisque augeſcit & in ſubjectis plethoricis major evadit atque diutius durat, ſiquidem alias per ſex, octo, decem aut duodecim horas continuat, concurrit etiam ſitis, & multa laſſitudo, quando vero æſtus remittit, tunc ſequitur ſudor: quo tempeſtive itaque & ſufficienter paroxyſmus frigoris cum vomitu, caloris vero cum ſudore ſolvitur & ventilatur, eo facilius hæc febris decurrit & excurrit; & vice verſa.

§. VI. Quando hæc febris præmature ſupprimitur, tunc non modo certius & citius ſuſpectas & periculoſas recidivas ſubit, ſed & in alvi obſtructiones, appetitus vitia, cardialgias, affectus hydochondriacos, hecticos, phthiſicos, hydropicos, oedematoſos & ſimiles contumaces morbidas conſecutiones degenerat, quæ ægerrime curari poſſunt, ni prægreſſa febris e fundamento curetur, ſiquidem inter alia etiam hæc certiora quædam indicia ſunt, quando tertiana febris non ſecure excurrit. ſi alvus clauſa eſt, & appetitus valde dejectus.

Conf. Stahlii Diſp. de Febribus intermittentibus turbatis atque corruptis.

§. VII. Quoad ætiologicum ſuum conſpectum, eſt hæc febris naturæ actus, quæ per augmentum motuum vitalium, imprimis ventriculum & interdum etiam connexum inteſtinum duodenum, vel ab inhæreſcente ſpiſſa, viſcida, lenta & tenaci paſta & materia, vel ab aceſcente & bilioſa, quæ concoctionis negotium valde impedit, liberare contendit, ita, ut talem materiam antea convenienter præparet & deinde vel per vomitum vel per diarrhœam expellat, adeoque tempeſtive huic functioni concoctionis, ad vitam omnino ſpectanti, conſulat & ſubveniat.

§. VIII. Contribuunt itaque ad Tertianam febrem diætæ irregularitates, non quidem longo temporis ſpatio commiſſæ, ſed quaſi uno errore peractæ, quando videlicet comeſta fuerunt alimenta Spiſſa, viſcida, quæ difficulter concoqui poſſunt & ad mucum tenacem generandum idonea exiſtunt, uti ſunt alimenta indurata, piſces craſſiores, crudiores, oſtreæ, cochleæ &c: deinde vero ſeorſim ad hanc febrem provocandam quadrat iracundia commiſſa & ſuppreſſa, ut propterea ex hac cauſa orta tertiana, de bilioſa indole participet.

§. IX. Quando itaque febrili motu natura ventriculum vel a tenaci inhærente materia, vel a bilioſa liberare nititur, tunc antea conſulto quodam conamine hanc materiam ad futuram facilem & expeditam excretionem præparat dum eandem diluit, emollit, humectat, abſtergit adeoque mobilem & tractabilem reddit; hoc ipſum vero juxta ſuam inventionem atque vires ſuas ita inſtituit, ut e maſſa ſangvinis fluidiorem & humidiorem aquoſo-ſeroſam materiam intra Ventriculum ſecernat, id quod imprimis contingit ſub efficaciori humorum reſtrictio-

ne e ſuperficie ad interiora, quam repreſſionem propterea frigus & horror excipit pro quo ſcopo præparante & diluente ſitis etiam concurrit: ſi itaque ſub hac humorum repreſſione atque tenuium fluidarum ſubſtantiarum ſeceſſione emollitio materiæ febrilis ſucceſſit, tunc denique excretio ſupervenit ſive anoterica ſive catoterica.

§. X. Aggreditur vero natura quolibet paroxyſmo bono & rationabili conamine hoc opus febrile, tali tempore atque hora, quando ventriculus reſpectu ordinis naturalis ad uſus concoctionis applicari ſolet, videlicet circa tempus jentaculi, quo tempore per motus febriles hanc partem repurgare laborat, adeo ut hæc repurgatio & excretio huic febri principaliter & eſſentialiter competat; & cum talis repurgatio & excretio paululum facilius quam in quartana fieri poteſt, ita repreſſio humorum ad interiora ſub quolibet frigoris paroxyſmo non tam diuturna eſt, neque etiam de reliquo ipſa natura in hoc actu longinquiorem moram nectit, ſed per unum tantum diem acquieſcit & de hinc denuo per talia intervalla finem ſuum proſequitur.

§. XI. Quando ſub reſtrictione ſangvinis ad interiora aliqualis ſeceſſio humiditatis ex ſangvine & præparatio materiæ contigit, tunc denuo natura ſangvinem ab intra extrorſum iterum propellit, quo priſtinam fluiditatem ſub efficaciori tranſitu per partes poroſas ipſe nanciſcatur, quia ſub prægreſſa detentione in internis viſceribus & perpeſſa ſequeſtratione humidæ ſubſtantiæ aliquam ſpiſſiorem conſiſtentiam nactus eſt; cui itaque emendandæ prædictus impulſus & efficax tranſitus in & per partes poroſas, nec non continuata potus ingeſtio, inſervit.

§. XII. Sed quoniam ſub hoc poſteriori motu aliquid de ſanguine interdum fortuito, interdum vero, & quidem quando patientes plethorici ſunt, deſtinato in ſerum convertitur, ita hoc attenuatum ſerum remittente paroxyſmo caloris maxime per ſudorem excernitur, adeoque ab hoc accidenti ſub reliquo vegeto febris decurſu, unà tum ſanguis tum totum reliquum corpus liberatur, quod Serum quo copioſius generatur & colligitur & quo magis ſucceſſive attenuatur eo facilius accedente vel levi quodam impulſu poſthac acuto quodam continuo fervore profligatur.

§. XIII. Si vero hæc febris ante ſufficientem excretionem opprimitur, tunc non modo materia peccans in affecta parte remanet, ſed & inductæ ſtricturæ in viſceribus abdominis ad futuras incarcerationes, ſangvinis ſpiſſitudines, ordinariarum ſe-et excretionum ſufflaminationes & ſimilia vitalium functionum offendicula contribuunt, propterea que ad prædictos affectus provocandos commode & facile ſatisfaciunt, præprimis vero ad conſequentes conſtrictorias & ſpaſmodicas afflictiones excitandas concurrunt, quia vel ipſa talis febrium ſuppreſſio, per modum inductæ conſtrictionis contigit, vel de reliquo in legitimo hujus febris decurſu efficacia Toni augmenta occurrunt.

CAPUT

CAPUT IX.
DE
FEBRE QUARTANA.

§. I.

PRæcedentis Tertianæ febris commendatio illuſtrabit pathologiam febris quartanæ, quæ quoad communem ſuam indolem admodum contumax & refractaria eſt, ſiquidem diu ſubjecta detinet & affligit, quæ propterea in ipſa ſua indole impatientia, inquieta, moroſa, & faſtidioſa evadunt; Quartana vocatur, quia ab uno ad alterum Paroxyſmum per quatuor dies decurrit, adeoque duos dies intermittit, quia negotium in hac febre non tam cito abſolvi poteſt, proptereaque ad difficilem & immorigeram hanc febrem expediendam pluribus viribus natura indiget, & hinc ſemper per duos dies acquieſcit.

§. II. Uſitatius autumnali tempore quartana corripit, quo ordinarie quaſi illæ partes, quæ in hac febre laborant, cum multis impuritatibus obſeſſæ & oppletæ ſunt, quales ſunt primæ regiones, videlicet glandulæ Meſenterii, Hepar, Pancreas, Lien ex parte etiam glandulæ inteſtinorum, quæ partes in quartana febre ob diutius prægreſſam irregularem diætam, cum multa ſpiſſa & viſcida materia oppletæ ſunt, ut propterea negotium generandæ & depurandæ Lymphæ, ſecretionis & abſterſionis Seri & bilis graviter impediatur.

§. III. Invadit itaque quilibet hujus febris paroxyſmus pomeridianis horis & illis præcipue, quibus in ordinario vitalitatis ſtatu, hæ partes ad uſus vitales applicari ſolent; incipit hæc quartana cum frigore, non tamen ita magno ut in Tertiana; eſt hoc frigus conſectarium reſtrictionis humorum e peripheria ad interiora: per quam repreſſionem bono conamine intendit natura ſequeſtrationem humidioris & fluidioris materiæ, intra affectas partes, quo materiam inhærentem eluat & emolliat; ſed cum hoc negotium non ita cito & prompte ſuccedat, propterea non ſimul & ſemel multa & nimia humorum repreſſione & affuſione affectæ partes obruuntur, quæ nunc cum materia ſpiſſa oppletæ ſunt; unde reſtrictio illa moderatior & frigus remiſſius eſt: quod vero aliquo modo in gradu deficit, illud natura tempore compenſat, adeoque hanc moderatam humorum reſtrictionem, diutius continuat & frigus temperatum in Quartana per unam imo alteram horam continuat.

§. IV. Remittente frigoris paroxyſmo neque vomitus neque alvi fluxus ſupervenit, quia materia peccans intimius hæret, neque tam cito emolliri poteſt, & ſi aliquo modo mobilis reddita fuit, tunc propter varia impedimenta non tam promte ſecerni poteſt, hinc diu neceſſariæ & ſalutares excretiones

deficiunt, ni ſucceſſive & ſimul lente progrediantur, aut plane convenienti arte adjuventur, unde potius ob difficiles ſecretionum ſucceſſus, alvus ſicca, ſtricta & compacta eſt, & dum e primis regionibus variæ impuritates mucidæ aceſcentes & bilioſæ ſub reliquo febris ſucceſſu maſſæ humorum immiſcentur, ita non raro ipſa craſis ſangvinis depravatur, & febricitantium externus conſpectus redditur luridus atque obſcure flaveſcens quo adhuc pertinet, vultus auſterus & moroſus, qui reſpondet cum diuturnitate & difficultate febris præſentis.

§. V. Quando Paroxyſmus frigoris præteriit, tunc excipit paroxyſmus caloris, qui neque ita diuturnus neque ita intenſus eſt, ac in tertiana, propterea quidem, quia ſub mitiori reſtrictione humorum ad interiora & parciori ſequeſtratione humiditatis ſangvis non tam ſpiſſus redditus fuit, unde non tanto impulſu ad ſui diſſolutionem indiget, propterea que non tantum ſangvinis conſumitur & in ſerum reſolvitur adeoque exeunte paroxyſmo caloris ſudor neque tam facilis, neque tam ſufficiens eſt ac in tertiana, niſi huic diaphoreſi & medicaminibus & regiminibus aptis ſuccurratur: ſub tantis difficultatibus vero diu quartana durat, ita ut per quadrantes annorum terminos aut ſemeſtre vel plane annuum ſpacium ſeſe extendat; interea ſub reliqua moroſitate patientis, huic febri familiaris eſt immorigera voracitas aut deſiderium talium alimentorum ex quibus antehac fomes hujus febris contractus fuit, uti ſunt cibi ſaliti, frigidi, indurati, fumo permixti, piſces, farcimina, haleces, braſſica muriatica &c.

§. VI. Quando hæc febris vel male tractatur vel per ſe ſiniſtre decurrit, tunc tales affectus ſuperveniunt, qui in affectis viſceribus imprimis radicantur, ut ſunt icterus flavus & niger, affectus Hepatici, ſplenetici, melancholici, hectici, hydropici, contumaciſſimi, qui ſinguli nituntur oppletione prædictarum partium & ſufflaminatione functionum vitalium cum talibus partibus præſtandarum & ſicuti ipſa Quartana affectum contumacem conſtituit, ita tanto magis conſequentes morbi refractarii exiſtunt & communiter in ſiniſtrum eventum degenerant.

CAPUT X.

DE

FEBRE INTERMITTENTE COMPOSITA.

§. I.

CUm de febribus intermittentibus ſimplicibus hactenus dictum ſit, nunc placet brevibus adhuc mentionem injicere intermittentium compoſitarum febrium, quæ a ſimpliciori indole propterea degenerant & complicationem febri-

brilem, maxime quoad paroxyſmos ſuos, ſubeunt, licet illa etiam complicatio certo reſpectu appellari poſſit, quando intermittentibus febribus aliquid epidemici accidit, uti interdum tertianæ febres graſſantes obſervatæ ſunt, quæ epidemico ſuo inquinamento in ſubjectis aptis, in quibus materia ad febrem tertianam impellendam idonea præſto fuit, ad ejusmodi febrilem tertianarium eventum tranſierunt.

§. II. Equidem hoc loco magis loquor de benigna intermittente compoſita, quæ vel quotidiana eſt, dum primus & tertius, ſecundus & quartus paroxyſmus, ratione ſuæ invaſionis, quoad horas exquiſitas ſibi invicem reſpondet, adeoque indies paroxyſmus ex intermiſſionibus ſuis redit: occurrit etiam aliquando tertiana continua, quæ ab exitu paroxyſmi caloris mox poſt breviſſimum intervallum cum paroxyſmo frigoris denuo incipit & continuat: datur etiam tertiana quotidiana duplicata, quæ indies quidem recurrit, ſed ſimul bis ſingulis diebus revertitur, quando per aliquot horas intermiſit.

§. III. Ejusmodi febres quoad communem ſuam indolem ſunt valde immorigeræ, & ſubinde facile in continuum typum delabuntur: oriuntur vero vel in ſubjectis quæ alias immorigeri animi ſunt, vel impatientia vel inquieta exiſtunt, adeoque malo regimine ſimpliciorem ſuam febrem perturbant; vel provocatur aliquando talis compoſita febris cum mala medicatione & liberali alexipharmacorum uſu, in hominibus plethoricis; vel oritur in ſubjectis quæ olim non multum ægrotarunt; vel cohæret talis febris cum febre bilioſa, dum ex prægreſſa iracundia orta eſt, vel denique interdum confuſæ tempeſtates, quæ alias ad morborum typos permutandos concurrunt, ad talem febrem etiam diſponunt.

§. IV. Conſiſtit itaque ejusmodi complicatio vel in erroneo & immorigero motuum febrilium exercitio, in qualem errorem natura vel ſponte ruit ob ordinarios impatientes & auſteros motus, vel ob ægrotandi inſvetudinem, vel ob perturbationes qualescunque perpeſſas, ſive morales ſive medicas, unde exceſſive & impatienter peccanti materiæ ſe opponit commota natura, quemadmodum interdum per intermittentem typum ſed compoſitum materiam bilioſam proſequitur (quam alias continuo typo ad excretionem urget) quando unà tales materiæ concurſant, quæ alias ſimpliciori intermittenti typo profligari ſolent; dum vero in qualibet tali circumſtantia natura in acerbiores motus inclinat, ita ex facili ſtimulo intermittentem typum in continuum mutat, quo magis cum reliqua maſſa ſangvinis ſubtiles ſeroſæ & orgaſticæ materiæ fluctuant vel plethoricus & frequentibus atque facilibus commotionibus expoſitus habitus concurrit.

CA-

CAPUT XI.

DE

FEBRE HECTICA.

§. I.

SEquitur alia ſpecies febris in pathologia notatu maxime digna, quæ ob gravitatem ſuam vulgo etiam perquam terribilis eſt, nimirum Hectica, quam homines inter reliquos ominoſos & incurabiles affectus valde averſantur, ſicuti ſemel hac febre exquiſite correpti, vix facile aliquam reſtitutionem ſperare poſſunt; Hectica vero vocatur ab illo viſibili phænomeno ſucceſſivè increbeſcentis contabeſcentiæ habitus corporis, quæ denique in extremum ſtatum excurrit, ut corpore quaſi penitus emaciato & ſingulis viribus conſumtis, poſt longam moram patientes extingvantur.

Conf. Stahlii Diſp. de Febre Hectica internorum abſceſſuum comite. De Hectica Febre.

§. II. Eſt hæc febris exquiſite chronica, ita ut pro diverſitate ætatum per numeroſos annos continuet, in ſe vero ſpectata ſine eximiis proximis, quin ex levibus occaſionibus patientem invadit, cum inſolito febrili calore, qui per intervalla exacerbatur, maxime vero poſt paſtum meridianum, ubi moleſtus & inteſtinus ſiccus calor corpus percurſat, ut maxime genæ & volæ manuum primum æſtuent, & rubeant, accedente langvore animi, ſiti, oris ſiccitate, virium moleſta dejectione, tuſſicula vel ſicca, vel leviter humida quando malum in pectore hæret, appetitus dejectione aut vago deſiderio alimentorum frigidorum & ſapidorum, qui calor per aliquot horas continuat & denique cum quadam ſudatione olida excurrit; interea hectici patientes ordinarie pallidiores ſunt & conſtanter virium defectu laborant, quin magis magisque contabeſcunt, non tranquille dormiunt, poſt ſomnum magis debilitati comparent, facile externi aëris ambientis frigidiuſculis alterationibus obtemperant & inde admodum male afficiuntur, vel contra facile in volaticos ardores proni ſunt: alvus irregulariter ſuccedit, interdum vero ſub laxiori conſtitutione & liberaliori fluxu vires magis imminuuntur, & talis quidem ſtatus diu ſeſe protrahit, ut aliquando mitior compareat, nonnunquam vero ſubjecta graviter affligat & poſt longum tempus prædicto modo funeſte exeat, ubi adhuc illud phænomenon allegare placet, quando practici de ſudore colliquativo in hac febre occurrente, loquuntur, qui vero valde rarus eſt, & ſi denique contingit, inſuper funeſte excurrit.

§. III.

§. III. Non placet in opiniones veterum evagari, quando causam febris hecticæ limitatis quibusdam putridis qualitatibus assignarunt, quin potius simpliciter hoc loco juxta Scretæ mentem indicabo, quod certior, verior, magisque perpetua hujus febris causa atque fomes sit abscessus ulcerosus in interno quodam nobili viscere; & licet aliquando Hectica febris immineat, quando perfectus talis abscessus nondum adest, tamen tunc temporis communiter illa initia adsunt, quæ in abscessum denique desinunt, ut sunt Scirrhi interni aut infarctus viscerum; quando vero perfecta & completa hectica febris adest, tunc communiter perfectus & completus abscessus præsto est.

§. IV. Adeoque hæc febris est illo respectu propter præsentem abscessum, dum natura mediante motu hoc febrili, per certa intervalla hujus interni ulceris repurgationem & absterſionem prosequitur, ne eo citius ulcus tale in subſtratam partem latius sese dispergat ejusdemque texturam gravius consumat, ut propterea natura citius teneatur, quo corpus suum deserat: etenim interni tales abscessus expositi sunt copioso affluxui diversorum humorum, ne itaque a tali affluxu abscessus ille gravius offendatur natura bono consilio in tantum suo corpori subvenit, in quantum adhuc mortem præoccupare potest.

§. V. Principalis itaque in hac febre naturæ operatio est, quo internum ulcus successive repurget, & sordes aliorsum transferat, secernat & excernat, & cum talis abscessus in actuali corruptione consistat, ita hac febre illis maxime horis & temporibus, præsenti afflictioni subvenit natura, quibus materiæ quædam corruptionem foventes, humoribus & visceribus insinuantur, quale tempus est post pastum: ob id etiam hectica laborantes patientes aversantur tales cibos, qui corruptionem fovere possunt, uti sunt carnes, & appetunt talia, quæ aliquo modo internas absterſiones promovent, qualia sunt sapida.

§. VI. Sub hoc actu, ubi corpus in tantum a præmatura morte liberandum est, consulto natura humana abstinet ab ulteriori sui corporis nutritione & singulas suas vires ad hoc præsens & magis necessarium opus applicat, neque ad voluntarias, minus necessarias corporis commotiones impendit: dum vero interea successive corpus contabescit & impallescit, ita, quando hæc febris denuo exacerbatur, calor sese in talibus partibus prodit, quæ adhuc laxiores & aliquo modo carnosæ sunt, ut sunt genæ & manuum volæ; & dum sub febrili hac commotione, successive impuritates ulcerosæ resorbentur, quid quod una aliquid de ipso sangvine in tenue serum conversum fuit, propterea inquinamenta talia partim per successivas diureses, partim per moderatas diaphoreses evacuantur.

§. VII. Viscera quæ abscessu correpta in hectica demortuis observata sunt, fuerunt vel pulmones, vel Hepar, ex cujus scirrhosa & ulcerosa constitutione etiam hydropici affectus oriuntur, quibus denique hectici superveniunt, ut patientes in superioribus regionibus contabescant, in inferioribus vero intumescant, sed & in tali statu paulo citius, quam in simpliciori hectica pereant: pulmonum vero abscessus lentior & benignior est; proinde Hectica observata fuit, quod Renum & glandularum Meseraicarum abscessibus superveneriit: illud vero adhuc hoc loco adjiciendum est, quomodo juniores & activiores patientes hectici, ob nimiam impatientiam, ex qua facilius sub hac febre siniſtrum quiddam committunt, citius emoriantur, quam adultiores, temperatiores & continentiores, qui in extraordinario hoc actu majori tranquillitate negotia sua extraordinaria administrant, neque tam cito contrarias actiones & consecutiones immiscent.

CAPUT. XII.

DE

FEBRE LENTA.

§. I.

Quando præcedenti Hecticæ febri mox Lentæ febris explicationem subjungo, tunc statim confusionem frequentem inter Hecticam & Lentam febrem intercipio, licet Hectica febris respectu decursus sui, lenta quidem existat, i. e. chronica, tamen utriusque non una eademque causa est, quanquam iterum Lenta per accidens in Hecticam degenerare possit, uti alias ex historia practica fluit, quomodo Hectica febris ex prægressis internis inflammationibus & febribus inflammatoriis, Lenta vero ex continuis ortum traxerit; hinc hæc Lenta febris non tantopere periculosa esse observatur, qualis communiter quidem Hectica existit.

§. II. Lenta itaque hæc dicitur febris, quia lentum successum atque decursum habet, licet ex acuta febre oriatur; interea vero aliquo modo prægressam vel continuam vel etiam intermittentem, quoad typum suum quadantenus imitatur, sed mitiorem indolem & remissiorem successum præsentat, dum patiens per aliquot hebdomadas febricitat, sed magnos febriles insultus non experitur, unde æstus est mitior, sitis minor, capitis dolor tolerabilior, virium prostratio remissior, & appetitus non penitus prostratus, somnus etiam non plane imminutus, licet turbulentus est, fauces, quamvis non absolute

siccæ

ficcæ ſint; tamen glutinoſa muceſcentia moleſtantur, alvus eſt inordinata, caput temulentum, interdum vertiginoſum maxime vero in plethoricis, & cæterum etiam debile, interea color faciei impalleſcit, & habitus corporis contabeſcit, & ſi hæc febris denuo perturbatur & offenditur vel in prægreſſam acutam cum majori periculo redit, vel in Hecticam febrem denique degenerat.

§. III. Illud in hac Lenta febre notatu maxime dignum eſt, quod excretio huic febri eſſentialis conſiſtat in largiori ſudore; qui ferme toties erumpit, quoties febricitantes in ſomnum propendent, & oculos claudunt, quo ad eundem ſe componant, ſiquidem tunc ſudor hic, magis largius quam parcius effluit, adeo ut non tam qualiscunque ſudor, quam multus huic febri plus quam reliquis familiaris exiſtat, qui minime pro exceſſivo declarandus & tractandus eſt, ni vel prægreſſa febris, vel Hectica ſupervenire debeat; præter hunc ſudorem ventilat etiam ſeſe quantiſper hæc febris cum diureſi, ſiquidem urina unà turbida effluit; qualis excretio, ſi ſufficienter ſucceſſit denique febris imminutionem & ceſſationem infert.

§. IV. Sicut hæc febris Lenta eſt, ita materia febrilis nunc in tali qualitate conſtituta eſt, in qua Lentam & haud præcipitem noxam minatur: hæc enim materia, ſi in prægreſſa quadem febre aliquo modo ad futuram evacuationem præparata, & in tantum correcta, ne tam repentinam perniciem inferat, tamen nondum excreta, ſed tam diu retenta eſt, ita inpoſterum natura acutum typum febrilem in lentum mutat, cum non habeat, quod tam cito metuat; quo ipſo vero lento ſucceſſu & tardiori febris continuatione ultimam executionem & materiæ præparationem atque evacuationem adminiſtrat & perficit.

§. V. Hanc excretionem illo maxime tempore ſuſcipit, quo ſub ſomno ab alia externa diverſione ſeſe ſubtrahit & ad aliqualem quietem ſe diſponit, hinc ſudor hic ſub ſomno præcipue effluit & quidem ſatis largus, quia tam diu & in tanta copia, materia collecta & retenta fuit, dum vero in hoc actu non tam præceps periculum imminet, ita reſpectu lenti ſucceſſus ſingula febrilia ſymptomata in hac febre mitiora ſunt: quo ipſo juxta hanc declarationem innoteſcit, quod materia febrilis in humoribus magis oberret, quam in partibus, ſi vero etiam in hac ſubordinata ſalutari excretione natura coercetur & impeditur, tunc vel antiquo impetu excretionem materiæ adverſæ proſequitur, vel ſi hæc materia ſub longinquioti mora in corpore teneriora quædam viſcera inficit & afficit, tunc præſens ſtatus in Hecticam febrem delabitur.

§. VI. Oritur itaque Lenta febris vel ex prægressis acutis continuis, quando excretio diaphoretica non convenienter & sufficienter successit, vel oritur ex intermittente prægressa, quando imprimis patientes fuerunt plethorici & post prægressas reliquas excretiones, tamen diaphoresis haud convenienter decurrit, quin magis impedita & turbata fuit: siquidem alias etiam in hac febre interdum natura hoc refugium atque consilium capessit, ut impeditius succedente sudore, translationes quasdam phlegmonodeas in externa membra instituat & per hasce aliqualem corpori subvenientem ventilationem prosequatur.

CAPUT XIII

De

FEBRE MALIGNA IN GENERE.

§. I.

Sicut hactenus aliquot species benignarum febrium exposui, ita jam interponere placet considerationem Malignarum febrium, priusquam hoc ordine in genere malignitatis indolem exposuerim & a vulgaribus traditionibus repurgaverim: siquidem imprimis malus & detestandus ille mos est, quando præter necessitatem tam ludicre & liberaliter interdum etiam pro coloranda & excusanda ignorantia, malignitas plenis buccis declamatur atque accusatur, in multiplicibus morbis, in quibus tamen nihil quidquam maligni adest, cum potius ipsa vera malignitas in medicina practica rara sit avis.

§. II. Malignitatis acceptio in veteri medicina non cognita esse deprehenditur, ad minimum non tali sensu, quali inter posteros innotuit, quanquam passim inter veteres appellatio lethiferorum morborum & talium qui malos mores habent, occurrat; proprie vero indicat malignitas talem statum in morbis, qui magis quam juxta vulgarem modum, periculosus est, adeoque venenosi, contagiosi, crassantis, pestiferi quiddam continet, aut acceleratam putridam corruptionem imminentem & expectandam involvit; & quanquam diversi morbi passim occurrant, qui citius corruptioni putridæ subjecti esse deprehenduntur, habent tamen in tantum maligni, præ singulis reliquis summam prærogativam, quod in iisdem plus quam in aliis repentinus putridus eventus metuendus sit.

Conf. Stahlii disp. de Malignitatis præcipue febrilis indole.

§. III.

§. III. Et cum de febribus malignis mihi sermo sit, ita in genere mox notandum & indicandum est, quomodo hæ febres peculiare quoddam schema, per diversa signa discretum, constituant, ubi non quidem hoc loco illud malignum voco, quando morbus quidam vel incurabilis est, uti phthisis, hydrops, &c. aut quando affectus absolute pernicioſus existit, uti ulcus vel sphacelus, aut quando affectus, plus quam alii morbi, valde periculosi existunt, velut sunt inflammationes internæ, aut denique quando morbus quidam perverse, irregulariter aut corrupte decurrit, ubi vitium in motibus & moribus maxime hærere observatur.

§. IV. A potiori vero accuso malignitatem in materia, quæ ita comparata est, quo repentino fermentativo intestino suo motu præcocem dissolutionem extremam mixtioni animali minetur, qualis materia non crassa neque subtilis sed subtilissima est, & quæ non modo cito intima corporis penetrat & inficit, sed & tenerrimos porulos corporis superficiales ingreditur, ut frustra sit, harriolari aut supponere quasi juxta antiquum philosophicum canonem, quo simile simili gaudere dicitur, miasma malignum cum saliva tanquam humore valde fermentante communicetur: quin fabulam olet, vulgaris traditio, quasi contagium in forma visibilis sulphurei flammantis halitus, per aërem voliter.

§. V. Sunt vero familiaria signa febris malignæ, extrema virium dejectio, cum taciturnitate, anguſtia & maxima consternatione animi conjuncta: deinde pulsus ipse est solito debilior: virium jactura repentina est neque successiva, adeo ut nulla causa tam momentanei virium lapsus cito compareat; imminent propterea ob hanc anguſtiam & summum languorem animi viriumque actuales Lipothymiæ; perturbatur animus & deliria superveniunt sine æstu urgente siquidem in malignis febribus minime eximius æstus adest: concurrunt multæ vigiliæ & magna insensibilitas, tum morbi in genere considerati, tum etiam reliquorum symptomatum, quæ in affectu hoc occurrunt: de reliquo conjunguntur in febribus malignis singularia quædam & gravia urgentia pathemata, quæ cum reliquo febris decursu non statim exacte comparari possunt: interdum efflorescunt exanthemata, aliquando vero denique irregulares & incompleti motus convulsivi superveniunt, & quidem, quando totum malignum morbi schema siniſtre excurrit.

§. VI. Quod jam causalem deductionem febrium malignarum attinet,

net, dictum fuit, quod materia maligna præcipitem putrefactionem mixtioni humorum & partium ſolidarum comminetur, adeoque inopinatam perniciem introducat, quam primum eadem corpori inſinuata eſt : & tale repentinum & improviſum vitæ periculum non poteſt aliter, quin animam, corpus ſuum æſtimantem, admodum offendat, ut propterea eadem extreme angatur, ob metuendum tam repentinum periculum, pro quo expugnando & efficaciter avertendo, haud tempeſtivum & animoſum conſilium ex arena capeſſere poteſt ; unde magis trepidat, titubat, conſternatur, atque animum & vires ſimul dejicit quale quid in moralibus fieri ſolet, ſi repentinum periculum homines minus præparatos & ſecuros obruit.

§. VII. Ab hinc pendet illa extrema virium dejectio, pulſus debilitas, animi taciturnitas, Lipothymia, irregularis functionum adminiſtratio, periculoſorum ſymptomatum ortus & perturbata atque confuſa motuum in hiſce febribus applicatio ; utpote quæ aſſertio magis rationabiliter cum animi æſtimantis, judicantis & deliberantis indole convenit, quam ſi vagis quibusdam ſuppoſitionibus inhærere velim, ſiquidem inter miaſma malignum, & virium enervationem nulla evidens ratio, demonſtratio, aut tantum probabilitas produci poteſt.

§. VIII. Interea vero febris & (dum tanta in œconomia vitali adeſt anguſtia) qualecunque conamen reſiſtendi malignitati & malignis effectibus, occurrit, licet ſub multa tergiverſatione & confuſione : motus proinde febrilis non eſt eximius, ſed magis placidus & lenis, partim ob reliquam imbecillitatem virium, partim ob conſultam aliquam rationem, cum tam ſubtilis materia vegetiores impulſus non bene perferat ni eo magis intra mixtionem humorum immitti & imprimi & ad effectum ſuum putrefactorium promoveri debeat.

§. IX. Quando ſub tali moderato febrili motu una cum reliquis humoribus maligna materia per corpus transvehitur, optima tunc excretio illa eſt, quæ placidè, tranquille & ſubtiliter decurrit, atque ab omni impetu libera eſt, quando videlicet materia maligna iterum in forma ſubtiliſſimæ halituoſæ ſubſtantiæ, per poros ſuperficiei corporis tranſpirat, per quos intra corpus ſeſe demiſit : omnes enim vel craſſæ vel impetuoſæ vel nimiæ & diffuſæ evacuationes in febribus malignis ſunt ſuſpectæ & periculoſæ.

§. X. Non

§. X. Non quidem animus mihi eſt, jam operoſius de genealogia materiæ malignæ tractare, cum communiter ab extra eadem corpori communicetur, & non niſi extremæ quædam afflictiones & circumſtantiæ contingere debeant, ſi in corpore materiæ malignæ & peſtilentiales generantur: interea tamen ex putrefactionibus in ſuperficie terræ contingentibus, una cum aëre miaſmata talia transferuntur & propagantur, quod enim vulgo de venenoſis ſiderum influxibus differitur, illud ſane ſupra captum humanum eſt, & tantum in opinione verſatur, quantum vero momentaneæ tempeſtatum mutationes imprimis caloris cum humiditate, ad augendam & exaltandam fermentativam putrefactoriam commotionem contribuant, ſine multa opera & difficultate demonſtrari poteſt.

CAPUT XIV.

DE

FEBRE PESTILENTIALI.

§. I.

PEſtis eſt flagellum Dei, adeoque talis morbus, qui ferme toties diſcrepat, quoties graſſatur, ut adeo in prima ſua invaſione quoad typum ſuum, nondum ſatis liqueat, niſi antea multus hominum numerus ſuccubuerit & tanto magis pœna divina in hominum mentem incidat, unde etiam communiter hanc vindictam Dei talis calamitas comitatur, qua puniens manus altiſſimi eo magis gravis & acerba perſentiſcatur, videlicet terror, timor & anxietas, utpote qui effectus eo magis extremi hujus morbi invaſionem & graſſationem invitant.

§. II. Vulgo quidem inter Peſtem & Febrem Peſtilentialem differentia ponitur, & licet aliquando Peſtis ſine motu febrili obſervata fuerit, tamen eandem cum febre complicatam hac occaſione conſideramus, hæc vero

eſt

eſt mitis, lenis & tranquilla, quemadmodum totus hic morbus princeps eſt inter affectus malignos, quem prædictæ circumſtantiæ, tanto magis concernunt.

§. III. Exſerunt ſeſe in Peſte talia phænomena & pathemata, quæ in veteri lege imprimis, deſcripta reperiuntur, quando ſummus vindex populum Iſraeliticum ob commiſſam legis transgreſſionem carbunculis punire, & corpora hominum in cadavera convertere comminatus eſt, ita tam hæc, quam alia ſigna Peſtem produnt, ut ſunt præceps invaſio, & præceps exitus, adeo ut intra biduum aut triduum communiter ſiniſtre & funeſte decurrat: deinde affectus mox & animum & vires proſternit ſummam anguſtiam & animi averſionem conciliat, cito late graſſatur & ſanos homines inficit, quid quod per ſuperficiales illos tumores ſive bubones ſive antraces aut carbunculos ſeſe prodit, nec non in demortuis repentinam putrefactionem inducit & hiſce primarie ſignis malignitatem ſuam peſtiferam, ab aliis malignis febribus diſtinctam, exhibet.

§. IV. Interdum hanc peſtem antecedit, interdum adhuc comitatur, Petechiarum efflorescentia, proinde varia alia ſymptomata in peſte occurrere obſervantur, quæ tamen pro diverſitate ſpeciei variant; aliquando incidit peſtis cum capitis dolore temulento, nonnunquam occurrunt vomitus, aliquando deliria, quandoque diarrhœæ, hæmorrhagiæ, ſpaſmi aut convulſiones, quandoque etiam irregulares ſudores, vel etiam tranſpirationes halituoſæ, (quo nomine imprimis in medicina Practica ſudor anglicus innotuit, qui in tali vaporoſa ſalutari tranſpiratione conſtitit) interdum evenit ut circa exitum Peſtis Petechiæ, ſed funeſte, efflorescant, quid quod in ſubjectis adhuc vivis proxime ante mortem aliquando livores, ſive maculæ nigricantes, comparent, quæ vulgo tanquam mortis præſagium æſtimantur, & ita vel cito ſubjecta moriuntur & poſt mortem non obrigeſcunt, ſed flacceſcunt, colliquantur, in tabum diffluunt, extremum cadaveroſum foetorem ſpargunt, & deterrimum conſpectum præbent, vel ſub tempeſtiva ſubtili diapnoe & moderata atque conſtanti tranſpiratione atque primorum ſymptomatum mitigatione ad ſe redeunt, remanente magna defatigatione & interdum capitis debilitate: quo loco duplex illa circumſtantia adhuc annectenda eſt, quomodo ſubjecta, quæ peſtem modo tali tempore ſuperarunt, licet hæc adhuc diu & ſtrenue continuet tamen ab eadem denuo haud corripiantur: deinde quomodo Peſtis hominum & Brutorum non facile inter ſe invicem tranſcendat.

§. V.

§. V. Contagium materiale Peſtis eſt ſumme ſubtile, ex vehementioribus putrefactionibus, præcipue cadaverum humanorum, ortum, copioſe per aërem diſperſum, & vivis corporibus humanis ſubtiliter inſinuatum, quod repentinam putredinem mixtioni integræ nunc minatur & niſi repente iterum expellatur, eandem ſine ulla mora actu exſerit: & hoc præceps atque extremum vitæ periculum non poteſt non, quin in animo ſummam conſternationem excitet, aut extremam aliquam dejectionem & anxietatem, quæ iterum non phyſico alicui effectui imputari poteſt, ſiquidem inter peſte correptos homines alii conſervantur in quibus perinde peſtilentialis materia cum humoribus oberrat, quæ tamen cum majori continentia & ordinariis motibus excretoriis eliminatur, aut ſicuti in hominibus, qui modo peſtem ſuperarunt, nihilominus adhuc miaſma peſtiferum fluctuat, quoniam in loco & aere infecto morantur, in quibus tamen nulla amplius talis anxietas præſto eſt, ſicuti in priori ſtatu natura ſub reliqua ſua tranquillitate materiam contagioſam, humoribus inſinuatam non tam extreme expaveſcit, aut cum extremo trepitationis affectu proſequitur, ſed continenter & placide tractat, in poſteriori vero hujus miaſmatis jam adſveta, illud non amplius extraordinariis moralibus & vitalibus alterationibus proſequitur.

§. VI. Et quemadmodum peſtiferum miaſma ſumme ſubtile eſt, ita optime & efficaciſſime per ſubtilem atque conſtantem halituoſam tranſpirationem e tota corporis ſuperficie eliminatur, cui excretioni propterea rite adminiſtrandæ minime quadrant impetuoſæ commotiones: quod ſi vero vel in hac primaria excretionis ſpecie turbata fuerit natura, aut mox ſua ſponte hæc ad aliam excretionis ſpeciem inclinaverit, tunc interdum humores particulari directione ad glandulosas partes ſuperficiei corporis eadem reſtringit & eo peſtilentialem materiam una tranſfert, eandemque per modum abſceſſionis excernere laborat, exinde generantur Bubones peſtilentiales: interdum etiam evenit, ut alia methodo talem particularem translationem infecti ſangvinis in partem muſculoſam ſangviferam dirigat & per modum gangrænodeæ inflammationis a peſtilentiali miaſmate ſeſe liberare contendat, unde Carbunculi ſive anthraces prodeunt, qui citius in ſphacelosum effectum degenerant, & repente funeſte exeunt, ni matura opitulatio feratur.

§. VII. Interdum in tantis anguſtiis aliam excretionis ſpeciem invenit natura, quando per maculas petechiales materiam peſtilentialem proſequitur, quæ vero excretio, quia communiter præpoſtera & magis particularis aut inſufficiens eſt, communiter ſiniſtre decurrit, aliquando in tam extrema neceſſitate, quaquaverſum & per diverſas excretionum ſpecies natura corpori ſuo ſuccurrere laborat, licet cæteroquin tales excretiones directe ad profligandam perniciem non ſpectent, ſed potius confuſis & ſub maximis anguſtiis inventis & ſuſceptis conſiliis annumerari debeant; unde quandoque ſuperflua ſangvinis quantitas moleſta

etiam in hac calamitate invitat quasi naturam, quo per hæmorrhagias in peste illius imminutionem & ita ipsius pestis, qualemcunque sublevationem intendat: interdum actualibus vomitibus, aut alvi fluxibus corpori suo succurrere laborat, nonnunquam per spasticos aut convulsivos motus, pestilentialis materiæ excretionem prosequitur & ita diversis modis & in variis locis sub reliqua angustia & extremitate opem quærit.

§. VIII. Ob eundem etiam finem febrili quodam motu, temperato tamen, contagiosæ materiæ excretionem urget & quia materia tam repentinæ & extremæ efficaciæ est, ita vel cito eliminari debet, vel cito perit æger, siquidem plurima hominum pars, quos pestis invasit, succumbit, & per justam Dei vindictam morte extingvitur, ita quidem ut vel adhuc in vivis subjectis putredo inchoet, vel repente post mortem corripiat & continuet, unde etiam homines, qui sub peste moriuntur, cum maxima & extrema consternatione pereunt, ob quam natura obliviscitur quo, dum officia sua vitalia deserit, ergastulum sive corpus suum ultimo quodam rigore occludat, ob id cadavera manent flaccida & putredo eadem citius pervadit: quæ vero ratio & relatio sit cur miasma pestilentiale mixtioni animali humanæ inimicum, bruta non inficiat & vice versa, nulla ingenua & fida explicatione demonstrari potest: de reliquo tam homines plethorici & floridioris corporis habitus citius & acerbius peste corripiuntur, nec non ad invitandam & accelerandam pestis invasionem, terror, timor & anxietas nimium quantum contribuunt, dum animus valde perturbatur, & ad placidam materiæ pestilentialis ordinariam tractationem & evacuationem impos redditur.

CAPUT XV.
DE
FEBRE PETECHIALI.

§. I.

ALtera species malignæ, contagiosæ & periculosæ febris est Petechialis; quæ per maculas, pulicum morsus referentes (unde etiam ex Italica lingva hanc appellationem suscepit) sese manifestat; sicut vero a multis quidem annis in peste ejusmodi exanthemata observata fuerunt, tamen extra pestem seorsim hæc macularum efflorescentia in peculari febrili specie inter antiquiores non observata constat, unde magis ad Historiam medicam posteritatis hæc febris referri meretur, quæ tamen similiter contagiosa existit, adeoque multi homines sub eadem perire conspiciuntur.

Conf. Stahlii Disp. de Febre Petechiali.

§. II. Com-

§. II. Communiter primam ſuam invaſionem veſpertinis horis ſervat & quidem cum aliquali horripilatione corripit, mox ſuperveniente æſtu, magnæ virium dejectione, capitis dolore & eximia præcordiorum oppreſſione atque anguſtia, multa inquietudine, urgente ſiticuloſitate, accedente interdum delirio, nec non aliquando invaleſcentibus aphthis, quæ periculoſum ſymptoma conſtituunt, & denique in illud ominoſum pathema excurrunt, ut cum borborygmo patientes potum ingurgitent; urina eſt rutilans, æſtus increbeſcit & ſingula hæc pathemata continuant in ſextum diem, ubi in dorſo & ſcapulis tractiones quædam ſpaſmodicæ, ſtricturæ & rigores percipiuntur, donec ſeptimo die maculæ in pectore, humeris, collo, dorſo, ſcapulis & femoribus efflore ſcant, quæ ſi conſtantius in hiſce locis ſubſiſtunt a ſeptimo ad undecimum diem iterum evaneſcunt & ſub exiguis ſquamulis ſecedunt, ſi vero præmature erumpunt, admodum inſtabiles evadunt & mox retrocedunt adeoque affectum valde periculoſum reddunt, qui tali modo in ambiguo hæret, facilius vero ante ſeptimum diem funeſte excurrit: deinde hæc febris ſeſe a quarto ægrotationis die cum moderata diapnoe ventilat, quæ conſtanter & usque ad totius febris exitum continuare debet: durat hæc febris a ſeptimo usque ad decimum quartum aut vigeſimum primum diem, neque per ſe ad Hæmorrhagias aut vomitus inclinat, & ſi poſt aliqualem remiſſionem paulo negligentius tractatur, mox lethiferam recidivam ſubit ut extremæ anguſtiæ & mentis perturbationes ſuperveniant, in quibus principalioribus circumſtantiis, ſimplicior Petechiarum ſtatus conſiſtit.

§. III. Inter alia ſymptomata, quæ maxime hanc febrem comitantur, notanda eſt graviſſima præcordiorum anxietas, quæ a ſangvinea pectoris oppletione & anguſtatione valde diſcernenda eſt; deinde Petechialis febris minus commode alvi adſtrictionem perfert, quæ potius noxia eſſe deprehenditur & ad aphtharum geneſin contribuit, diarrhœa vero moderata occurſans, nihil periculi involvit, licet etiam peculiarem utilitatem haud afferat & quando denique cum Petechiis unà alba purpura efflore ſcit, periculoſus omnino ſtatus dijudicandus eſt.

§. IV. Circa ætiologiam hujus febris illud ipſum hac vice notari debet, quod hactenus de malignis febribus indicatum fuit, nimirum quod materia febrilis ſit ſumme pernicioſa, ſed ſubinde ſubtilis, quæ contagioſam ſuam indolem ipſa graſſatione & repentina invaſione exſerit; & hæc eadem propterea materia haud cum impetuoſis motibus exturbanda eſt, quin potius moderate tractanda & evacuanda, quare temperatiores diaphoreſes huic febri ſalutares eſſe obſervantur: dum vero ſimul ſtigmata aut maculæ rubicundæ efflore ſcunt, tunc probabile eſt, hanc contagioſam materiam paulo firmius ſangvinis moleculis adhærere, a quibus ſub febrili motu partim abſtergitur & ſub forma moderati ſudoris transhalatur,

halatur, vel cum quibus in ſuperficiem corporis intimius transmittitur & quidem in tales regiones, quæ magis obtectæ & ob conſtantem calorem magis permeabiles ſunt, quo exinde aliquandiu obhæreſcens miaſma denique transpiret, quod ſub ſuo tranſitu cuticulam ita inficit atque depravat, ut poſthac ſquamularum inſtar ſecedat.

§. V. Proinde provida natura in hoc actu ad corporis ſui ſalutem directo conſtituta, maximopere præcludit & præmunit a peccantis materiæ frequentiori & diffuſiori affluxu nobiliores partes, quales imprimis ſunt præcordia & eorundem confinia, in quibus propterea talem ſtricturam vegetam committit, & per eandem materiæ malignæ copioſum affluxum intercipit, unde anxietates illæ ſonticæ præcordiorum oriuntur; deinde, quando eadem natura circa ultimam malignæ materiæ excluſionem & ab internis partibus ad externas transpoſitionem occupata eſt, tunc ſimili ſtrictura utitur in iisdem locis, quo hæc partim exacte pervia reddantur, partim in ſuperficiem eorundem intimius miaſmata talia dimittantur.

§. VI. Corripit communiter primus inſultus febrilis propterea veſperi, quia non raro cum Petechiali febre catarrhalis afflictio coincidit: invadit cum horripilatione, quæ communiter continuas febres præcurrit, & per reſtrictionem humorum tranſitoriam ad interiora, organis ſecretoriis aliquam majorem & meliorem aptitudinem conciliat, & ſi alvus legitime aperta eſt, non modo a tranſitu humorum ad ſuperiores regiones patientes præſervantur, ſed & præoccupatur, quo minus e primis regionibus impuritates quædam magis ſangvini immiſceantur, quidquod adjuvatur, quo per viſcera ſecretoria in primis viis humores recte progrediantur, quo denique accedit, quomodo per juſtum alvi ſucceſſum humores reliqui præmuniantur, ne catarrhalia fomenta & incitamenta, denuo commiſceantur, ſi jam per ſe cum petechiali febre catarrhalis affectus complicatus eſt.

CAPUT XVI.

DE

FEBRE PETECHIZANTE.

§. I.

HUic Petechiali febri proxime ad latus pono, hanc præſentem, quæ Petechizans eſt, i. e. quæ non perfecte Petechialis exiſtit, attamen de eadem & illius indole participat, cum interdum maculæ ſive exanthemata, quæ Petechialibus febribus competunt, erumpant, interdum vero etiam deſint, citra præjudicium reliquæ

liquæ febris: eſt proinde hæc febris magis complicata, ſiquidem plus de catarrhali complicatione quam ſimplicior Patechialis participat, unde etiam Catarrhalis Maligna vocari poſſet, quæ tali tempore maxime graſſatur, quo acriores catarrhi ob rationem anni temporum & tempeſtatum & deinde etiam contagium Petechiale occurrere ſolent.

Conf. Stahlii Opuſcula Chymico-Phyſico-medica, p. 603-688.

§. II. Præcurrit itaque atque concurrit communiter affectus catarrhalis, ſive Branchus, tonſillarum inflatio, aut tuſſiculoſa oppreſſio pectoris, una cum langvore & torpore pectoris, coincidit mox inſolita laſſitudo & virium jactura, donec denique ipſa hæc febris perfecte invadat, & quidem horis veſpertinis primum cum horrore, rigore & tenſivo dolore maxime in dorſo, qualis horror non per exquiſitum tempus durat, tamen ſpatium integræ horæ non facile excedit; hunc mox excipit calor ſatis intenſus & in plethoricis major, conjungitur anguſtia præcordiorum, ipſe vero æſtus uno gradu atque tenore per noctem continuat, licet per diem paululum remittere videatur, donec redeunte veſpertino tempore febris exardeſcat atque æſtus exacerbetur, licet aliquando ſub hoc recurſu leviſſima & ad contactum aliorum in extremis ægrotantium apicibus occurſans refrigeſcentia obſervetur, quam tamen ipſi patientes raro obſervant.

§. III. Per noctem præſens catarrhus acerbior eſſe comparet & concurrunt de reliquo inquietudo, oris ſiccitas, ſitis, vigiliæ, capitis dolores, appetitus eximia dejectio, & brevis corporis contabeſcentia, & ſi affectus deterioratur & tranſpiratio neceſſaria impeditur, imprimis partes inferiores refrigerantur, deliria concurrunt; malum ſymptoma eſt, ſi alvus occluditur, melioris ominis vero exiſtit alvi lubricitas, neque moderata diarhœa in hoc affectu periculoſa exiſtit, continuant prædicta ſymptomata per primam periodum, ubi vel moderata diaphoreſis ſucceſſive progreditur, vel conjunctus catarrhus una ſolvitur, vel denique actuales quædam Petechiæ effloreſcunt, ſine quibus tamen etiam hic effectus bene decurrere obſervatur; interdum huic febri accidunt Aphthæ, quæ periculoſum ſignum conſtituunt, uti præmaturi ſudores, non boni ominis exiſtunt, ambitus vero atque totus præſentis febris terminus ad undecim vel quatuordecim dies ſeſe extendit.

§. IV. Quando jam per cauſas neceſſarias & evidentes præſentis febris indolem exponere animus eſt, tunc eo magis brevitati ſtudere potero, quo magis partim in ſuperioribus catarrhorum & febris catarrhalis ætiologia tradita, partim modo febris Petechialis conſtitutio explicata fuit: eſt itaque hæc Petechizans febris omnino affectus complicatus, in quo natura per motum febrilem tum præſentis acrioris catarrhi, tum communicati miaſmatis Petechialis excretionem reſpicit & proſequitur, unde etiam inſultus & exacerbatio febris illo maxime tempo-

re obtingit, quo catarrhi exacerbantur, quod communiter veſperi fieri ſolet: quo adhuc ſpectant illæ tonicæ ſangvinis a ſuperficie reſtrictiones, quibus cum interioris catarrhi efficacior reſolutio atque abſterſio intenditur atque urgetur: ipſe vero præſens catarrhus non vulgaris eſt, ſed omnino qualificatus, & hoc ſenſu dicendus malignus i. e. cum materiis acrioribus, ſubtilioribus, magisque orgaſticis remixtus, præter reliquam humorum malignam & contagioſam inquinationem.

§. V. Ob id excretiones, quæ huic febri competunt, ſunt partim catarrhales, partim exquiſite febriles, imprimis moderatæ & conſtantes diaphoreticæ, ſiquidem Petechiale miaſma interdum cum maculis eliminatur, interdum vero leniter a reliquis humoribus abſterſum per prædictam diaphoreſin evacuatur, ut nulla æque conſtans exanthematum efflorescentia neceſſaria ſit; ſicut vero alvi occluſio ad augendos & exacerbandos catarrhos multum contribuit, ita contra privativa quadam ratione, alvi ſucceſſus & lubricitas catarrhos levat, quale commodum in Petechizante febre expectandum eſt, ſi non directam aliquam utilitatem prædicta diarrhœa confert: præterea vero coincidunt in hac febre talia ſymptomata, quæ ex una parte catarrhali, ex altera vero malignæ & petechiali febri reſpondent, unde ſecundum poſteriorem indolem magis placide & tranquille tractari debet, ſiquidem per impetuoſas commotiones maligna materia nimium exaltatur: & ſi contigerit, ut æqualis humorum & evacuationum ſuperficialium diſtributio impedita fuerit, maxime in inferioribus regionibus, tunc ſuperveniunt immoderatæ quædam reſtrictiones ad ſuperiores corporis partes, & vel intra pectus, ut majores oppreſſiones & præcordiorum anguſtationes oriantur, vel intra caput unde deliria pendent.

CAPUT XVII.

DE

VARIOLIS ET MORBILLIS.

§. I.

SEquuntur jam in ordine Variolæ & Morbilli, de quibus ipſa experientia atteſtatur, quo frequenter occurrant, & communiter cum febre conjungantur, neque raro modo majorem modo minorem malignitatem contineant, quemadmodum utplurimum Variolæ gravitate ſua & periculoſiori malignitate Morbillos ſuperant, licet per diverſitates temporum & annorum nonnunquam maligniores, interdum etiam mitiores eſſe deprehendantur: neque tamen penitus in Hiſtoria practica exempla deſunt, quod Variolæ aut Morbilli ſine febris comitatu decurrerint.

§. II.

§. II. Hiſtoria horum affectuum jam ſatis cognita atque perſpicua eſt; illud ante omnia indicari debet, quod uterque affectus valde mobilis & ſenſibilis exiſtat, atque a levi impulſu exacerbari & deteriorari queat, unde etiam regimina & medicamina calida ægerrime perferat; deinde experientia docet, quod in noſtris locis fere ſingulis hominibus metuendus ſit: nec non quod imprimis infantili & puerili ætati familiaris exiſtat, quod vero in adultioribus longe periculoſior eſſe obſervetur, & quod communiter ſemel per vitam rarius bis, rariſſime ſæpius occurrat; quo loco non placet in illam medicorum litem deſcendere, quæ ſuper illam quæſtionem moveri ſolet, an Variolæ & Morbilli Hippocrati & ſequacibus illius innotuerint? circa quam quæſtionem decidendam breviter negativam meam aſſertionem aperio, atque ſignifico, quod poſt tempora Hippocratis & Galeni affectus hi ex intimiori Africa in Europam translati ſint.

Conf. Stahlii Diſp. de Variolis Morbillis.

Epiſtola mea de Variolarum & Morbillorum ortu, progreſſu & indole.

§. III. Corripiunt hi affectus ſine horrore, malum enim ſignum eſt, ſi cum frigore incipiunt, quin potius cum magna laſſitudine & virium dejectione, capitis dolore & calore, & in tenerioribus ac ſenſibilioribus infantibus mox in initiis convulſivi motus conjunguntur; non raro præcurrunt catarrhales pectoris affectus & tuſſiculoſæ commotiones, quid quod tormina aut ſtricturæ ſpaſmodicæ in dorſo, interea multa inquietudo concurrit, appetitus & ſomni defectus, & communiter in initio alvus conſtringitur & occluditur; moderata tamen diarrhœa in initiis ſponte occurſans nihil nocet, ſed tempore eruptionis impetuoſius continuans, aut immoderate exoriens non bonæ notæ eſt, dum legitimam horum exanthematum efflorescentiam graviter impedit.

§. IV. A tertio ad quartum diem incipiunt efflorescere cum exiguis papulis, quæ ſucceſſiva & conſtanti continuatione usque in ſeptimum diem legitime erumpunt, & quidem Variolæ cum puſtulis ſufficienter latis & protubetantibus, limpidis & per initia ex roſeo pallidis: malum enim ſignum eſt, ſi Variolæ depreſſæ aut valde pallidæ aut nigricantes ſunt, aut intimius in cute hærent & non ſufficienter elevatæ ſunt; quando Variolæ exiliores & copioſæ efflorescunt, & ſuppuratione in unam congeriem & connexionem tranſeunt, dicuntur confluentes, quando eædem Variolæ exiles ſunt, in ſuperficie vero admodum acuminatæ, vocantur communiter die Spitz-Bocken, ſi vero cum limpido humore turgent & cito perrumpunt, neque juſta tempora ſucceſſus ſui expectant, dicuntur die Wind- und Waſſer-Bocken, utpote quæ poſteriores ſpecies, jam deſcriptæ a vera & legitima variolarum conſtitutione admodum abludunt.

§. V.

§. V. A primo die eruptionis continuant hæc exanthemata efflorescere usque in septimum, malum contra omen est, si præmature, aut præpostere, aut inconstanter erumpunt: a septimo die Variolæ suppurantur, & superficiem corporis inflammatoria inflatio, exæstuatio & inquietudo corripit: abhinc usque in undecimum diem eædem vel perrumpunt vel exarescunt, ab undecimo vero usque in decimum quartum diem crustæ successive secedunt, & ita totus affectus continuante moderata diapnoe decurrit.

§. VI. Morbilli cum plurimis prædictorum symptomatum conveniunt, in eo vero discrepant, quod cum exilissimis pustulis rubicundis, numerosissimis tamen, efflorescant & a septimo in undecimum diem mox cum exiguis squamulis secedant, adeoque citius quam variolæ ad finem suum pertingant: quod convulsiones attinet, quæ tamen in Variolis quam Morbillis per initia occurrunt, tunc eædem sponte cessant, quando exanthemata hæc convenienter & sufficienter efflorescunt, de reliquo vero, e communi experientia innotuit, quomodo Variolæ & Morbilli nobiliores partes corripiant, & inter alias etiam fauces, oculos, aures, & nares invadant, atque in iisdem multa damna minentur, sicuti iterum e superficie ad interiora retrocedere possunt: denique in Historia practica constat, quomodo hi affectus a gravidis in fœtum propagati fuerint.

§. VII. Non jam immorabor evolutioni & indagationi, cujus essentiæ sit in hisce affectibus materia peccans, qui frustraneus & otiosus omnino labor erit, tantum vero ex vero & certo assequi licet, quod materia vel actu maligna & contagiosa sit, vel in malignitatem subeundam admodum proclivis, unde contagii instar inficit; imo tantum etiam a posteriori colligere licet, quomodo primario pernicioſum suum effectum in pingvem & tenuem lympham transferat, adeoque imprimis illas ætates inficiat, in qua copiosa talis Lympha adest; cui lymphæ cum sese firmius & intimius innectat, ita vel parcius ab eadem absergitur, & in forma subtilis vaporis eliminatur, vel cum ipsa Lympha inquinata in superficiem corporis accurato tempore in forma pustularum dimittitur.

§. VIII. Et cum in variolis major copia hujus infectæ & cum maligno miasmate inquinatæ Lymphæ in superficiem corporis transfertur, ita pro evitanda corruptione e pingvi inflammabili lymphæ substantia metuenda, inflammatoria commotio supervenit, quæ hanc subtiliorem materiam subtrahit, lympham in pus convertit, ut posthac reliqua maligna materia, huic muciditati innexa in forma crustæ secedat & corpus deserat, & quod residuum est, illud sub placida diaphoresi eliminatur, siquidem ad indolem horum affectuum exquisite spectat, quo cum maximo moderamine tractentur, ne materia peccans eo citius in pessimam corruptionem præcipitetur: quemadmodum tenerior talis ætas quascunque impetuosiores commotiones ægerrime perfert: & ita a temperato horum affectuum regimine

ne

ne ſperandum & promittendum eſt, quod non modo exanthemata efficaciter & conſtanter, ſed etiam tempeſtive & ſufficienter in corporis ſuperficiem transmittantur.

§. IX. Singularis naturæ directio eſt, ad ſalutarem ſcopum in hiſce affectibus collineans, quando mox in initiis alvum occludit eoque ipſo præcavet, ne interna viſcera pateant liberaliori & copioſiori ingreſſui malignæ præſentis materiæ, ſed quo eadem magis in ſuperficiem corporis transferatur, unde incongrua alvi apertio aut diffuſior evacuatio ad retroceſſionem ab extra introrſum fientem exanthematum horum diſponit, ſicut illud ſingulare & principale naturæ conamen eſt in hiſce affectibus, quo a nobilioribus viſceribus ad ignobiliorem corporis extremitatem, peccantem materiam deducat, id quod partim per febriles commotiones, partim nonnunquam per convulſivos motus proſequitur & exſequitur.

§. X. Et cum hæc maligna materia per initia in infantibus etiam in communi impuritatum ſentina hæret, nimirum in primis regionibus, ita vel mox in initiis per copioſiorem ſeri mucilaginoſi abſterſionem & ſecretionem ſub moderato alvi fluxu quadantenus evacuatur, vel ſub rigida conſtrictione inteſtinorum & aliorum abdominis viſcerum in ſangvinem transfluentem imprimitur, unde iterum in initiis horum affectuum inquietæ & torminoſæ commotiones in abdomine ſuccedunt: proinde ſimiles ſpaſmodicæ ſtricturæ in externis quibusdam regionibus præcurrunt, ut in dorſo, quæ quando mox iterum remittunt, hiſce partibus permeabilitatem conciliant.

§. XI. Interdum denique evenit, ut maligna hæc materia non penitus eliminetur, ſed in tenerioribus quibusdam partibus obhæreſcat, & in iisdem mox poſt prægreſſum primarium affectum maligna ulcera excitet atque relinquat, minime vero diu, ita occluſa maneat, quin prædictum malignum effectum exſerat: quando vero tales affectus adultioribus ſubjectis accidunt, tunc ob impatientes horum mores facile juſtus proceſſus præcipitatur & impetuoſius urgetur, ut adeo facilius ſiniſtri effectus ſuperveniant & inde hi affectus in adultioribus periculoſiores exiſtant. Denique hæc maligna materia vel per contagium propagatur & augetur, vel ſecundum diverſas annorum mutationes & tempeſtates primum in humoribus generatur.

CAPUT XVIII.

DE

FEBRIBUS EPIDEMICIS.

§. I.

CUm hactenus variarum malignarum febrium conſpectum in certis & diverſis ſpeciebus tradiderim, ita adhuc generis cujusdam reminiſcor, quando malignas febres commendare & exponere continno, dum Epidemicas febres nunc breviter exponere ſuſcipio, quo loco quidem mox indicandum eſt, quomodo prædicta Petechialis, Petechizans, Variolæ & Morbilli certo modo ad epidemicas febres referri queant; ſed dantur etiam ſubinde aliæ epidemicæ febres, quæ communiter de proſapia malignarum ſunt, ſiquidem populariter graſſantur, & non modo periculoſe aggrediuntur, ſed & admodum intricate progrediuntur atque ſæpius cum funeſto eventu egrediuntur.

§. II. Exſerunt ſeſe per omnia ſymptomata ut febres malignæ; licet nondum ſtatim certis exanthematibus aut ſingularibus excretionibus ſeſe manifeſtent, ſed cum tempore tandem ſpeciales evacuationes exhibent, neque tamen quoad ſpeciem unam eandemque evacuationem ſervant, ſed per diſcretas eliminationes ſeſe produnt: interim moderata diaphoreſis tam communis eſt evacuatio, quæ ſingulis epidemicis febribus competit.

§. III. Variant tales Epidemicæ febres, per diverſas temporum mutationes & tempeſtatum viciſſitudines ſuſpectas & repentinas, ita ut non quolibet anno epidemicæ febres oriantur, neque etiam ſemper una eademque ſpecies occurrat, ſiquidem interdum tales febres cum aliis affectibus complicantur, ut propterea Febres Epidemicæ dyſentericæ, intermittentes, catarrhales, plevriticæ &c. pro diverſitate annorum accidant, quanquam aliàs extra talem complicationem & quidem ſimplices Epidemicæ febres oriantur.

§. IV. Ad has febres vero imprimis irregulares tempeſtates aut repentinæ tempeſtatum mutationes contribuunt, per quas non modo extra hominem, ſed & intra ipſum diverſæ impuritates ſubtiles, & cum malignitate quaſi certantes generantur, quas natura humana diverſo modo & ſub diverſo conatu e corpore ſuo proſcribere laborat, ita ut pro diverſitate materiæ (quam quidem quoad eſſentiam ſuam deſcribere nullus quisquam facile poteſt, niſi ex diverſo actu quo ſeſe natura eidem opponit, tale quidquam colligere liceat, ſicuti alio modo Petechialis materia, alio variolarum & morbillorum, alio Purpuræ &c. excernitur) varias commotiones congeſtorias, inflammatorias, cum reliqua febre conjungat, in tantum vero ipſam hanc febrem ut malignam tractet & exerceat, quia materia peccans ob majo-

majorem ſuam habilitatem pro inducenda putredine graviorem commotionem non facile perfert, nî juſto & ſalutari febris progreſſui grave præjudicium inferatur.

CAPUT XIX.

DE

FEBRE HUNGARICA.

§. I.

EPidemicis Febribus nunc annumero præſentem Hungaricam febrem, quæ aliàs Caſtrenſis vocatur, quippe quæ in ejusmodi bellicis expeditionibus per modum contagii ſeſe propagare ſolet, ſiquidem proinde variis aliis effectibus ſeſe conjungit, ex quo facile liquet, quam diverſæ cauſæ & occaſiones ex inquinato aëre, malo regimine & prava diæta, ad hanc febrem provocandam concurrant, ut propter multiplicationem & gravitatem pathematum ipſe affectus in ſe ſpectatus, ſatis periculoſus exiſtat, adeoque ex omni parte malignam ſuam indolem conteſtetur.

§. II. Quare talia ſigna huic febri eſſentialia ſunt, quæ aliàs malignas febres comitantur, præter alia vero imprimis practici annotare ſolent inſignem capitis dolorem, qui facile in gravia deliria degenerat, ex quo etiam vulgo vocatur die Haupt-Kranckheit, deinde concurrit gravis anguſtia præcordiorum, nec non internus ardor, imprimis circa cordis ſcrobiculum, unde interna inflammatio vel in diaphragmate vel in Ventriculo præſumitur, & ex eo etiam vocatur die Hertz-Braûne, febris ipſa vero eſt continua & admodum æſtuoſa, tanto magis in ſubjectis plethoricis, quæ acerrime affligit, corripit cum horripilatione, pulſus eſt non modo febrilis ſed & magnus, durus & interdum etiam contra malignarum febrium indolem impetuoſus; urget ſitis, tument Venæ in capite & oculi, vires valde ſunt dejectæ, exacerbatur communiter horis veſpertinis, ſupervenit non raro Anginodea & Prunellodea afflictio, alvus præter ſolitum quandoque fluida eſt, imo aliquando plane concurrunt fluxus dyſenterici & concurſus Petechiales; plurimis metaſtaſes ad parotides contingunt, cum quibus auditus hebetationes aut abolitiones coincidunt, qui periculoſus affectus per alteram & tertiam periodum febrilem progreditur, nonnunquam citius decurrit, & cum excretionibus vel eſſentialibus exquiſite febrilibus, moderate diaphoreticis, vel cum ſymptomaticis, hæmorrhagicis, exanthematicis aut alvi fluxibus ſeſe ventilat, adeoque multum ſymptomatum concurſum involvit.

§. III. Quoad totam ſuam indolem hæc febris eſt epidemica, & quoad

effectus ſuos finales admodum complicata, ſiquidem primario quidem per motum febrilem natura materiæ contagioſæ in corpore oberrantis tempeſtivam excretionem proſequitur, quam nullo convenientiori & commodiori actu perpetrare poteſt, niſi moderate diaphoretico; provenit vero talis contagioſa materia imprimis ex aëre inquinato, & putridis atque putidis exhalationibus, nec non ex ingeſtione impuræ, ſtagnantis & putridæ aquæ, & quicquid aliàs ex pravo regimine atque corrupta diæta vitæ militaris dependere ſolet.

Conf. Stahlii Diſp. de curationibus Caſtrenſibus.

§. IV. Præter hunc primarium reſpectum, concurrunt etiam adhuc alii ſecundarii & quidem quando in ſubjectis qualitercunque ſuperfluum & moleſtum ſangvinem diverſis commotionibus expoſitum continentibus, inprimis junioribus, ex concurſu mali regiminis, ſub reliqua primaria febre & ægrotantium impatientia, impetuoſæ congeſtiones ſangvinis intra caput oriuntur, cum quibus effectus phrenitici, anginodei, prunellodei & deliri cohærent; quemadmodum interdum tales repentinæ translationes ſangvinis intra pectus ad præcordia & circa diaphragma atque Ventriculum tranſeunt, ut propterea in talibus locis inflammatoriæ commotiones ſuboriantur: quod ſi etiam certæ circumſtantiæ vel ex diæta, vel ex tempeſtate variabili & perverſa coincidant, quæ ad alvi fluxus, dyſenterias & affectus catarrhales, diſponunt, tunc hi iidem affectus, præter reliquam febrem, una decurrunt: ex quo facile eluceſcit, quam multiplicati ſint fines in hac febre & quam periculoſus propterea ſit ſtatus ejusdem, cum primario tota illius indoles contagioſa exiſtat.

CAPUT XX.

DE

PURPURA.

§. I.

PRogredior nunc ad peculiarem illum affectum, qui perinde poſt veterum obſervationes innotuit & inclaruit & Purpuræ nomine venit, eo, quia primum exanthematibus talibus, purpureum colorem referentibus, ſeſe manifeſtavit; & licet hic morbus interdum ſine omni febre, ſubjecta ſua detineat, tamen rarum haud amplius eſt, quod cum febre complicetur, ita quidem ut in aliquibus locis epidemicarum febrium more graſſetur, & periculoſe etiam progrediatur: ex qua conſideratione hanc Purpuram non modo febrium ſpeciebus annumero, ſed & præmiſſis malignis febribus ſubjungo, interim vero, adhuc inculco, quod ſæpe benigne progrediatur.

Conf. Diſp. mea de Purpura cum Febre complicata.

§. II.

§. II. Eſt hæc Purpura affectus plane peculiaris, qui in diverſis locis endemius eſt, & ſubjecta, quæ ſemel occupavit, communiter conſtanter detinet i. e. cum inquinamento ſuo difficulter deſerit, atque per intervalla febriles ſuos inſultus atque fervores exſerit, attamen impoſterum ſeminium quoddam in ſubjectis remittit; diſtingvitur in Purpuram albam & rubram, quarum prior miliaris præcipue vocatur, quia efflorescentias puſtulares magnitudine milii ſemen æquantes, limpidas & tenues exhibet: ex quibus puſtulis aſperioribus vulgo etiam der Frieſſel appellari ſvevit: & de talibus diſcretis efflorescentiis notandum, quod in aliquibus locis alba Purpura, in quibusdam vero rubra periculoſior eſſe deprehendatur, quæ poſterior in ſubjectis plethoricis & floridioris habitus, familiarior eſt.

§. III. Brevibus placet hujus Purpuræ febrilis modum decurrendi notare: corripit cum aliquali horripilatione, imo in quibusdam ſubjectis cum Lipothymiis, & multa virium dejectione, atque præcordiorum anguſtia, adeſt æſtus, ſed paulo mitior, nam multum æſtum minime perfert, unde ex qualicunque calida commotione deterioratur, concurrunt reliqua febrilia pathemata in junioribus ſubjectis, interdum accidunt deliria, & in tali ſtatu perennat affectus communiter usque in ſeptimum diem, ubi præcedente pruritu & ſubtili quadam ſtrictura in ſuperficie corporis, breviter tamen ceſſante, denique hæ puſtulæ efflorescunt, continuante tamen pruriente moleſtia, donec poſt unum & alterum diem eædem affrictæ, teneriorum ſquamularum inſtar ſecedant, & poſt aliquot dies febris excurrat: in quibusdam quarto die interdum purpura perrumpit, & quando talis affectus ſemel defervuit, tunc aliquandiu acquieſcit, donec poſt aliquam moram & prout etiam externæ occaſiones ex aëris mutatione & tempeſtatis ratione coincidunt, denuo recrudeſat: de reliquo vero ſub hoc affectu non exiguus hominum numerus ſuccubit.

§. IV. Circa cauſalem purpuræ rationem & explicationem, denuo quidem quoad eſſentiam materiæ peccantis magna, conſtans & perpetua ignorantia in medicina occurrit, interim aliquo modo ex quibusdam phænomenis & ut dicunt a poſteriori colligere licet, quibus humoribus in reliqua maſſa ſangvinis materia illa maxime inimica videatur, ſiquidem inter materias omnino agnoſcenda eſt aliqua relatio: illud interim in genere indubium eſt, quod hæc peccans materia omnino ſit pro diverſitate ſuæ qualitatis, vel citius vel tardius noxia, quæ pro varietate tempeſtatum ad fermentativas commotiones provocandas & exacerbandas habilium, magis commovetur & exaltatur.

§. V. Si itaque hæ circumſtantiæ bene perpenduntur & curatius colligantur, quod hæc materia ſit valde mobilis, deinde quod communiter in ſubjectis purpuratis ſeminium quoddam relinquat, nec non quod cum puſtulis exilioribus,

tenui limpiditate aut lympha refertis, excernatur, porro quod subjectis in bona dicta versantibus & de laudabili lympha participantibus familiaris sit, & quod diu subjecta detineat, tunc etiam probabiliter de hac materia concludere licet, quod imprimis noxam suam lymphæ comminetur, cui ob id facilius inhæret, quia de gelatinosa & mucilaginosa consistentia gaudet, adeoque provida natura hoc ipso febrili actu sub exilioribus moleculis lymphaticis hanc nocivam materiam ab internis & dignioribus partibus in externam regionem & corporis superficiem transfert, quæ in eadem collecta mox subtilem stimulantem qualitatem concipit, siquidem tunc quasi sui juris existens, lymphæ ita collectæ subtilem fermentativam commotionem communicat, ex qua illi pruritus superficiales ortum trahunt: quo deterioris itaque qualitatis & majoris tenuitatis hæc est materia, aut quo magis sensibilis & ad extraordinarias commotiones suscipiendas facilis est materia, eo certius per febrilem commotionem profligatur.

§. VI. Et hæc materia adeo nociva, non nisi naturæ admodum adversa est, quæ quia cum Lympha copiosius remixta etiam largius tam cum eadem ad cor, quam ad alias nobiles partes, imprimis Hepar affluit, ita eo magis hanc suspectam dispersionem & nobilium partium inquinationem & aversatur & metuit natura, præcipue quoad reliquam indolem sensibilior, unde non raro Lipothymiæ in Purpura occurrunt: proinde etiam in quibusdam locis hoc seminium Purpuræ cum sangvine materno in infantes propagatur, ut malum tale hæreditarium evadat; aliquando accidit ut hoc inquinamentum in aliis affectibus inprimis etiam exanthematicis concurrat, velut in Petechiis, Variolis & Morbillis, in quibus ob multiplicationem inquinamenti, primarii affectus eo periculosiores existunt: denique reliquorum symptomatum ætiologia ex sæpius allegatis præmissis rationibus & demonstrationibus peti potest.

CAPUT XXI.

DE

PURPURA URTICATA.

§. I.

AD aliam Purpuræ speciem me converto, quam per singulare prædicatum a vulgari Purpura discerno; dum illam Urticatam ab urtica & similitudine urticationis voco: hæc Purpura vero in hodierna Historia morborum clinica parum cognita est, quidquod in veterum observationibus, non admodum distincte delcripta, prout quidem nunc in quibusdam locis & nationibus comparuit; Purpuram, hunc voco morbum, quia ratione efflorescentiæ & decursus sui, cum affectibus

ctibus purpuratis aliqualem analogiam habet, dum papulas quasdam protuberantes paululum latiores conſpectui offert, quales communiter ictus illos ab urticis commiſſos inſequuntur, quæ cum pallido quodam rubore & moderata duritie præditæ ſunt, adeoque affectum papularem conſtituunt, cujus reminiſcor, quod a medico quodam Volatica appellari ceperit, eo quod quaſi repente advolet, dum cito cum protuberantiis talibus ſemi eryſipelaceis efflореſcit, ſiquidem aliquo modo Eryſipelatis indolem imitatur hic affectus, dum repente oritur, & increbeſcit.

§. II. Quamquam vero hic affectus interdum ſine motu febrili compareat, tamen cum aliquando cum febre conjungatur, placuit propterea illius mentionem in hoc ordine injicere atque complicationem ejusdem cum febre notare: obſervatur vero hic affectus familiarior ſubjectis junioribus, maxime plethoricis & ſpongioſioris aut laxioris corporis habitus, corripit ſubtili refrigerii ſenſu in ſuperficie corporis atque rigore, nec non capitis & virium aliquali laſſitudine & torpore, concurrente moderato æſtu, donec cum multo pruritu & ſuperficiali tenſione tam in facie, quam paſſim in reliqua corporis ſuperficie prædictæ protuberantiæ, urticarum læſionem referentes, promineant, quæ cito in notabile augmentum accreſcunt, ita ut conſvetum vultum plane deforment ob irregularem ex pallido roſeam intumeſcentiam: hæc protuberantia per intervalla, maxime vero diurnis horis, evaneſcit, quibus etiam motus febrilis remittit, veſperi vero non modo ipſa febris exacerbatur, ſed & intumeſcentia illa ardens atque tenſoria revertitur, quæ nonnunquam in ſuperficie aliqualem ſubtilem ſerpiginoſam aſperitatem continet, unde cum illo affectu, quem Celſus Aſpredinem vocat aliquo modo conciliari poteſt: totus hic affectus non diu durat, ſed intra triduum, aut quatriduum finem ſuum aſſequitur & ſi a febre immunis eſt, adhuc citius exitum ſuum ſortitur: habet vero ſubinde hanc indolem, ut cum temperata diaphoreſi ſeſe ventilet, magnam vero commotionem & humorum exæſtuationem ægre perferat & ſi denique totus affectus ceſſat, exiliſſimæ ſquamulæ ab affecta parte ſecedunt.

§. III. Sicut hæc peculiaris affectus indoles eſt, ita nonniſi ex ſucceſſibus & effectibus ſuis agnoſci & dijudicari debet, præprimis cum in plurimis febribus eſſentia peccantis materiæ nos conſtanter lateat: illud vero conſtat, quomodo ex repentinis commotionibus aut immoderatis exæſtuationibus ſangvinis affectus talis, primas ſuas origines duxerit, ita ut exinde colligere liceat, quomodo ſub ejusmodi commotionibus qualitercunque provocatis, ex ipſa humorum maſſa ſubtilis quædam materia generetur, quæ reliquæ mixtionis integritati, inimica eſt, adeoque hac methodo a natura excernitur, dum intimius per intervalla in ſuperficiem corporis transfertur, & ſubtili tali congeſtoria & ſemi inflammatoria eryſipela-

pelacea reſtrictione ad ultimam excretionem & temperatam tranſpirationem adigitur, quæ etiam facile ſuccedit, adeoque affectus breviter excurrit.

§. IV. Proinde etiam probabile eſt, quod hæc peccans materia præcipue Lymphæ inimica ſit, ſiquidem congeſtio illa ſuperficialis magis circa Lymphatico-ſeroſi humoris, copioſiorem transmiſſionem intra corporis ſuperficiem occupatur, quam ſincerioris ſangvinis: & dum in humoribus oleoſa Lympha maxime mobilis eſt, ita ſi in hoc affectu purpurato calida regimina vel medicamina adhibentur, propterea maxime affectus deterioratur, quia cum reliqua peccante materia, hæc fluida, tenuis & valde mobilis lympha, ſub reliquis humoribus in orgaſticam ſuſpectam commotionem tranſit; ita cum hactenus commemoratis recenſitis ætiologicis reſpectibus, adhuc congruit ratio ætatis & temperamenti, cui videlicet hic affectus accidit, quemadmodum præcipue in diverſis locis puerilis ætas huic affectui ſubjicitur: de reliquo interdum hæc materia vel in ſubjectis temperatioribus, vel in qualitate ſua temperata, ſive febrili commotione eliminatur.

CAPUT XXII.

DE

FEBRE SCARLATINA.

§. I.

AD ſingulares Febrium ſpecies pertinet etiam præſens Scarlatina, quæ perinde in certis locis & nationibus obſervatur, atque ſpeciali efflorescentia ſeſe prodit, quæ ipſa vero etiam non adeo periculoſa exiſtit, neque omnia ſubjecta, tempora, & excretionis ſchemata involvit: propterea etiam illius non adeo frequens mentio vulgo injicitur.

§. II. Scarlatina vocatur ab illis maculis, quæ in hac febre efflorescunt, & intenſius rubicundæ ſunt; invadit hæc Febris ætatem puerilem & ſubjecta de Sangvineo Temperamento cumprimis paticipantia, nimirum ubertatem ſangvinis, ſpongioſum corporis habitum & cæteroquin floridum ſangvinem continentia, ſubinde etiam in inquieto vitæ ſtatu degentia & multis exæſtuationibus atque conſitationibus ſeſe defatigantia: deinde hæc febris ſereno & æſtivo tempore uſitatius affligit, corripit cum moderata horripilatione, ſequitur temperatus æſtus, concurrit ſitis & moderata virium dejectio, afficit moleſta oppletio in ſuperficie corporis & tertio aut quarto die poſt aliqualem majorem ſuperficiei intumeſcentiam, maculæ hæ latiores rubicundæ efflorescunt, quæ usque in ſeptimum diem iterum evaneſcunt, ſucceſſive ceſſante febre & cum tenuiſſimis ſquamulis ſecedente cuticula, ſicuti de reliquo hæc febris ſatis tranquille ex-

excurrit, adeoque cum moderato regimine & temperata diaphoresi optime maximeque secure salutarem eventum obtinet.

§. III. Quemadmodum ad hanc febrem provocandam immoderatiores commotiones, nec non floriditas sangvinis & spongiosior habitus corporis contribuunt, ita collectis hisce & reliquis adhuc circumstantiis judicare licet, quod hæc febris sit similis salutaris naturæ actus, quo mediante noxiam aliquam materiam, ex graviori commotione sangvinis ortam, sed eidem adhuc inhærentem, tam cum moderata diaphoresi, quam cum particulari sangvinis restrictione in superficiem cutis, per distinctas maculas sese præsentante excernere laborat, siquidem ex sangvine in peripheriam corporis intimius impresso, successive materia non admodum firmiter inhærens transhalat, adeoque pristinum commercium deserit atque futuram noxam amittit: propterea ad peculiares illos modos extraordinarios & selectos hanc excretionem refero, cum qua juxta diversitatem materiarum & circumstantiarum natura corpus ventilare, & ab imminentibus damnis sese vindicare & defendere studet.

CAPUT XXIII.

DE

FEBRE LIPYRICA, TYPHODE, ASODE, LYNGODE ET PHRICODE.

§. I.

CUm hactenus singulas typicas febres, quoad fundamentales suos respectus explicaverim, placet adhuc certarum specierum & denominationum febrium in Historia medica usitatarum brevem mentionem injicere, inter quas certa febris est, quæ *Lipyriæ* nomen tenet, quam Medici ad continuas referunt, & quidem proprie ad inflammatorias, siquidem per hanc febrem intelligunt illam, quæ intimiori & majori inflammationi in nobiliori abdominis viscere ortæ, supervenit, & sicut quidam in hac febre maxime Lienis aut Ventriculi inflammationem accusare malunt, in qua febre interna urere, externa frigere asserunt, adeoque statum ita periculosum esse indicant, ut intra triduum vel quatriduum decurrat: sicut vero in superioribus ætiologiam inflammatoriarum febrium tradidi, ita causalem hujus febris explicationem remitto.

§. II. Commemoratur etiam febris *Typhodes*, in qua patientes præmature & multum, sed communiter anxie, sudant, ita ut a tali sudore nihil leventur, quemadmodum in tali febre internum quoddam Erysipelas, sive in Hepate sive Ven-

Ventriculo ſive in Utero accuſatur, ſicuti febris *Elodes* & *Hydrodes* ad talem febris ſpeciem cum multo ſudore ſeſe præmature ſiſtentem refertur, quales irregulares febrium ſucceſſus, nonnunquam in cholericis ſive ardentibus febribus deprehenduntur.

§. III. Porro allegatur in Hiſtoria practica, febris *Aſodes*, in qua multa anguſtia præcordialis, extrema inquietudo atque nauſeabundum faſtidium concurrit, cum multa ſiti, & in qua proinde vel actualis malignitas vel ventriculi inflammatio, vel choleriodes concurſus pro cauſa primaria allegatur & culpatur.

§. IV. Sequitur febris *Lyngodes*, quæ cum multo ſingultu ſeſe prodit, propterea que ſingultuoſa vocatur, in qua periculoſa interna quædam inflammatio, in ſenſibili parte, ſive diaphragmate, ſive ventriculo & inteſtinis occurrit, & quæ febris communiter funeſte excurrit, cum ſingultus ſit convulſiva quædam commotio, quæ tanto magis in febrili decurſu ab omni ævo per multiplices obſervationes periculoſa atque mala agnita fuit, uti paſſim Hippocrates ejusmodi prognoſtica proponit.

§. V. Deinde allegatur in Medicina Practica, febris *Phricodes*, cujus Hippocrates mentionem injicit, quæ ſimiliter internam inflammationem alicujus viſceris involvit, ſed quæ jam ita increbuit, ut ſub maximo ſuo augmento jam magis ad ſuppuratorium & apoſtematicum effectum properet, (cujus phænomeni Galenus reminiſcitur,) ſub qua frequentes & multi horrores atque rigores occurrunt, ut propterea febris horrifica dicatur, quæ ſimiliter extreme periculoſa eſt.

§. VI. Ex hisce ſingulis vero febribus facile liquet, quomodo eædem propter internam periculoſam inflammationem ſuſceptæ ſint, adeoque ſub anguſtiis tergiverſantibus & irregularibus effectibus & ſucceſſibus decurrant, quales periculoſos febrium talium ſtatus propterea veteres medici tam ſingulari denominatione expoſuerunt, quo eo magis memoriæ mandentur, in quibus febribus vero parum ſalutis ex medica arte ſperandum eſt, ita ut non niſi cognitio earundem pro uſu hiſtorico inſerviat.

CAPUT XXIV.

DE

FEBRIBUS SYMPTOMATICIS.

§. I.

FEbrium doctrinæ, quam per varias ſpecierum febrilium explicationes & commendationes tradidi, adhuc accenſeo conſiderationem Febrium Symptomaticarum,

ticarum, quales illæ ſunt, quæ aliis affectibus & læſionibus in corpore humano præſentibus, accidunt & ut ſymptoma ſuperveniunt, ſed quæ ab illis affectibus non neceſſitantur, quin potius a natura ſua ſponte ſuſcipiantur & cum præcedentibus affectibus conjungantur, quare hoc ordine tanquam Symptoma prioris morbi agnoſcuntur, & ſubinde non tam morbum fovent, quam potius faciliorem & efficaciorem illius averſionem promovent.

§. II. Et hoc reſpectu febres inflammatoriæ ſymptomaticæ ſunt, quæ præcedentibus & inchoantibus arduis inflammationibus ſuperveniunt, quemadmodum interdum febres diverſis cholericis affectibus internis abſceſſibus, vulneribus inflictis, maxime vero ſenſibilium tendinoſarum & nervoſarum partium læſionibus, nec non acrioribus dyſentericis alvi fluxibus, urinæ ſuppreſſionibus diuturnis &c. velut ſymptoma accidunt, ſicuti in hunc cenſum etiam ſpectant febres, quæ ſuppreſſam ſcabiem, repreſſa ulcera, &c. ſequuntur, ut ita ſymptomaticus talis concurſus febrium, in Hiſtoria practica non infrequens exiſtat.

§. III. Et tales Febres Symptomaticæ communiter de continuarum indole participant, licet quædam earundem non adeo exquiſite typicæ exiſtant, ſed interdum ſub aliquali irregularitate decurrere videantur: de reliquo vero communiter ſatis multum æſtum involvunt, una cum reliquis febrilibus Symptomatibus concurrentibus, ex quo proinde etiam liquet, quando ſymptomaticæ febres adhuc plus involvant periculi & momenti, quam primariæ & ſimpliciores, quoniam complicatio affectuum, ſucceſſum facilem efficacem & ſalutarem implicat & impedit.

§. IV. Sunt itaque, ut aliquoties monui, hæ febres non effectus primariorum & præcedentium affectuum, ſed potius ſalutaris operatio naturæ, quæ affectus illius breviorem & meliorem decurſum proſequitur, dum vel præſentem & concurrentem aliquam inflammationem ad citiorem diſcuſſionem promovet, undecunque etiam ſtaſis aut ſuſpecta ſtagnatio provocata fuit, quo imprimis contribuunt offenſiones partium ſenſibilium, quas communiter repentini affluxus & immoderatæ congeſtiones, imo inflammationes excipiunt, quibus itaque citius reſolvendis aut averruncandis natura, actu tali febrili operam adhibet, ut propterea in tali paſſu febris ipſa non ſit turbulentus quidam actus, ſed omnino certum ſalutarem ſcopum concernat, quale quid in reliquis ſymptomaticis febribus obſervare licet, quæ propterea minime ludicre tractandæ aut improvide ſupprimendæ ſunt: denique ſingulæ tales & ſenſum & ordinem motuum vitalium & integritatem partium valde affligentes cauſæ, ad ſymptomaticas tales febres provocandas contribuunt.

CAPUT XXV.

DE

FEBRIBUS PUERPERARUM.

§. I.

INter alia ſubjecta ad febriles commotiones diſponuntur Puerperæ, quæ ſatis frequenter vel exquiſitis & perfectis febribus, vel febrilibus commotionibus laborant, quoniam in iisdem tot fonticæ & ſingulares cauſæ occurrunt, quibus tractandis & expugnandis, natura febrili activitate ſuccurrit; quo loco non tam de imperfecta quadam febrili commotione & ſimplici majori æſtu Puerperarum diſſerere animus eſt, ſed de talibus febribus, quæ per tempus quoddam continuant, adeoque ſub certa denominatione in Hiſtoria medica innotuerunt.

§. II. Sunt vero tales febres vel *Purpura Miliaris*, quæ in quibusdam locis Puerperis valde frequens eſt, maxime vero quando eædem tale ſeminium Purpuræ continent, quod ſub laborioſiori partu commotum & exaltatum fuit, ſicuti communiter ad hanc febrem multæ commotiones & difficiliores partus in fœminis præcipue plethoricis, contribuunt, ut eo ipſa natura cum ſemel in extraordinario motu conſtituta ſit, peccantem hanc materiam febrili activitate eliminare contendat.

§. III. Alia Puerperarum Febris eſt *Lochialis*, quæ e negotio fluxus Lochiorum ortum ſuum trahit, imprimis vero, quando Lochia præmature imminuuntur vel ſupprimuntur, unde ſuſpectæ ſtaſes ſangvinis in utero vel actuales inflammationes occurrunt, quibus reſerandis & diſcutiendis in arduo & periculoſo tali ſtatu natura vires ſuas adhibet, proptereaque maxime febrili motu ſeſe opponit, quia partim cauſa impulſiva gravis & periculoſa eſt, partim quia ipſa natura jam in extraordinaria commotione conſtituta & ad vehementiores motus ſuſcipiendos & continuandos prona eſt; qualis febris proinde ſeſe vel tempeſtivo Lochiorum reditu, vel moderata diaphoreſi levat; quando vero ex perturbatis Lochiis nulla actualis ſtaſis aut inflammatio contigit, tunc natura in activa ſangvinis imminutione valde impedita, hujus ſangvinis conſumtionem atque depletionem febrili activitate proſequitur.

§. IV. Denique etiam in Puerperis occurrit *Lactea Febris*, quæ circa lactis efficaciorem ſecretionem mox poſt puerperium occurrit, cum multo horrore & ſuperveniente extraordinario calore, quæ interdum per unum aut alterum diem continuat & cum moderata diaphoreſi ſeſe abſolvit, imprimis quando nunc lac liberius & facilius excerni incipit: eſt propterea hic motus febrilis ad facilitandam & promovendam lactis ſecretionem directus, quæ interdum ob mammarum

rum majorem ſtricturam & anguſtiam difficilius ſuccedit, adeoque majori impulſu atque motu indiget, quem ſenſibilis & ad motum facilis natura febrili activitate nunc adminiſtrat & humores copioſius circa mammas congerit & intra easdem appellit, ut acquiſita majori permeabilitate mammarum, impoſterum ſecretio lactis expeditius ſuccedat.

CAPUT XXVI.
DE
FEBRIBUS INFANTUM.

§. I.

PRæter puerperas etiam infantes frequentius febrilibus commotionibus exponuntur, quales hoc ordine brevibus annotare placet, & quamquam in ſuperioribus quarundam febrium mentionem injecerim, quæ infantili & puerili ætati accidunt, tamen nunc alias quasdam febriles invaſiones indicabo, quæ non æque exquiſite typicæ, ſed magis erraticæ & tranſitoriæ ſunt, ſicuti ex levi cauſa mox ejusmodi intenſiori motui febrili infantes ſubmittuntur.

§. II. Comitantur itaque motus febriles in infantibus uſitatius dentitionem, nec non affectus pectoris catarrhales, ut & alvi fluxus cholericos, nimias ventriculi oppletiones, diuturnas alvi adſtrictiones, hernias, retropulſos achores, præmature curatam cruſtam lacteam, repreſſam ſcabiem, vitia diætæ, initia atrophiæ, retentam flatulentiam, mitiorem ſubluxationem & adhuc multas alias ex diæta & regimine pendentes occaſiones.

§. III. Exſerit ſeſe talis febrilis commotio communiter cum æſtu inſolito, pulſu celeri & frequenti, multa dejectione, animi langvore, inquietudine, ſomni impotentia, appetitus defectu, inſolita ſiti & majori impatientia, quæ ſingula pathemata aliquamdiu continuant, donec emendatio quædam circa cauſam impulſivam contingat.

§. IV. Hæ febriles commotiones ſicut diverſis cauſis conjunguntur, ita potius ob certum ſalutarem ſcopum ſuſcipiuntur, ut videlicet vel dentium eruptio facilitetur, vel catarrhus contumacior reſolvatur, vel inquinamenta ulceroſa ab intra extrorſum transferantur &c. & licet aliquando motus talis febrilis cum cauſa proximius congruere non videatur, tamen etiam hæc methodus eminus ad illam cauſam reſpicit, qua natura ſenſibilis alias certis offenſionibus atque moleſtiis ſeſe opponit, ut ita magis intentio naturæ in hoc actu, quam inventio & harmonia notanda ſit, licet interdum etiam internæ quædam afflictiones & ſuſpectæ humorum ſtaſes occurrant, quibus reſolvendis febrili tali commotioni operam dat natura.

CAPUT XXVII.

DE

FEBRILIBVS COMMOTIONIBVS.

§. I.

CUm hactenus aliquoties ſub reliqua febrium tractatione de febrilibus commotionibus ſermo incidit, ita ultimo loco ſeorſim adhuc, brevibus tamen, de iisdem aliqua monere lubet, imprimis cum non modo in vita communi eædem frequentius occurrant, ſed & ſæpius cum ipſis febribus confundantur, quamvis inter febres exquiſite tales, & has febriles commotiones magna intercedat differentia.

§. II. Dicuntur itaque febriles commotiones, quando inopinato talia pathemata invadunt, quæ alias ad febres ſpectant, licet exquiſita, perfecta, conſtans & typica febris deficiat, unde etiam tales commotiones non diu durant, ſed poſt primum inſultum mox iterum ceſſant, adeoque vagum & vanum tantum metum de perfecta & plenaria febre incutiunt, quanquam cæteroquin ſatis vehementer corripiant & multa ſymptomata febrilia inferant, quæ ipſa vero poſt aliquot horas iterum evaneſcunt.

§. III. Communia vero talia febrilia ſymptomata ſunt horror & hic quidem ſatis ſtrenuus, excipit mox æſtus & quidem ſatis validus, concurrit multus animi & corporis langvor, virium & appetitus dejectio: inquietudo, capitis dolor, ſomni perturbatio, & pulſus eſt febrilis, una cum præcipiti & anheloſa reſpiratione, donec poſt aliquot horas diaphoreſis ſuperveniat & æſtus acquieſcat, ita ut febrilis hæc commotio ſi horror deeſt, reſpectu citioris ſuæ ceſſationis Ephemeram febrem quaſi repræſentet.

§. IV. Conjunguntur tales febriles commotiones in ſubjectis ſenſibilibus, variis cauſis, tam in ætate infantili, quam adultiori & quidem interdum comitantur congeſtiones, capitis dolores, rhevmatiſmos, catarrhos, contumaciores & difficiliores Hæmorrhagias vel imminentes vel prodigas & excedentes, interdum ſuperveniunt ſpaſmis & doloribus arthriticis, iſchiadicis, podagricis, nephriticis, quandoque combinantur cum ſubluxationibus, diuturnis alvi occluſionibus, angentibus & urgentibus retentis anotericis flatulentiis, viſcerum internorum infarctibus & imminentibus ſcirrhis, inquinamentis ulceroſis repreſſis & ſimilibus adhuc aliis diverſis cauſis.

§. V. Quotiescunque itaque tales commotiones occurſant, toties ut ſymptoma præcedentis affectus naturæ conatum conſtituunt, mediante quo in præſenti

ſenti affectu & ſtatu urgentis moleſtiæ tempeſtivam abolitionem reſpicit & proſequitur, ſed in tali ſingulari methodo, poſt brevem moram iterum acquieſcit & priorem affectum conſveta methodo deducit: ad has febriles vero commotiones eadem natura interdum invitatur, vel per ordinariam ſuam ſenſibilitatem, impatientiam & impetuoſam activitatem, vel per qualescunque præſentis affectus offenſiones & exacerbationes, ſive patheticas, ſive ex regimine aliisque ad corpus ſpectantibus cauſis, provenientes: & ſicut ſub tali tranſitoria commotione quantitas quædam ſangvinis diſſolvitur & in ſerum convertitur, ita acquieſcente hoc motu, hoc ſerum ſalutari naturæ opere, per modum diaphoreſeos eliminatur.

SECTIO DECIMA.

DE

MORBIS ANIMI.

§. I.

HUc usque potiores illos affectus explicavi, qui corporis œconomiam vitalem attinent, nunc ad ipſum animum ſive animam accedo, cujus morbidas afflictiones uſitatiores brevibus percurram: & licet hæc anima, quoad eſſentiam aut ſubſtantiam ſuam non ægrotet, tamen in potentia, activitate, intentione, & morali atque ideali objectorum tractatione & æſtimatione diverſis perturbationibus & irregularibus operationibus, ſubjecta eſſe obſervatur, quas hoc loco morborum nomine indicare placet.

Conf. Stahlii Diſp. de Animi morbis.

§. II. Haud vero animus eſt, communes illos animæ morbos notare & ſignificare, quando videlicet indies circa veras æſtimationes, dijudicationes, concluſiones, & executiones errat, & perverſe operatur, ſed potius loquor de extraordinariis illis evagationibus & irregularibus actionibus, quæ admodum confuſæ, ſiniſtræ, inordinatæ & præſentibus circumſtantiis atque ſcopis minus conformes ſunt, adeoque inſolitas aberrationes, alienationes, inverſiones, & deliras mutationes conſtituunt.

§. III. Ægrotat itaque anima interdum in intellectu, quando occurrentia objecta immaterialia & materialia, moralia & phyſica non condigne obſervat, percipit, attendit, perluſtrat, aut ultra neceſſitatem apprehendit, metuit, & longe alias ideas de iisdem fingit, quam quæ in illis occurrunt, adeoque profundiores & diffuſiores meditationes de iisdem inſtituit, propterea que re non bene intellecta, malas concluſiones, format aut perverſe cum eadem procedit.

§. IV.

§. IV. Deinde etiam morbum ſubit anima, quoad voluntatem, quæ altera principalis illius operatio eſt; cum hac objecta talia vel præmature appetit & deſiderat vel averſatur & fugit, aut eorundem applicationem non ita ſuſcipit & perficit, prout & corpori ſuo & vero ſui ipſius uſui & objectorum illorum qualitati competit: cum qua perturbata actione varii alii motuum gradus atque affectus coincidunt, ut ſunt timor, metus, anxietas, deſiderium, furor, audacia, iracundia &c.

§. V. Ad ejusmodi ſingulares perturbationes ſeducitur interdum anima, per ſubtiles & ſecretas quaſi cauſas atque occaſiones, quæ maxime ex repentinis, profundis, & contumacibus, præfigurationibus oriuntur, quæ nonnunquam ad tales actiones exercendas animum invitant, quales quandoque fruſtra faſcinationibus imputantur, aut quæ contra per lepidas ætiologias proponuntur, ſicut in Hydrophobia, Tarantiſmo & ſimilibus affectibus occurrit.

§. VI. Magna interim vis eſt animæ aberrantis, quæ mira quandoque committere poteſt, quando ab aliis conſvetis actionibus idealibus abſtrahit & iam ſecum tacite deliberans, diverſarum circumſtantiarum reminiſcitur, quæ in longe alio ſtatu cum ipſa occurrerunt, ut propterea eadem interdum futura de ſua vita & corporis œconomia prædicere aut lingvas quas diu dedicit, aut non exacte, aut plane non didicit, tamen accurratius proferre poſſit, & ita quaſi ſupranaturalia agere queat, licet eadem omnino animæ viribus adſcribenda ſint.

Conf. Diſp. mea de Menſium anomaliis convulſivis: de Medicinæ & Doctrinæ moralis nexu: de Therapia morborum morali.

§. VII. Aliquando in corpore & œconomia vitali ejusmodi cauſæ occurrunt, quæ animam ad perturbationes tales ſeducunt, ut propterea tales ideas in moralibus tanquam præſentes effingat, quales interdum motuum vitalium ſucceſſus in ſuo corpore occurrunt, ſiquidem ipſa viciſſim moralia ſua figmenta contumacia ſubtilia & intimiora motibus & functionibus vitalibus intermiſcet, adeoque multas alterationes in œconomia vitali cauſatur.

CAPUT I.

DE

MANIA.

§. I.

PRincipaliſſimus ex hiſce animi Morbis eſt Mania, affectus horridus & impetuoſus, in quo præcipue in animo graves mutationes & aberationes, deinde vero etiam in corpore ſingulares alterationes occurrunt: quoad animum eſt

eſt ſumma deliriorum ſpecies, in qua maximus furor & immanis intrepida, audax, iracunda, impatiens, & crudelis adeſt ferocia, ſub qua homines aliis maximam vim, imo mortem minantur, quid quod ſibimet ipſis violentas manus inferunt, dum vel ſclopetis vel cultris & gladiis ſe transfodiunt aut ex alto præcipitant; de reliquo vero frigus diu ſine incommodo perferunt, & communiter ad contactum calidi ſunt, quidquod maximo, imo extremo robore pollent, atque diu vigilant, inquiete dormiunt, parum de langvore conqueruntur, & omnibus ſubjectis, circa quæ verſantur, ſive veſtimentis, ſive ſtragulis vim inferunt & in perpetua actione verſantur.

§. II Quoad corporis œconomiam & circumſtantias ad vitam ſpectantes Maniaci communiter ſunt plethorici, pulſus in iisdem eſt fortis impetuoſus, magnus, plenus & durus, alvus inconſtans, appetitus communiter eſt avidus, omnes actiones voluntariæ ſunt præcipites & vehementes, in quibusdam occurrunt pollutiones nocturnæ, fœminæ irregularem, interdum parcum, aliquando prodigum menſium fluxum experiuntur, ſi vero maniacis narium Hæmorrhagia ſufficiens ſupervenit, tunc furor exinde levatur, & ſi Hæmorrhoides inſequuntur, bonum ſignum eſt, malum vero ſi convulſiones accidunt aut febriles commotiones, quemadmodum cæteroquin veteres medici provide attenderunt ſalubritatem Hæmorrhagiarum in mania occurrentium; denique hoc delirium exacerbatur tempore æſtivo & fervido, unde dicunt Sie hätten ſchwehre Monate, quidquod interdum ſecundum lunæ mutationes augeri ſolet.

§. III. Quod jam concernit cauſas Maniæ, certe mihi nihil dixiſſe is videtur, qui ad corruptam craſin & turbulentum motum ſpirituum provocat, ſiquidem de fictitiis hiſce ſubſtantiis nihil ſolidi prædicari poteſt, interim ad Maniam tam morales, quam aliæ, & ad corpus præcipue ſpectantes, cauſæ contribuunt: ad morales præcipue referri meretur immoderata hominum quorundam ambitio, per quam non modo de magnis honoribus impetrandis multum meditantur, ſed & communiter & conſtanter magnalia in animo volvunt & continent & de variis difficultatibus, ob quas ad ſummum ambitionis gradum & honorum culmen adſpirare non poſſunt, tacitè & cum maxima impatientia iraſcuntur, inde denique in ipſo animo eo usque confunduntur, ut ordinum moralium obliviſcantur & impoſterum cum delirio ambitioſe, impatienter & immoderate operentur atque ſtupenda ſibi imaginentur.

§. IV. Proinde ad Maniam provocandam interdum contribuunt philtra, de quorum materiali ratione & conſtitutione parum digni & fidi dicere licet, cum vero hæc repentinam aliquam alterationem in corpore provocant, ita repente ſimul animus confunditur, qui quando alias per tempera-

menti rationem impetuosior, activior, audacior & impatientior fuit, nunc furibundum tale delirium prosequitur, dum animus ille adeo repente & extreme perturbatus, pristinorum ordinum moralium nescius quasi, nunc in talem confusionem delabitur.

§. V. Usitatius ad Maniam contribuit abundantia sangvinis multis & impetuosis commotionibus exposita & vel successive collecta, vel ex repentinis spontaneatum Hæmorrhagiarum suppressionibus orta, sicuti Historiæ practicæ Maniam ex Hæmorrhoidibus, Lochijs, Mensibus, Narium Hæmorrhagiis, repente cohibitis, enatam recensent, in quo passu repentinæ restrictiones sangvinis intra caput, animam ad ejusmodi irregularem operationem immoralibus seducunt, quæ quam primum corpus suum denuo ab hoc molesto objecto ventilat & prægressas Hæmorrhagias sponte tempestive & sufficienter iterum restituit, tunc iterum ad se redit, cum antea subitaneam eorundem cohibitionem non modo cum maxima impatientia, sed & cum eximia sensibilitate subiit & ab hinc in sonticam talem perturbationem degeneravit.

§. VI. Etenim homines qui Mania corripiuntur, communiter de cholerico temperamento participant, adeoque tam in æstimandis, quam tractandis diversis subjectis non modo sese præcipitant, & audacter atque impetuose operantur, sed & si ipsis quicquam resistit aut contra euphoriam contingit, eidem cum summa inquietudine & impatientia opponunt, & propterea in extremam aliquam confusionem progrediuntur; unde Historia practica denuo attestatur, quomodo repentinæ suppressiones ulcerum, varicum, aut diuturnæ seminis retentiones Maniam provocaverint, sicuti diversa venenosa intra corpus ingesta eandem repentinam animæ perturbationem provocarunt.

CAPUT II.

DE

MELANCHOLIA.

§. I.

ALtera species deliriorum in Melancholia consistit, quæ diversos gradus habet, & in quam inclinant subjecta temperamenti Melancholici, ad quam propterea communiter causæ quædam, ad corpus & vitalem œconomiam spectantes, contribuunt, sicuti interdum cum Melancholia affectus hypochondriaci & splenetici, vel nimia sangvinis spissitudo, coincidunt.

§. II. Mi-

§. II. Mitior Melancholiæ gradus eſt, quando ſubjecta per intervalla anxietates & triſtitiam experiuntur, deinde ſolitudinem amant, aliorumque colloquia averſantur, nec non quando ſuſpirioſi ſunt atque hilaritatem penitus fugiunt: parum dormiunt, taciturni ſunt, profundis & anxiis cogitationibus inhærent in præcordiales anguſtias frequentius incidunt, aut in abdomine multas inquietudines & quandoque ſiniſtri hypochondrii incommoda experiuntur, nonnunquam cordis palpitatione laborant, de vertigine, capitis dolore & oppreſſione reſpirationis conqueruntur; vultu melancholici homines ſunt moroſi, oculis anxii, alvus ipſis eſt ficcior, imo plane ſtricta, caput aridius & reliquæ excretiones ſunt parciores & valde impeditæ.

§. III. Major Melancholiæ gradus eſt, quando præter hæc ſigna ſubjecta compellationes & commercia humana extremè fugiunt, frequenter lacrymas effundunt, inſomnia valde terrifica experiuntur, imo interdum ſub ſomno ambulant & ſpatiantur, extreme anxia ſunt & de ſubeundis occluſionibus, incarcerationibus, ſuppliciis & cruenta morte, meditantur & timent, ſine multo ſtrepitu delira garriunt & agunt & de providentia dei admodum deſperant, varia lepida ſibi imaginantur, & non niſi clam & tacite aliis & ſibi violentas manus immittunt, & quidem quando avtochiri evadunt, vel in aqvis vel cum laqueo ſuffocationem ſibi inferunt: pulſus eorundem eſt & depreſſus & durus, reliquæ operationes vitales in magna irregularitate & impediori ſucceſſu conſiſtunt.

§. IV. Ad hunc animi morbum iterum contribuunt vel morales vel vitales cauſæ: inter morales vero maxime notandæ ſunt, meticuloſæ, multæ & profundæ meditationes, vel de peccatis, vel de futura vita & ſuſtentatione vel de multis calamitatibus, ſollicitæ, unde anima ita anxia, meticuloſa & abjecta redditur, ut ſi hiſce cogitationibus diu inhæret, denique in confuſione tali maneat & de continuo angore, metu, timore, deliras ſuas actiones commiſceat, atque ob eandem anguſtiam hominum colloquia & conſortia extreme fugiat, & quo magis in ſolitudine perſiſtunt, eo magis de hiſce ideis ſpeculentur & meditentur atque in hac confuſione confirmentur.

§. V. Ad vitales cauſas præcipue refero ſangvinis ſpiſſitudinem, undecunque illa inducta fuit, ſiquidem interdum etiam philtra & ingeſta venenoſa ad hanc craſitiem humorum provocandam faciunt, quæ ipſa ſpiſſitudo vero vel ad genericum difficilem ſangvinis progreſſum contribuit, vel ad ſpecialem impeditum ſangvinis fluxum per abdomen diſponit, ut propterea conſtans, multus & juſtus metus adſit, de metuenda ſtaſi, obſtructione, incarceratione, imo denique extrema corruptione atque morte, qualem metum anima in moralibus conſervat, & ſimul de talibus angitur, quæ cum metu mortis & expectandis futuris conſentiunt: & licet non ſemper in Melancholia pathemata ſplenetica & hypochondri-

ica concurrant, tamen in reliquo corpore, ob prædictam sangvinis spissitudinem, stasis & incarceratio pernicioſa metuenda est; interdum vero etiam evenit, ut ex suppressis Mensibus & Hæmorrhoidibus talis spissitudo & difficilis progressus sangvinis per hypochondria excitetur, ut propterea has causas Melancholia insequi soleat; quo adhuc præmaturas fluoris albi occlusiones refero, quæ ad hysterica pathemata concurrunt, & per hanc connexionem animum ipsum perturbare possunt.

CAPUT III.

DE

HYDROPHOBIA ET LYCANTHROPIA.

§. I.

ALius animi affectus delirus est, qui furor caninus sive *Hydrophobia* dicitur, & a metu aquæ, quo canes in rabie suo laborant, hanc appellationem nactus est, ita ut in se spectatus sit similitudo rabiei caninæ in hominibus, quemadmodum morsum canum rabidorum sequitur & tam in animo quam corpore multas & eximias alterationes inducit.

§. II. Rarior hic est, per Dei gratiam, affectus, in quo subjecta a cane rabido vulnerata mores caninos assumunt, dum post morsum inflictum oriuntur insignes cardialgiæ, virium graves dejectiones, perturbatus somnus, horrida insomnia, commotiones febriles, affectus anginodei, cordis tremores, donec etiam delirium superveniat, in quo miseri homines, ut canes, liquida & aquam aversantur, latrant, mordent, spumant, cum dentibus strident, latebras quærunt, & alia tam in animo, quam in corpore pathemata experiuntur.

§. III. Tale delirium brevi post vulnerationem a rabido cane commissam erumpit, neque adeo diu in corpore delitescit communicatum miasma, ita ut singularem interpretationem mereantur illæ observationes, quæ hydrophobiam, multis annis post morsum canis rabidi ortam, allegant; quid quod fœtus phantasiæ est, quando asseritur, quod in urina hydrophobicorum catelli fluctuaverint; missis aliis curiosis & lepidis historiolis, quæ circa hunc affectum vulgo circumferuntur; illud vero omnino indicandum est, quod præsens affectus admodum periculosus existat.

§. IV. *Lycanthropia* est ferme similis affectus, qui morsum lupi rabidi in hominibus excipit et perinde in quadam rabie consistit, unde insania & Melancholia lupina vocatur; hujus passim reminiscuntur Medici, quia simul morbidas corporis calamitates infert, licet primario etiam animus ægrotet, unde placet hoc loco de Lycanthropia quatenus animi morbus est agere, non vero de altera illa

specie

ſpecie, quæ vulgo dæmoniaca vocatur, in cujus commemoratione multæ fabulæ paſſim fluctuant, quas ob id credulis & ſuperſtitioſis hominibus commendo.

§. V. In Lycanthropia naturali occurrit præcipue rationis humanæ perturbatio adeoque verum delirium, quo afflicti homines lupinos mores & actus proferunt, quales ab hiſtoricis vulgo varii recenſentur: ſubinde etiam multæ anguſtiæ præcordiales & functionum quarumlibet tam vitalium quam animalium alterationes & perturbationes concurrunt, cum febrili irregulari commotione ſuperveniente: ſiquidem denique in tali delirio ſubjecta aliis hominibus cum immani crudelitate vim inferunt.

§. VI. Quando iam in horum deliriorum ætiologiam introſpicere cogito, mox fabuloſa illa Helmontiana traditio in mentem incidit, qua affectus tales ſeminiis caninis & lupinis maſſæ ſangvineæ illatis & ſpiritibus atque animæ oblatis, imputantur, quo pertinet illa ridicula quorundam imaginatio antea notata de catellis & lupulis in urina natantibus, aut juxta Salmuthi lepidam fabellam de catellis natis & obſervatis in veſtimento fœminæ, quod rabidus canis momordit, utpote quæ phantaſiæ hominibus credulis commemorandæ ſunt.

§. VII. Equidem tale delirium deduco ab illa momentanea & ſimultanea animæ alteratione & perturbatione, cum terrore maximo conjuncta, quo deinde communicatum illud inquinamentum ſalivale, a cane vel lupo rabido proveniens, quicquam contribuit: quoad patheticam illam perturbationem notari debet, quomodo non modo ab inopinata tali invaſione rabidi animalis, animus vehementer cum multa anxietate & terrore confundatur, ut propterea in genere ad futuras deliras actiones diſponatur, ſed dum ſub tali alteratione animus una repente, intime & firmiter imbuitur cum idea hujus animalis, quod hominem invaſit, propterea deinde anima confuſa & anxia in hoc ſuo delirio imitatur mores & actiones illius animalis, cujus præſentia ſemper animo confuſo obverſatur.

§. VIII. Deinde a tali rabido animali per morſum inflictum inſinuatur ſaliva motu fermentativo, ſpumefactorio valde exagitata, adeoque ad inferendam repentinam corruptionem, plus quam vulgaris ſalivalis humor qualificata & idonea, unde in vitalibus, natura in ejusmodi calamitate corpori ſuo proſpiciens, diverſas commotiones febriles, ſpaſticas, congeſtorias, convulſivas & inflammatorias ſuſcipit & per easdem in tali neceſſitate corpus ſuum ſalvare & quaquaverſum miaſma hoc inſinuatum eliminare contendit: ſicut denique anima in hoc mundo plurimum circa res materiales & corporeas verſatur, ita inter has & illam omnino vel evidens vel ſubtilis relatio agnoſcenda & obſervanda eſt; ſi itaque ex ejusmodi rabidis animalibus ſubtiles quædam & cum peculiaribus qualitatibus præditæ materiæ, animum intra corpus offeruntur, tunc eadem juxta hujus ma-

teriæ relationem diversas singulares operationes suscipere potest, quas tamen ipsa materia non physice necessitat aut efficit.

CAPUT IV.

DE

EROTOMANIA ET FURORE UTERINO.

§. I.

PRogredior ad alias deliriorum species, quæ fœminis usitatæ sunt, & cum impudicis actionibus sese manifestant; sunt vero hæc delira gradu diversa ex quibus unum mitius, alterum vero gravius est: consistit *Erotomania* in remissiori & tranquilliori deliro affectu amoris, quo vel juniores virgines, aut viduæ laborant, quando & verbis & desideriis & gestibus suis matrimonium aut masculorum consortium affectant, & hoc suum desiderium cum tacitis & apertis angustiis significant, interdum etiam reliquis deliris actionibus alias intermiscent, quæ priores magis confirmant. ut sunt cantationes, saltationes, subrisiones & libidinosi gestus: interea quoad corpus suum successive vel cachecticum vel tabidum & hecticum statum induunt, menses vel parcius vel largius experiuntur & in reliquo vitali ordine variis anomalicis successibus subjiciuntur.

§. II. Furor Uterinus vero est immodicum delirium, quod cum impetuosis actionibus sese prodit, quando fœminæ omnem pudicitiam exuunt & cum summa vehementia masculi compressionem & congressionem urgent, corpus suum denudant, & oestrum extreme venereum experiuntur, una cum aliis furibundis cum hoc negotio convenientibus actionibus, in hisce menses magis largius succedunt, interdum phlogoses occurrunt, respiratio est laboriosior, pulsus fortis, & celer, oculi vagabundi & reliquæ actiones valde sunt mutatæ; quid quod sub hoc delirio ita affectæ denique vel sibi vel aliis vim minantur, sicuti cum tempore mensium vitia per accidens superveniunt & fœminæ hectica quasi correptæ extinguuntur.

§. III. Tale delirium primos ortus capessit ex multis profundis & immoderatis desideriis venereis, libidinosarum fœminarum, quæ non tam ab orgastica liquoris genitalis qualitate, quæ vulgo virulenta appellatur, producitur & necessitatur, quam potius ab ipsis illis speculationibus & meditationibus animi voluptuosi primitus dependet, imprimis quando fœminæ multas difficultates observant, ob quas ad desiderii sui expletionem pertingere non possunt, uti vel nimis rigorosa educatio & occlusio harum fœminarum, vel leges certæ, multa talia impedimenta objiciunt: prout virgines moniales juniores

& li-

& libidinosæ matrimonium tamen affectantes, ob frequentem & anxiam meditationem de statu matrimonii in talem animi confusionem denique incidunt.

§. IV. Et juxta hanc perturbationem mentis simul variæ commotiones in vitalibus instituuntur, quæ huic intentioni & venereo desiderio conformes sunt; ut videlicet in locis uterinis variæ congestiones, & exinde pendentes ardores atque pruritus aut copiosiores liquoris genitales secretiones & expressiones, suscipiantur, una cum diversis aliis motum vitalium alterationibus & vel intensionibus vel etiam inordinatis applicationibus.

CAPUT V.

DE

MOROSI.

§. I.

AD infirmitates, irregularitates & ægrotationes animi, pertinet etiam præsens affectus, qui vulgo pro stupiditate & defectu reminiscentiæ, deliberationis & resolutionis sumitur, in quo statu non quidem crassa quædam & fortia deliria, quam potius signa fatuitatis & infantilis mentis infirmitatis occurrunt, ita ut in adultis subjectis hic status animi plane insolitus, adeoque extraordinarius existat.

§. II. Hæc Morosis maxime sese prodit cum rerum gestarum oblivione & adhuc gerendarum obliviosa & fatua quadam tractatione, dum cæterum homines maximè incurioſi, confusi, taciturni tamen, & quoad externum conspectum stupidi & morosi existunt, aut interdum fatuum risum præsentant: proinde hoc mentis morbo laborantes torpidi, ignavi & somnolenti sunt & ad omnia agenda admoneri debent.

§. III. Quantum quidem observationes solertiores prodiderunt, hæc ipsa mentis hebetudo, ex diversis causis ortum traxit, licet etiam connata & mox a nativitate præsens deprehensa fuerit, deinde vero ad hunc affectum contribuerunt casus ex alto, vulnera & contusiones imo depressiones capitis, improvidus & inconsultus usus narcoticorum, fluxus hæmorrhoidalis suppressio, ebriationes profundæ & frequentes, repentini terrores, pestis, profundæ meditationes, excessivæ vigiliæ, prægressæ variolæ, Epilepsia prægressa, Paralysis Linguæ.

§. IV. Ipse affectus consistit in extraordinaria amissione activitatis circa negotium reminiscentiæ & comparationis, applicandæ, dum sese anima rationalis ab hisce actibus penitus subducit & abstrahit, adeoque singula negotia,

tia, quæ cum memoria cohærent, tam ſtupidè tractat & exercet: ad tale vitium vero in quod anima incidit, variæ cauſæ iterumque vel morales, vel materiales contribuunt; e numero moralium cauſarum illæ inprimis accuſandæ ſunt, quæ animam repente perturbant, uti ſunt ſubitanei terrores, qui vel per ſonitum tonitru, aut viſionem phaſmatis, quod vulgo Spectrum vocant, excitatur, ſub quo ita extreme confunditur anima, ut ſi impoſterum ad ordinarias ſuas functiones redit, qvaſi inſcia & oblita priſtinarum operationum, in talem ſtuporem delabatur.

§. V. Deinde etiam cauſæ quæ corporis ſtatum attinent ad hunc affectum diſponunt, inter quas ſunt graves læſiones capitis & imprimis internarum cerebri partium, quas ita ægre & extreme moleſte perfert anima, ut propterea in propriis ſuis functionibus rite adminiſtrandis dilinqvat: narcotica ſunt ordinarie ſtupefacientia, quæ in ſubjectis imbecilliorum moralium virium adhibita talem defectum poſt ſe relinquunt, ita etiam ſi graves affectus cum maximo vitæ periculo animam anguſtarunt, tantum efficiunt, quo ſuperato hoc periculo impoſterum eadem in quadam activitatis ſuæ ſpecie delinquat, ſicut interdum vel vitalis, vel moralis functio poſt malum tale perpeſſum langvet: denique non parum confunditur anima, ſi eadem in ſalutari qvodam actu repente opprimitur & obruitur & a fine ſuo in corporis ſalubritatem præviſo, tam inopinato avertitur, ut ob immoderatiorem æſtimationem hujus contrarii accidentis, quaſi attonita, in ſtuporem non modo delabatur, ſed & interdum in eodem perennet.

CAPUT VI.

DE

NOCTAMBULATIONE.

§. I.

AD animi vitia proxime accenſeo Noctambulationem, quæ quidem rarius occurrit, in ſe vero admodum ſuſpecta & propter periculoſas conſecutiones ominoſa eſt, licet aliquamdiu ſine pravis effectibus & corporis ægrotationibus continuet: & quanquam noctambuli dum vigilant non æque deliras actiones proferant, attamen ipſe hic ſtatus ſingulare quicqvam in animo occurſans prodit, quod in paucis ſubjectis obſervatur.

§. II. Somnambulatio eſt, quando homines dormientes & involuntario, noctu ſurgunt, & vel in conſvetis locis obambulant, vel acclivia & periculoſa loca aſcendunt iterumque in lectum ſeſe conferunt, immemores rerum

rum geſtarum: aliquando evenit ut talis affectus cum majoribus Lunæ mutationibus conſpiret, ut propterea ſomnambulatio Lunatica appelletur; ita affecti obſervantur plurimum inclinare in affectus hypochondriacos & melancholicos, quos cum tempore denique perfecte incidunt & contumacius iisdem laborant, ſupervenientibus perfectis melancholicis deliriis.

§. III. In hoc affectu præcipue anima in culpa eſſe deprehenditur, quæ ſub ſomno tamen ita inquieta & per phantaſiam adeo laborioſa eſt, ut licet ab externorum ſenſuum miniſterio & exercitio activitatem ſuam ſubtraxerit, tamen in internis ſenſibus activa exiſtat & ſecundum hoſce intimos & tacitos ideales reſpectus atque tenaces phantaſiæ exercitationes ſingulares quasdam operationes, quibus vero cum actu reminiſcentiæ non attenta eſt, adminiſtret & in iisdem extraordinariam aliquam circumſpectionem adhibeat, ne læſionibus quibusdam ſeſe ſubmittat; ſiquidem in tali actu inſolita quadam intentione atque directione utitur, quæ ab operationibus ſub vigiliis adminiſtrandis, eximie diſcrepat.

§. IV. Ad hanc extraordinariam internorum quorundam ſenſuum applicationem ſub ſomno, diſponit conſveta intimior & profundior animæ ſollicita operatio, ſpeculatio, meditatio & lucubratio, juxta quam vel ipſa anima in ſe ſemper eſt inquieta: vel diſponit etiam ad hanc inquietudinem atque internam extraordinariam alacritatem cauſa quædam corporis integritatem concernens, maxime vero plenitudo & ſpiſſitudo ſangvinis, ob quam conſtanter metuenda ſunt in corpore talia pericula, quæ citius mortem minantur, atque animam corpore ſuo deſtituunt; quibus eadem ita ſollicite invigilat, ut interea etiam, quamvis circa externorum uſum aliquam diu acquieſcat, in actu phantaſiæ aut imaginationis extra ordinem operoſa ſit.

CAPUT VII.

De

NOSTALGIA.

§. I.

ANimi morbis porro annumero affectum hunc, qui certis Medicis Noſtalgiæ nomine venire ſvevit, & vocatur Das Heimweh, cujus non niſi in recentioribus temporibus mentio facta fuit, ſiquidem certis tantum nationibus, familiaris eſſe obſervatus fuit, ubi autores primario incolas intimioris Helvetiæ, nec non quosdam Germanos atque Belgas hoc affectu correptos fuiſſe recenſent.

§. II. Consistit hic affectus in summo & inconsolabili desiderio redeundi in patriam ad parentes, domesticos, agnatos aut conterraneos, quod desiderium cum maxima anxietate & tristitia conjunctum est, unà cum multa & intima repræsentatione de patria sua instituta: cum hoc affectu sæpe concurrit corporis ægritudo, ut transitorius horror, superveniens phlogosis, appetitus & virium prostratio, agrypina, sudor anxius & frigidus, pulsus depressus & inconstans atque successiva corporis contabescentia, sicut præcipue diversi Helveti medici ex instituto hunc affectum descripserunt.

§. III. Primarius morbus hæret in animo, qui dulcedine patriæ & acceptæ educationis aut commercii cum cognatis captus, dum inter peregrinos versari, & alios mores atque consvetudines assumere tenetur, anxie, sollicite & impatienter non modo de pristina vivendi ratione multum speculatur & meditatur, sed & sub reliqua sua immorigera atque tenaci conditione summo redeundi desiderio afficitur.

§. IV. Et hoc ipsum etiam desiderium immoderatum & impatiens inculpa est, quo eadem anima in vitalibus tantas mutationes committat, maxime vero ab appetitu & corporis sui nutritione abstrahat, & sicut ipsum desiderium consistit in actu quodam exeunte, nimirum ad objectum illud, circa quod jam anima versatur, & redeunte, quando eadem anxie meditatur, quomodo objecto tali potiri queat, ita in vitalibus modo repressio humorum ad interiora, modo etiam fortior impulsus in exteriora contingit; ut ob id alterationes in vitalibus cum præsentibus respectibus in moralibus congruant: sicut denique in immoderato desiderio multum perturbata est anima, ita variæ perturbationes in œconomia vitali coincidunt.

CAPUT VIII.

DE

TARANTISMO.

§. I.

QUanquam passim inter medicos præsentis affectus mentio facta sit, tamen cum diversas species morborum animi exponere constituí, hujus hoc ordine brevem memoriam injicere placuit, & licet in hoc Tarantismo graves & periculosæ corporis & motuum vitalium alterationes oriantur, tamen imprimis multa rationis perturbatio concurrat, ut propterea delirus, per varios gradus occurrantibus, annumerari mereatur.

§. II.

§. II. Tarantiſmus dicitur a Tarantularum morſu, quæ per communicatum ſuum ſubtile virus, repentinum mortis periculum incutiunt, ſicuti mox inflictam talem læſionem vehementes præcordiorum anguſtiæ, animi ſtupor, confuſæ phantaſiæ, inſolita triſtitia aut extraordinaria lætitia excipiunt; quidam talium ægrotantium ſolitudinem & loca umbroſa quærunt, & hominum colloquia fugiunt, aliqui furioſas actiones produnt aut obſcœnas geſticulationes ſuſcipiunt, alii ſuſpirioſi, perterriti & taciturni ſunt, quidam vero plane violentas ſibi inferunt manus, ita ut affectus per ſingula hæc phænomena animi morbum prodat: illud vero adhuc imprimis notare lubet, quomodo ita affecti ad certos & diſcretos ſonitus atque tonos muſicos oblatos, ſtrenue ſaltent & poſt ſudorem largum reſtituantur, atque a periculo mortis liberentur, & licet Hiſtoria Tarantiſmi admodum diffuſa ſit, tamen non placuit præter hæc ſigna, quæ animi perturbationem manifeſtant, in Theſi alia recenſere, quæ potius pathognomonicis deductionibus reſervo.

§. III. Quod cauſam hujus morboſi rationis ſtatus attinet, iterum ex prædictis monere neceſſe habeo, quomodo interdum animus confundatur & perturbetur per ejusmodi media corpori illata, quæ repentinam & extremam perniciem minantur, unde anima ſimul & ſemel perterrita, conſiliorum capeſſendorum inops quaſi redditur, ut propterea in tanto angore & periculo quoad morales functiones mira & confuſa operetur: ſicut illa eſt animæ valde familiaris conditio, ut ex inopinata periculoſarum circumſtantiarum oblatione, nimium quantum alteretur & confundatur.

§. IV. Quod vero ſub tali delira rationis conditione ſingulares illæ ſaltationes & convulſivæ corporis commotiones juxta illam Thoni ſpeciem inſtituantur, quæ huic Tarantulæ accepta & grata eſſe dicitur, ſubtile & certe adhuc ſecreta nititur ratione, dum nondum adhuc vel per rationabilem tantum probabilitatem, aut explicari poteſt aut explicatum fuit, quomodo materia efficienter intra animam, talem ſelectum transferat, cum potius inverſo ordine aſſerere velim, quod anima ſecundum diverſarum materiarum conditiones, ſubtiles ſuas æſtimationes inſtituere & ſecundum illas alios effectus atque motus ſubordinare queat: interea adhuc nos multum latent occultæ vires animæ humanæ, quas maxime in extremis & ſingularibus caſibus exercere ſolet; unde potius circa ſpecialiſſimam ætiologiam a vulgaribus, dubiis & fabuloſis aſſertis conſtanter abſtraho & multis documentis convictus affirmo, quod ſpecialiſſimæ & tacitæ animæ rationalis operationes craſſum noſtrum captum & intellectum nimium quantum ſuperent & transcendant.

§. V. Reliquæ motuum vitalium alterationes, quæ in hoc affectu occurrunt, ſimiliter vel ex illo extremo animæ angore, vel ex perturbata illius reſolu-

tione, qua metuendum periculum intercipere laborat, fluunt, & licet motus, qui in vitalibus concurrunt, non ſemper idoneis & proportionatis effectibus reſpondeant, tamen ſub præſente conſternatione æque confuſi & tergiverſantes exiſtunt, quales titubationes alias in mere moralibus ſimultaneis animæ oppreſſionibus & conſternationibus occurrunt; ſunt vero tales effectus in præſente affectu, quoad vitales functiones, modo febriles commotiones, modo inflammationes, modo ſpaſmi, modo convulſiones, interdum etiam diverſæ evacuationum ſpecies, aut plenariæ motuum abolitiones, quando in altero extremo natura deflectit.

CAPUT IX.

DE

PHILTRIS.

§. I.

ORdo me ducit ad ſuccinctam Philtrorum conſiderationem, ubi iterum animus mihi non eſt ſingula illa phænomena recenſere, quæ oblata philtra individuis ſequuntur, ſed brevibus indicare placet, quam communiter & graviter per philtrorum oblationem animus immutetur & perturbetur, ut deliria diverſæ ſpeciei ſuperveniant: quo ipſo talis obſervatio præſenti morborum animi diſquiſitioni annectenda eſt.

§. II. Philtra vulgo dicuntur, illa media & adminicula, qualiacunque etiam fuerint ſive naturalia ſive (ſi ita appellare & credere placuerit) magica, quibuscum immoderatus amoris affectus in altero ſexu excitatur, unde vulgo nomine poculi amoris ein Liebes-Tranck venire ſolent, qui affectus vero communiter cum animi confuſione & gravi atque ſuſpecto delirio conjunctus eſt.

§. III. Poſt propinatum itaque philtrum animus communiter angitur & cum anxio deſiderio oppletur, ex quo cum inſano amore ad alterum objectum ruit; intercurrit multa impatientia, inquietudo, agrypnia, & obſcœna actio, quin denique vel perfecta Mania, vel Melancholia, vel Moroſis, vel Erotomania ſupervenit, & eo ipſo confuſus talis animæ ſtatus augetur & confirmatur.

§. IV. Quoad vitales functiones graviſſimæ etiam alterationes philtrorum oblationem excipiunt, ex quibus paucas hoc loco recenſuiſſe ſuffecerit, quales ſunt extremæ anxietates præcordiales, tremores membrorum, affectus ſyncoptici, ſpaſtici, convulſivi, motus confuſi febriles, anxius ſudor, vomitus cum extrema cardialgia conjuncti, Hæmorrhagiæ, ſucceſſiva pathemata, hypochondriaca, quidquod ſuperveniens hectica & miſeranda omnium harum calamitatum clauſula.

§. V.

§. V. Quanquam Philtrorum materialis conſtitutio & eſſentialis ratio plurimum adhuc occulta ſit, tamen ex effectibus judicare licet, in quantum eadem ſenſui interno adverſa & inimica exiſtant, dum intra partes organicas excepta & maſſæ ſangvineæ inſinuata, repentinas orgaſticas & inconſvetas periculoſas inteſtinas commotiones excitant, proptereaque tam in vitalibus quam moralibus tantas alterationes & motuum vel intenſiones vel variabiles directiones poſt ſe trahunt; quale quid de ſangvine menſtruo propinato conſtat, quantas cardialgicas, emeticas, ſyncopticas, ſpaſticas, imo convulſivas commotiones & calamitates cauſetur, utpote quales & adhuc diverſæ aliæ commotiones vel directe vel indirecte, vel propius vel eminus, vel adæquate vel inadæquate ad ingeſti & ſenſui interno extreme adverſi ſubjecti & philtri remotionem collineant.

§. VI. Sed cum communiter ſubjectum illud cui philtrum propinatum eſt, cum altero in aliquali converſatione atque commercio conſtitutum fuit, ita non modo oblatum tale philtrum, in genere efficit, quo animus perturbetur, ſed & quo ratio in hoc amoris negotio, circa quod aliquandiu occupatum fuerat, deliras actiones exerceat, & præter reliqua deliria ſimul tales operationes ſuſcipiat, quæ de impudico amore teſtantur: ſicuti interdum hæ confuſiones pro ratione concurrentis ſuperflui ſangvinis & impetuoſioris maximeque irregularis commotionis per cerebrum in actualia furibunda ſive maniaca deliria exeunt, aut ſi oblata philtra maſſam humorum in ſuſpectam ſpiſſitudinem conjecerunt, tunc melancholica pathemata tam quoad corpus, quam quoad animum accidunt; de reliquo etiam peculiarem annotationem meretur, quomodo philtrorum propinationes ad temperamenti mutationem contribuant.

CAPUT X.
DE
EBRIETATE.

§. I.

PRo colophone morborum animi, quos hactenus in diverſis ſpeciebus perluſtravi, brevibus adhuc reminiſcor illius delirii, quod proh dolor frequentia quotidiana omnia reliqua ſuperat & Ebrietas audit, quam antiquiſſimi philoſophi & medici pro tranſitorio delirio reputarunt, ſiquidem ipſæ actiones, ita confuſæ & inſanæ ſunt, ut ipſi ebrii inde habeant, quo crimina ſua ſub ebrietate commiſſa excuſare velint.

§. II. Non eſt, cur in Hiſtoriam ebrietatis recenſendam excurram, illud tantum notare lubet, quomodo ſub ebrietate ratio admodum perturbata ſit, & ita de-

deliret, ut ſi ad ſe rediit, commiſſorum actuum inſcia ſit; unde ebrii ſub hac mentis confuſione, talia non raro committunt, quos poſthac pudet, hæc commiſiſſe, quare vulgo ebrii, pro mente captis, tractantur; quidquod frequens crapula tantum in futurum efficit, quo vires animæ maxime hebetentur, & prægreſſa alacritas in ſluporem mutetur.

§. III. Quanta damna ebrietas œconomiæ vitali communicet, non eſt cur latius vel indicem, nedum quidem recenſeam, illud tantum in hac ſerie ſignificare debui, quod imprimis in ebrietate ratio laboret & animus ægrotet, ſiquidem totum corpus adeo oneratum & oppletum eſt, ut omnes reliquæ vires maxime alterentur; imprimis ebrios conſveta & conſtans illa temulentia affligit, tremor in membris, fluctuans & titubans ſenſuum exercitium, aut actualis ſtupor in ſenſibus, & quando in lectum ſe dimittunt, vertigo moleſta atque vomitus affligit, qui in multis etiam maturius oritur, remanente in poſtero die capitis dolore, animique torpore.

§. IV. Perturbatur vero ſub ebrietate animus, ob nimiam corporis oppletionem, cum potulento & vaſorum ſangviferorum multam inturgeſcentiam, quo una concurrunt ejusmodi commotiones orgaſticæ, ſpumefactoriæ, per principia ſubtilia ſulphurea vaporoſa & ſpirituoſa provocatæ, ſiquidem nuda corporis & vaſorum oppletio, pro perturbatione illa concitanda non ſatisfacit, unde talis æmulatio ebrietatis, per alia ſubjecta, odoretenus oblata, videlicet narcotica & ſvaveolentia, in variis hominibus, maxime ad capitis ægrotationes pronis, excitatur.

§. V. Ob hanc confuſam & ſpumefactoriam ſangvinis commotionem & inturgeſcentiam, tam in univerſo corpore, quam in ipſa tenera animæ officina proxima & primaria, nimirum cerebro, ipſe animus ita perturbatur & confunditur, ut ob tantam offenſionem, in vitali negotio inductam & provocatam, etiam in moralibus a legitimo operandi modo diſcedat; etenim hæc anima communiter cum moralibus ſuis negotiis & ſangvinis progreſſu exquiſitam harmoniam ſervat, ſiquidem hic ſangvinis motus principaliſſimus ille actus eſt, per quem natura in ſuum corpus operatur, unde etiam ſecundum certos hujus progreſſus gradus actionum ſuarum moralium gradus inſtruit, quale quid in temperamentorum ætiologica tractatione obſervatur: de reliquo ex nimia corporis oppletione virium aggravatione & irregulari ſangvinis progreſſione oriuntur tam temulentæ & vertiginoſæ perturbationes, quam corporis tremores & titubationes.

SECTIO

SECTIO UNDECIMA.
DE
MORBIS EX FASCINO.

§. I.

COnverto me ad intricatam illam & multis dubiis atque hæsitationibus expositam disquisitionem morborum per incantationem provocatorum, quales quidem multi passim recensentur, sed de quorum multis merito dubitandum est, an veritati respondeant: non quidem jam me illis disceptationibus immiscebo, quibus agitatur illa assertio, quasi per vires naturales aut per supra naturales, tales salcinationes succedant, cum in utraque opinione non exiguæ difficultates intercedant.

§. II. Negare omnes morbos per fascinum provocatos, & contra, omnibus historiis, quæ de talibus incantationibus recitantur, absolutam fidem dare, duo extrema sunt, quorum hoc vitio credulitatis, illud vero præjudicii & contumaciæ fundamento nititur; præstat propterea in hoc negotio prudentia & moderatione uti atque singulas circumstantias bene ponderare.

§. III. Quod diabolus ex divina concessione potentiam habeat in corpus humanum, non invenio, unde & cur negem, quippe qui autor omnis perniciei & clamitatis est; quomodo vero hanc suam potentiam exerceat, nos omnino latet, cum nefanda satanæ artificia introspicere & percontari animus noster haud valeat; ex eo vero etiam non facile vellem ita concludere, quoniam non comprehendo quomodo diabolus hoc præstet, ergo factum est falsum.

§. IV. Interea in morbis, qui incantamentis adscribuntur, talia phænomena occurrunt, quæ nullo parallelo exemplo cum naturalibus effectibus possunt comparari; & quid impedit, quo minus agnoscamus & credamus, cum ipse salvator diabolum non modo principem, adeoque magna potestate præditum, sed & principem mundi appellat, quod ipse tam naturalibus, quam supranaturalibus viribus, hanc malitiam & perniciem exercere possit.

§. V. An diabolus possit in corpus operari, proterea quia spiritus est, iterum negare non audeo, siquidem ipsa anima humana, ut spiritus ex se motus producit & in corpus operatur, & licet hæc ut plurimum certis mediis utatur, ita ab operandi ratione atque modo in naturali ordine occurrente non licet argumentari ad activitatem diaboli, cujus vires & potentiæ superant potestates vulgares humanas; & quis ex vero dicere potest, quod diabolus neque possit neque soleat certis intermediis causis uti (cum mundus sit palæstra & subtiliorum & crass-

craſſiorum materiarum & inſtrumentorum) quibus cum noxam inferre poſſit: & quonam quæſo utitur medio, ſi anima e primo puncto actum generationis incipit? quonam utitur medio, ſi ordine primò motum in nervos transfert?

§. VI. Unde minime dubito, quod diabolus in hominis corpore mira & ſtupenda generare & efficere poſſit, & quod etiam morbi ex faſcino producti, omnino dentur: illud vero etiam minime reticeo, quod longe minimus numerus illorum morborum, qui incantamentis adſcribuntur, huic cauſæ adſignandus ſit, ſed multi tales morbi multoties mere naturalibus rationibus & ſubtilibus atque ſecretis animæ humanæ viribus & facultatibus nitantur; teſtimonio convulſionum per malam imprecationem provocatarum, aut cum inſolitis & admirandis ſymptomatibus ſtipatarum, ex vitio ordinum vitalium provenientium aut alterationum in infantibus occurrentium ex aliorum moroſa, terribili, auſtera & iracunda vehementia infantibus repente illata; unde ſenſibiles & tenelluli infantes ita extreme in tota ſua œconomia vitali mutantur, ut repente faſcinatio accuſetur.

§. VII. Neque tamen ex eo præmature concludendum eſt, quaſi omnes reliqui miraculoſi affectus animæ aberranti & per ſecretas tales methodos operanti, competant, cum diverſa phænomena plane non combinari poſſint cum viribus animæ humanæ; & licet hic quisquam objicere velit aut poſſit, quod nævi materni effectus animæ ſint, quaſi propterea anima plures tales ſingulares effectus perficere debeat, tamen ab hiſce nævis maternis ad alia miraculoſa & ſingularia, quæ incantamentis adſcribuntur non valet conſequentia, ſiquidem magnus diſſenſus circumſtantiarum intercidit.

§. VIII. Sed ſubeſt adhuc illud offendiculum, quomodo denuo comprehendi non poſſit, quod ſagæ aut peſſimi homines per diabolum tales pernicioſos affectus & effectus cauſare poſſint; circa quod obſtaculum vero, iterum non valet argumentatio ab ignorantia modi ad negationem facti, ſiquidem contra teſtimonia perhibent, quomodo denuo ſuſpecti ejusmodi affectus a ſuſpectis perſonis, ſive ſagarum ſive præſtigiatorum nomine venerint, mitigati & ſublati fuerint.

§. IX. Magnus omnino & ſordidus occurrit abuſus circa vulgarem faſcinationum accuſationem: quemadmodum ab hominibus credulis & ſuperſtitioſis morbi complicati, intricati, inverſi, confuſi & corrupti mox præſtigiis dæmonis accenſentur, quod non modo a plebeis hominibus ſed interdum etiam ob ipſis medicis committitur, unde eo magis convenit probe circumſtantias conciliare & de certitudine earundem attentum animum applicare: quo loco denuo præoccupo, illam præcipitantiam quando ab infrequentia talium affectuum ad non exiſtentiam eorundem concluditur.

§. X.

§. X. Singularia figua, quæ faſcinationem produnt ſunt, quando inſolita ſubjecta vel per vomitum vel per alvum vel cum urina vel ex aure, vel naribus vel ex apoſtemate, vel abſceſſu vel alibi adhuc excernuntur, ut ſunt ſceleta animalium, piſcium, avium, pili, carbones, fruſta ligni, congeries acuum, aciculæ, plumæ, fila, fruſta vitri, clavi, putamina ovorum, faſciculi ſtraminis, ſtercora variorum animalium, fruſta plumbi, fiſtulæ figulinæ pro tabaco fumando, ungves digitorum, globuli ferrei, fruſtula lignorum cum certis literis notata, fruſta corii, pulices, dentes ovilli, ariſtæ, nummi, ligamenta, animalia viva miræ figuræ, & diverſa alia.

§. XI. Proinde annotari debent concurrentes vehementes ægrotationes cum convulſionibus, deliriis & miraculoſis ſymptomatibus ſtipatæ, qualia diverſa ab obſervatoribus commemorantur, & quæ non tam ab immediato diboli regimine & motuum vitalium exercitio, quam potius ab anxia & extremè afflicta natura humana dependent, quæ per ejusmodi extremas commotiones ſeſe in conſvetis alterationibus & materiis intra corpus translatis cum ſumma conſternatione, confuſione & anguſtia opponit, & quaquaverſum pro miſere afflicto ſuo corpore, medelam quærit atque urget.

§. XII. Nunc vero ita abſolute negari non poteſt, quod videlicet ſine dolo & ludibrio ejusmodi prædicta ſubjecta e corpore vivi hominis cum tantis ſtupendis commotionibus excreta fuerint; illud vero ſupra captum humanum eſt, perquirere velle, quomodo eadem intra corpus hominis demiſſa fuerint, neque ob id prius temere negare audeo, cum talia ſubjecta naturali via in apoſtema, abſceſſum, veſicam urinariam, aures, nares, oculos, transferri nequeant, neque tam facile ſeminia clavorum, acicularum, plumarum, filamentorum, vitrorum intra ventriculum translata aut ita tacite oblata ſupponi poſſunt: quales propterea circumſtantias ab aliis communioribus merito diſcernere convenit, ne promiſcue de hiſce rebus judicemus; aliàs multarum rerum & multorum effectuum veram & indubiam exiſtentiam contumaciter negare deberemus, quia eorundem modus eſſendi & fiendi ſæpiſſime nos latet, ſicuti brevibus indico, quod potentiæ diaboli hi effectus non repugnent, quin potius aſſero, quod diabolus, licet ſpiritus ſit, tamen cum corpore communicare, corpus repente configurare iterumque confeſtim diſſipare atque deſtruere, & in hoc tam vires & poteſtatem quam malitiam & pravitatem ſuam comprobare poſſit.

SECTIO DUODECIMA.

DE DEFECTIVIS MOTVVM VITALIUM VITIIS.

§. I.

HUcusque in præsenti Pathologia thetica illos affectus explicavi in quibus extraordinariam naturæ activitatem & motuum vitalium directionem & applicationem commonstravi: supereſt adhuc quo brevibus naturæ defectus, quos circa motuum vitalium administrationem committit, horumque potiores causas atque respectus significem, adeoque illas vias commemorem, per quas eadem corpus suum, quod tam diu inhabitavit, egreditur & e vita in mortem transit.

§. II. Tales defectus itaque natura vel in universo suo corpore, vel in certis quibusdam regionibus & partibus committit, quorum prior periculosior, posterior vero paulo mitior est; uterque vero utplurimum erroneis rationibus adscribendus est, sicut illi usitatiores naturæ errores, in Pathologia medica notandi sunt, qui in genere circa motuum exercitium, seorsum vero circa excessum, defectum & modum sive methodum occurrunt.

§. III. Quoad defectum vero natura haud citius aberrare solet, nisi vel simul & semel in actionibus suis perturbata & oppressa fuit, ut ob repentinam consternationem & omnigenam inopiam capessendi consilii, sub tantis extremis angustiis denique vel universaliter vel particulariter a motuum continuando exercitio abstineat, quale quid sub repentino terrore, gaudio, aut qualicunque alio affectu contigisse constat; vel nisi pro impetrando quodam certo præfixo salutari scopo, diu & operose & sub multis difficultatibus atque incommodis frustra vires atque motus applicavit, ut denique præsentis negotii pertœsa ulteriores operationes amittat & omittat, sicut analogum exemplum quotidie in moralibus functionibus obversatur.

§. IV. Versantur propterea hi defectus circa motus vitales, de quibus hoc ordine ago, primario vero circa motum tonicum, deinde vero circa motum progressivum; quanquam hunc ita absolute sine perfectæ mortis metu omittere non facile debeat, interea quoad tonicum motum hic defectus vel gradum respicit, dum debilius & magis insufficienter administratur, vel totam suam præsentiam concernit, quando penitus cessat, licet interea cordis motus quantisper continuet, illud vero inevitabile consectarium est, ut, si tonus langvet, subinde etiam progressus sangvinis necessarius & justus valde alteretur & ita in totum œconomiæ vitali vel momentanea vel successiva gravia damna superveniant.

§. V. Est

§. V. Eſt itaque hic motuum vitalium defectus proxima via ad mortem, quoniam juſtus illorum motuum ſucceſſus a morte præſervat & neceſſarios effectus pro impetranda vita ſalutares, acquirit & conciliat, unde periculoſus affectuum talium ſtatus ex ſimplici hac demonſtratione inclareſcit, ſiquidem imprimis ejusmodi morborum ſpecies illis ætatis annis familiariores eſſe obſevantur, quibus jam ob nactum ſenium vel prægreſſas multas animi & corporis defatigationes, anima cum reliqua ſua activitate decreſcit & ab ulteriori corporis ſui conſervatione abſtrahit.

§. VI. Quemadmodum porro cum legitimo motuum vitalium ſucceſſu atque exercitio connectit præſentia vegetæ ſenſationis, ita deficientibus hiſce motibus, deficiunt etiam ſenſus tam pro vitali œconomia neceſſarii, quam pro reliquis externis objectis conuenientes, ſiquidem & ſingula illa conſectaria, vel repente vel ſucceſſive evaneſcunt, quæ alias horum motuum vegetum ſucceſſum comitabantur.

§. VII. Quando itaque anima hominis propter imminens, vel præſens ſenium, vel propter prægreſſas multas enervationes, ſive cum moralibus exercitiis, ſive cum voluntario motu commiſſas, vel propter repentinum quoddam periculum, aut gravem corporis ſui & ſenſibilium partium læſionem & offenſionem, vel propter ſubitaneam conſternationem & confuſionem, aut certarum partium & organorum vitalium depravationem, motus ſuos tam vegete continuare non poteſt, tunc ob has rationes, communiter defectiva motuum vitia & morbi tales periculoſi oriuntur.

§. VIII. Evenit etiam interdum, ut hæc anima valde ſenſibilis in corpore ſuo circa motuum vitalium continuationem deficiat, ſed mox iterum ad functiones ſuas revertatur, ſi imprimis periculum non adeo ſonticum eſt, neque tantopere urget, attamen ſenſibilior & delicatior ſtatus animæ in culpa eſt, quæ tam meticuloſas & anxias æſtimationes de præſenti ſiniſtro accidenti inſtituit & in tantum, aut tam diu a vitalibus functionibus, imo rationis & ſenſuum exercitio, ſeſe ſubducit, donec poſt aliquam moram ſeſe colligens, quaſi e dulci ſomno ad officia ſua redeat.

CAPUT. I.

DE

APOPLEXIA, ILLIUSQUE SPECIEBUS.

§. I.

PRincipaliſſimus horum morborum, qui defectivo motuum vitalium vitio ni tuntur, eſt Apoplexia, affectus maxime periculoſus, qui propterea hoeno-

mine innotuit, ſicuti alias attonitus morbus vocatur, quia ſimul & ſemel homines corripit & corruit & repente, communiter vero funeſte excurrit, qui cum momentanea rationis, ſenſuum & functionum vitalium imminutione & quaſi abolitione ſeſe exſerit.

§. II. Hic affectus, licet ita extreme periculoſus ſit, tamen per Dei clementiam infrequentior exiſtit, neque indiſcretim in omni ætate occurſat, ſed magis ſenilem annorum periodum corripit, ni gravis quidam exceſſus circa regimen & diætam, in junioribbs, maxime plethoricis ſubjectis, commiſſus fuerit, ut ſunt repentinæ exæſtuationes & ſubjunctæ ſimultaneæ refrigerationes, vel vice verſa, aut extremæ inebriationes aut capitis graves contuſiones, vel ſimiles momentaneæ & impetuoſæ alterationes.

Conf. Stahlii Diſp. de Senum Morbis.

§. III. Summus Apoplexiæ gradus eſt, quando ſimul & ſemel ratio & ſenſus imo plurimi motus & effectus vitales aut ſigna vitam denotantia ceſſant, mitior vero gradus eſt, quando tantillum rationis & ſenſus remanet, licet & vires, & reliqui motus graviter deficiant: communiter in Apoplexia pulſus & reſpiratio, calor & color naturalis imminuitur, vel ut plurimum ceſſat, unde etiam Apoplexiæ eventus præceps eſt.

§. IV. Proxime vero illa Pathologico-practica Apoplexiæ diſtinctio notanda & indicanda eſt, qua alia Sangvinea alia vero Seroſa exiſtit: prior in ſubjectis ſangvineis, valde plethoricis ſpontaneis vel artificialibus Hæmorrhagiis antehac adſvetis, & frequentibus atque immoderatis plethoræ ſuæ commotionibus obnoxiis, non minus etiam animi pathematibus, maxime vero iracundis multis & impetuoſis expoſitis, occurrit, quæ etiam cum phænomenis ſangvineis ſeſe prodit, ſiquidem vel cum bono effectu, interdum tempeſtivam Narium Hæmorrhagiam, vel juxta Hippocratis aliorumque obſervationem Hæmorrhoides inducit; vel in demortuis denique ſangvinis largiorem fluxum vel e naribus vel una ex auribus & faucibus poſt ſe relinquit, aut ſi intimiora capitis inquiruntur largam extravaſationem ſangvinis intra cavitates cerebri factam conſpiciendam præbet.

§. V. Altera Seroſa occurrit in ſubjectis humidis ſive de phlegmatico temperamento participantibus & frequentius affectibus ſeroſis, maxime pectoris & capitis oppreſſis, nunc vero in decrepita ætate conſtitutis, atque multo animi & virium torpore & langvore laborantibus in quibus interdum bono omine tempeſtivus vomitus pituitoſus oritur, cum quo hæc apoplexia ſeſe ſolvit; in demortuis vero in cerebri ſic dictis ventriculis multa colluvies pituitoſa deprehenditur.

§. VI. Hiſtoria Apoplexiæ eſt admodum diffuſa, ſiquidem in illa occurrunt ſigna quæ hunc affectum antecedunt, deinde notanda ſunt phænomena

quæ

quæ Apoplexiam præſentem produnt, nec non indicanda denique ſunt talia ſigna quæ eventum & finem Apoplexiæ comitantur; ſiquidem ad ultimam hanc circumſtantiam referenda eſt illa obſervatio, quando in Apoplexia corpus ob toni abolitionem intumeſcit, neque facile poſt mortem obrigeſcit, ſed liveſcentem aut nigricantem colorem induit, quod maxime in plethoricis ſubjectis obſervatur: ut plurimum vero Apoplexia ſiniſtre & funeſte definit, aut ſi contingit ut Apoplectici mortis periculum emergant, tamen in iisdem proxime novus & gravior apoplecticus inſultus metuendus eſt, qui tunc tanto certius cum morte excurrit; deinde etiam ſemel ſuperatam apoplexiam ſingulares quædam ſive in animo ſive in corpore infirmitates ſequuntur.

§. VII. Quando Apoplexia ſine mortifero eventu deſinit, tunc interdum in particulari quodam membro, reliqui corporis Paralyſis remanet, quam quidam modicorum *Paraplexiam* nominare ſolent, licet etiam hac appellatione mitiorem Apoplexiam denotare malint: hæc Paralyſis vero quæ Apoplexiam excipit communiter ita comparata eſt, ut facilius in Apoplexiam perfectam iterum revertatur, quam curam aliquam exoptatam admittat.

§. VIII. Quando hæc motuum vitalium abolitio, tantum in uno corporis latere contingit, ita ut in altero adhuc & ſenſus & motus voluntarius & calor & reliquus naturalis vigor, adſit, tunc affectus vocatur *Hemiplexia*, quæ perinde periculoſa eſt, & ſi ſemel ſine funeſto eventu excurrit, tunc proxime in perfectam Apoplexiam degenerat; & ſi ſubjecta ſub Hemiplexia moriuntur, tunc vel in latere affecto intumeſcentiæ inſolitæ, rubores & livores occurrunt, vel in illo latere cerebri tale quicquam obſervatur, quod antea de Apoplexia dictum fuerat.

§. IX. Circa ætiologiam Apoplexiæ ſangvineæ brevibus ſignifico, quod eadam nitatur vel facta disruptione venularum exiliſſimarum cerebrum in poſtica parte percurrentium, vel plexum illum famoſum choroideum conſtituentium; ex qua poſthac ſangvis tantam extravaſationem & præternaturalem effuſionem intra cavitates & alveos cerebri ſuſcipit, ut nobilem hanc animæ officinam oppleat, eidemque proximam corruptionem minetur: vel atteſtantur obſervationes anatomicæ, quomodo varicoſæ venularum cerebri oppletiones, adeoque neceſſarii refluxus ſangvinis per cerebrum ſuffluminationes hujus Apoplexiæ cauſæ fuerint.

§. X. Si itaque in cerebro tale inſolitum maximeque pernicioſum accidens ſubnatum eſt, tunc ob præternaturalem talem officinæ ſuæ oppletionem & depravationem anima motus ſuos tam morales quam ſenſuales & vitales amittit, e qua officina alias primum motus ſuos emittit: ſicut vero illa communiter pro ſuis uſibus cerebrum applicat, licet in eo captum noſtrum ſpecialiſſima cerebri

applicatio transcendat & fugiat, ita fieri aliter non potest, quin læso vel depravato cerebro, ipsa simul offendatur, quæ propterea ex eodem motus suos transmittere & producere renuit.

§. XI. Quando motus Tonicus vel imminuitur, vel penitus abolitur, tunc simul motus sangvinis progressivus graviter alteratur, quoniam inter hunc & illum absoluta & perpetua est harmonia; proinde etiam sensus evanescunt, quoniam ad horum administrationem tonus præcipue requiritur, & si in hac calamitate subjecta pereunt, tunc non facile in trunco corporis obrigescunt, sed sangvis, qui copiosius in relaxatam superficiem penetravit, eandem non modo magis tumefacit, sed & in eadem citius putrescit.

§. XII. Quo vero talis eruptio teneriorum vasorum in cerebro fiat, singularis adhuc causa concurrit, siquidem illa extravasatio non ita fortuito contingit, (nisi gravis violentia contigit) sed præcurrit immoderata quædam congestio sangvinis in posticam cerebri partem, cum qua natura superflui & molesti sangvinis evacuationem propterea e capite urget, quia in junioribus ætatibus vel actuales tales Hæmorrhagias Narium, vel molimina eo tendentia instituit, ita ut nunc in adultiori hac ætate actus huius memor, similem depletionem & liberationem a molesto sangvine prosequatur, sed cum in hoc actu, illa aliquali desvetudine laboret, ita motus congestorios, tam perverse suscipit, et siniſtre deducit, quæ vero aliquando ad hunc eventum sub hac calamitate pertingit, ut tempestiva Narium Hæmorrhagia erumpat, aut si ipsa succumbit, sub emortuali quadam membranarum cerebri & capitis strictura, vel sangvinis intumescentia in venis valde oppletis actualis perruptio accidat, et hæmorrhagia e capite post mortem denique succedat.

§. XIII. Altera & quidem Serosa Apoplexia, oritur a successiva secessione seri mucilaginosi intra cerebrum & deficiente necessaria excretione ejusdem, ut ita non modo præternaturalis oppletio alveorum cerebri, sed et successiva eliquatio oriatur, sub qua natura iam in decremento activitatis suæ constituta aut eo magis inclinans, denique a motuum vitalium continuatione sese subducat, & in tali statu eo certius succumbat, quia in genere vires magis langvent, & materia in cerebro delitescens, non facile resorberi potest, sicut interdum contingit, ut in Sangvinea Apoplexia fluidus adhuc extravasatus sanguis intra vascula sua recipiatur; interea vero quandoque, licet rarissime evenit, vt in hac specie afflictionis, nimirum serosa Apoplexia, natura per spontaneum vomitum eminus suo corpori succurrere gestiat.

§. XIV. Interdum accidit, ut talis vel extravasatio sangvinis, vel secessio seri pituitosi, unum tantum latus cerebri affligat, adeoque superveniens abolitio motus et sensus in uno tantum latere contingat: quodsi etiam e-

vene-

venerit, ut natura aliqualem medelam vel ſpontaneam vel artificialem in tali affectu experiatur & admittat, tunc quidem aliquo modo ad functiones ſuas redit, attamen ob præcedentem gravem & extremam alterationem & afflictionem, vel quantisper in ratione vel in motu vitali delinquit, ut ita in tantum vel hebitudo mentis vel particularis paralyſis excipiat: interim cum illa cauſa, quæ ſemel ad talem affectum contribuit, non modo ſæpius recurrat & urgeat, ita certus metus ſubeſt, ne affectus talis vel apoplecticus vel hemiplecticus revertatur: quod ſi denique contigerit, ut iuſtus tranſitus ſangvinis ſuperflui per cerebrum repente impediatur, tunc ſimilis perruptio tenerixorum vaſorum oriri poteſt, quale quid ex illis cauſis metuendum eſt, quæ extra congruam ætatem ad tales luctuoſos affectus diſponunt.

CAPUT II.

DE

PARALYSI ET PARESI.

§. I.

Sicut communiter Apoplexia in defectu motuum vitalium vel univerſi corporis, vel plurimarum partium conſiſtit, ita Paralyſis conſtituit talem affectum in quo motus vitales cum conjuncto ſenſu vel in integro quodam membro vel in ſingularibus quibusdam muſculis deficiunt, ut propterea reſpective hoc malum paulo mitius ſit, quam apoplexia & Hemiplexia, quanquam cæteroquin ſatis grave exiſtat, dum in perfecta motuum vitalium privatione conſiſtit.

Conf. Stahli diſp. de Senum Morbis.

§. II. Eſt itaque Paralyſis reſolutio alicujus partis in qua omnia illa phænomena repente evaneſcunt, quæ ad vitam ſignificandam ordinarie ſpectant: proinde vero hic affectus ſimiliter rarus eſt, qui in ætate vel ſenili, vel aliquando etiam infantili occurrit, haud vero hanc ætatem ita tacite corripit, quin graves quædam alterationes & læſiones præcurrerint, e quorum numero ſunt veſicæ calculus, ſcabies retropulſa, malignæ variolæ perverſe tractatæ, corporis diſlocationes & diſtorſiones aut graves contuſiones ſimilesque.

§. III. Corripit vero Paralyſis cum concurſu multarum alterationum circa reliquos motus tam animales, morales, quam vitales, ſiquidem in animo extraordinariæ anguſtiæ, deinde vero inſolitus virium languor, & ſomni atque appetitus perturbatio coincidunt, mox vero in parte ſtupor, torpor, inſoli-

insolitum frigus, impotentia movendi, evanescentia sensus, exinanitio venarum & insolita partis intumescentia, oritur, quæ ita augescit, ut nisi tempestiva medela afferatur sphaceli metus immineat: si vero mitior fuerit talis paralysis, tunc in affecta parte levis sensus aut fremitus remanet, unde tanto magis spes de impetranda restitutione formari potest.

§. IV. Corripit interdum Paralysis linguam cum impotentia movendi, flacciditate & impotentia & concurrente aliquali animi stupore, interdum invadit sphincterem; observatur etiam in Historia practica Paralysis Laryngis & Oesophagi, maxime in periculosis aliis affectibus, & quidem febrilibus malignis, quando fauces cum aphthis obsidentur, ut proinde patientes potum cum murmure ingurgitent, aut potulenta cum sonitu passive per Oesophagum intra ventriculum dalabantur: rarius deprehenditur oculus cum Paralysi affici, quando in illo repente visus cessat, oculus immobilis redditur, flaccescit, perturbatur, obscuratur, humidior redditur, & pupilla impallescit atque latior evadit: denique occurrunt aliorum singularium musculorum paralyses, unde pars affecta sive fuerit caput, sive manus, sive digiti, sive genua, titubant atque tremunt.

§. V. *Paresis* vulgo inter Medicos a Paralysi distingvitur, dum per illam mitiorem Paralysin intelligunt, quando nimirum in affecta parte adhuc aliqualis & motus & sensus gradus præsto est: specialissime vero per Paresin medici intelligunt illam Paralysin, quæ prægressam multam colicam, aut affectus arthriticos aut scorbuticos, cum multis cruciatibus & contumacibus gradibus progressos, sequitur: interim sunt etiam quidam ex veteribus, qui consensum apoplexiæ, Paraplegiæ, Paresεos & Paralyseos bene agnoscunt, siquidem singuli hi affectus generice in defectu motus vitalis consistunt.

§. VI. Et hi gradus defectuum circa exercitium motuum vitalium, habent perinde singulares suas causas, quæ juxta vulgarem Pathologiam obstructio nervorum, aut denegatus spirituum influxus per nervos intra partem affectam esse fertur: sed cum hæc sententia nimis obscura & confusa sit, proinde etiam sterilibus fundamentis & opinionibus nitatur, neque pro ulla rationabili & solida demonstratione suppeditanda satisfaciat, ita merito a tali traditione abstineo.

§. VII. Illud vero brevibus indico, quod motuum vitalium principium sit natura; hæc uti ad certum salutarem scopum hos motus applicat, exercet & dirigit, ita etiam si in tali scopo qualitercunque graviter perturbatur atque offenditur, eadem ab hoc motuum vitalium exercitio abstinere & cessare potest; tanto magis vero, si iam per adultiorem ætatem & ob prægressas tam animi quam corporis multas enervationes ad qualecunque alacritatis suæ decrementum propendet.

§. VIII.

§. VIII. Si itaque anima vel repente in moralibus ſuis operationibus perturbatur, quod per repentinas patheticas commotiones contingit, tunc evenit, ut eadem ſub tali confuſione repente vel in totalem vel partialem motuum & ſenſuum amiſſionem incidat, vel ſi animæ ſenſus graviter & repente in aliqua parte offenditur, accidit, ut pro hoc extremo doloris gradu fugiendo & excutiendo eadem repente motum in illa parte deſerat, unde puncturæ & læſiones partium tendinoſarum & nervoſarum ad Paralyſin contribuunt; quemadmodum illæ ſingulares circumſtantiæ hoc loco inculcandæ ſunt, quomodo interdum natura in talem defectum delabatur, quando eadem repente & contra omnem aſſenſum & conſenſum cum remediis narcoticis obruta & ſtupefacta fuit, aut quando ſubſtantiæ quædam virulentæ, pernicioſæ & internum ſenſum extreme afficientes ingeſtæ fuerunt, ob quarum extremam averſionem in membro quodam reliqui corporis vitalis activitas deſeritur.

§. IX. Evenit etiam proinde, ut natura particulares tales motuum deſertiones committat, ſi aliquandiu cum extraordinariis viribus, moleſtiis & difficultatibus, certos ſcopos cum fruſtraneo conamine proſecuta eſt; quæ propterea ex faſtidio & averſione motus in quadam parte ſubducit, ſicuti Paralyſis diuturnos prægreſſos affectus Arthriticos, Scorbuticos, colicos male tractatos, hypochondiacos &c. ſequitur: quo loco illa circumſtantia minime oblivioni tradenda eſt, quomodo interdum diuturna & operoſa molimina, emotionibus & promotionibus ſangvinis deſtinata, multis & arduis difficultatibus expoſita, aut plane malis medicationibus offenſa, in Paralyticum ſtatum deſinant; quemadmodum interdum vel mala regimina vel prava medicamina in ſonticis affectibus adhibita, ad talem eventum diſpoſuiſſe obſervantur.

§. X. Quando etiam diverſas partes teneras, qualescunque pernicioſæ & ſenſum imprimis valde afficientes materiæ invadunt, tunc exinde etiam Paralyſis ortum trahere ſolet, ubi ſcabies retropulſa, variolæ malignæ, & corroſiva remedia ad ſenſibiles partes applicata, & quæ ſimilis conditionis cauſæ ſunt, ad Paralyſin contribuunt, ita ut communiter natura culpanda ſit, circa talem evidentem motuum vitalium amiſſionem.

§. XI. Sicut vero imprimis in tali defectivo vitio maxime tonicus motus langvet & deeſt, ita ſimul omnes illi connexi effectus, qui de hoc motu participant, deficiunt: ob id promtus tempeſtivus & ſufficiens tranſitus & reditus ſangvinis per affectas partes, ceſſat, & contra ob flacceſcentiam earundem, ſangvis ſuſpectas intumeſcentias & metus coagulationis atque proximæ putridæ corruptionis inducit & incutit, ſiquidem ſub tali vitalium motuum præſentaneo langvore plenario defectu, unà in mentis & rationis alacritate lan-

gvor & debilitas concurrit, præter reliquarum functionum qualemcunque irregularitatem & parturbatum succeſſum, reliquis particularibus motuum defectibus ſeſe conjungentem; imprimis vero adhuc notandum eſt, quomodo in lingvæ paralyſi communiter anima in ſtuporem quendam incidat, dum in tali parte quam alias pro rationis uſibus adhibet, delinquit, ut eo ipſo tantillum integritatis in ratione, per modum compaſſionis, amittat, qualis hebetudo in ratione communniter continuat.

CAPUT III.

DE

CATARRHO SUFFOCATIVO.

§. I.

AD morbos, qui motuum neceſſariorum vitalium defectu nituntur, refero porro ominoſum illum Catarrhum, qui a funeſto ſuo eventu Suffocativus vocatur, ſiquidem hæc ſuffocatio omnino deficienti motui, ad reſpirationem pertinenti, adſcribenda eſt; dum ob abſolutam impotentiam movendi pectus illa interceptio progreſſus ſangvinis, ex uno cordis thalamo in alterum, oritur.

§. II. Quantum experientia medica hactenus ſignificavit, affectus hic in talibus ætatibus, ſubjectis & temperamentis deprehenſus fuit, quæ partim catarrhalibus affectibus magis exponuntur, partim in decremento genericæ activitatis conſiſtunt, ſicuti homines de phlegmatico temperamento prædominanter participantes, adeoque ſegnioris & torpidioris activitatis in hunc affectum propendent.

Conf. Stahlii diſp. de Affectibus pectoris. de Morbis Senum.

§. III. Sequitur hic Catarrhus utplurimum prægreſſos frequentes, diuturnos contumaces atque difficiles, pectoris affectus ſimpliciores catarrhales, cum multo & refractario infarctu conjunctos; quemadmodum hæc ſuſpecta pulmonum oppletio eo magis ſub hoc affectu ſuffocativo augeſcit: proinde etiam facilior eſſe obſervatur in ſubjectis anguſtioris atque arctioris pectoris, aut ſucculentioris & habitioris corporis, nec non quando in prægreſſis pectoris morbis multæ, diverſæ & perverſæ medicationes adhibitæ fuerunt.

§. IV. Excipit itaque hic periculoſus Catarrhus præcedentes pectoris afflictiones, cum ſimultanea invaſione, & extrema reſpirandi difficultate, ita ut mox metus præſentaneæ ſuffocationis inſtet, adeſt multa virium dejectio, animi anguſtia & diffidens abjectio, qui ſtatus intra paucum tempus excurrit vel in

bonum

bonum vel in malum eventum & ſi patientes qualitercunque junioris & non decrepitæ ætatis fuerint, febrilis quædam commotio ſupervenit; licet in infantibus, quos talis calamitas corripit, ut plurimum æſtus inſolitus concurſet: interim juniores homines, excepta tamen tenera infantiæ ætate, paulo facilius mortis periculum ſuperant, quam valde adulti; neque tamen illi adeo immunes ſunt, quin alia occaſione idem affectus acerbius recurrat.

§. V. Non quidem placet in ſuccinctis talibus theſibus longum hiſtoricum conſpectum ſuppeditare, quem ad peculiarem illuſtrationem reſervo, unde circa cauſalem præſentis morbi deductionem indico, quod primaria cauſa ſit amiſſio toni in illis partibus muſculoſis, quæ ad reſpirationem præſtandam pertinent, aut Paralyſis thoracis, ut propterea patientes, non poſſint, licet velint, pectus expandere & aperire, i. e. active reſpirare, unde ob defectum neceſſariæ expanſionis pulmonum ſangvinis circuitus per pulmones ſuffla-minatur & propterea ſuffocatio inducitur.

§. VI. Ad hanc amiſſionem motus in pectore contribuunt illi morbi, qui antehac diu & graviter pectus detinuerunt, ubi minime excludimus tales affectus, qui cum motibus hæmorrhagicis, pectus in conſenſum trahentibus, conſpirant, ſicuti Hæmorrhoidum repentinæ ſuppreſſiones anſam præbuerunt ad præfeſtinatas & contumaces congeſtiones ſangvinis ad pectus atque ad ſupervenientes tales motuum ceſſationes in pectore, quæ tanquam in altero extremo perturbatum œconomiæ animalis ſtatum conteſtantur.

§. VII. Dum itaque natura per tales affectus diu in pectore afflicta fuit, ſubinde etiam difficiles & operoſas commotiones cum pectore exercuit, nec non multis contrariis medicationibus in tali calamitate oppreſſa fuit, merum ſane eſſe haud poteſt, cur eadem denique ex aliquo tædio motus ſuos in pectore continuandas amittat & omittat; quale quid etiam fieri obſervatur, quando eadem natura ad repentinas translationes humorum & motuum intra pectus ſeducitur, ex quibus non niſi gravia & præcocia damna metuenda ſunt, ut propterea tantis anguſtiis obruta illa natura, ex perturbatione & confuſione quadam, motus in pectore deſinat: quo reſpectu œdemata repente retropulſa, ulcera diuturna repente exſiccata, Podagra in adultoribus impetuoſe repreſſa, ſcabies diuturna ſimul & ſemel retroacta &c. ad ſuffocativum catarrhum contribuunt; ſicuti repentinæ pectoris invaſiones cum valde pernicioſis materiis, mox ita afficere & urgere poſſunt ſenſibilem naturam, quo in altero extremo motus in pectore amittat, ſicut in aliis ſubjectis eosdem auget & intendit.

CAPUT IV.

DE

LIPOTHYMIA ET SYNCOPE.

§. I.

ORdo me ducit, quo utrorumque horum transitoriorum motuum vitalium defectuum mentionem faciam, qui gradu tantum differunt, quorum posterior gravior & periculosior est, sed eo ipso etiam infrequentior, prior vero communior, attamen etiam levior; siquidem in genere denotant deliquium in animo, quoad rationem & sensus, in corpore vero, quoad functiones vitales, ita ut vires una evanescant, quæ jactura virium in Syncope totalis & simultanea est, quemadmodum etiam reliquum deliquium & profundius & longius existit.

§. II. Occurrunt hi affectus, vel in subjectis sensibilibus & immorrigera atque immoderata adversorum objectorum apprehensione & æstimatione facile excedentibus, vel in gravibus, repentinis & inopinatis animi & corporis alterationibus, sicuti fœminis frequentiores esse deprehenduntur: deinde Lipothymia citius transit, sed etiam facilius pro recurrentibus causis & occasionibus revertitur: de Syncope contra constat, quomodo aliquando in eventus funestos excurrerit.

§. III. In hisce affectibus præcurrit communiter insolita quædam mollities animi & præcordiorum, una cum angustia quadam & frigidi sudoris eruptione superveniente, vires repente langvent, tremunt & titubant membra, oculi obscurantur, impallescit facies, concidunt oculi, acuminantur nares, obscurantur reliqui sensus, respiratio fit levis, pulsus debilis, tepet superficies corporis, imo friget, evanescit denique & ratio & sensus, ita ut subjecta placide quasi obdormiscant, donec in Lipothymia post breve, in syncope vero post longius temporis spatium subjecta ad se redeant; interea in posteriori affectu pulsus & respiratio ferme penitus aboliantur, ita ut accurata attentione opus sit, circa horum signorum explorationem: de reliquo aliquando syncope correpti & detenti homines pro mortuis habiti & tractati fuerunt.

§. IV. Actus rationis & exercitium motuum vitalium animæ humanæ competit, si itaque ratio, sensus & motus vitales evanescunt, ipsa illa anima in culpa est, quæ ob certas causas sive morales sive vitales tam repente ab hisce functionibus abstrahit: sunt vero ejusmodi causæ ita comparatæ, quo animam sentientem & æstimantem minus præparatam repente obruant, ut ipsa inops consiliorum capessendorum in repentinam talem motuum moralium & vitalium desertionem incidat, & tam diu sensum atque reliquarum functionum exercitium

um de ſuo corpore abſtrahat atque ſubducat, ne adverſum objectum vel ideale, vel corporale percipiat, donec poſt aliquam moram ſeſe in tantum colligit, ut ad priſtinas functiones morales & vitales revertatur.

§. V. Quapropter ad tales affectus contribuit repentinus terror, aut anxia & cum terrore conjuncta repræſentatio, nec non ſubitanea quædam alteratio, aut inconſveta mutatio, atque offenſio motuum, ordinum & functionum vitalium, ſicuti in multis ſubjectis animi deliquium, miſſiones ſangvinis, ſubitaneas mutationes caloris cum frigore, aut nimias ciborum ingurgitationes, copioſas flatuum retentiones excipit, aut prout Lipothymia teneris & ſenſibilibus gravidis fœminis, perquam familiariis eſſe, indies obſervatur, ubi ſub geſtatione fœtus in utero non exiguæ alterationes in interna œconomia vitali ſuccedunt: quid quod valde notum eſt, quomodo poſt prodigas ſangvinis profuſiones, tale deliquium oriatur, quod fruſtra in hoc poſſu defectui ſpirituum aut ſpirituaſcentiæ ſangvinis adſcribitur, cum potius repentina animæ conſternatio & anguſtia, de amiſſione & penuria ſangvinis in culpa ſit.

§. VI. Similiter aliæ ſubtiles occultæ & ſpecialiſſimæ interdum cauſæ ad hos affectus diſponunt, inter quas referendæ ſunt communicationes miaſmatum malignorum in corpus ſani hominis, repentinæ internæ ſtaſes & obſtructiones, Polypi cordis, & quidquid alias repentinum metum & periculum mortis in corpore incutit, prout nonnunquam tales occulti morbi in Hiſtoria practica conſpiciuntur, qui non modo cum tali affectu inchoant, ſed & decurrunt.

CAPUT V.

DE

MARASMO SENILI.

§. I.

Hiſce affectibus, qui motuum vitio defectivo nituntur, annumero adhuc Maraſmum ſive tabem & marcorem ſenilem, licet in præcedentibus diverſorum affectuum memoria occurrerit, qui contabeſcentiam corporis ſecum inferunt: hoc vero loco ſermo inſtituendus erit, de Senum Tabe, quæ præcipue cum ſenum generali reſidua activitate, nec non cum ſpeciali ſenilium affectuum ſerie convenit.

§. II. Prodit ſeſe hic affectus cum viſibilibus phænomenis, quando videlicet ſenes, qui diu vitam tranſegerunt & multas animi & corporis afflictiones experti ſunt, ad extremum usque emarceſcunt, una cum totali virium proſtratione, cutis corrugatione, caloris evaneſcentia, animi ſummo torpore, propenſione

in ſomnolentiam, & concurrente interdum affectu comatoſo, nec non extreme langvente appetitu & reliquo vigore qualicunque ad vitam neceſſario, ſiquidem in omnibus membris internis & externis extrema talis imbecillitas adeſt, ut exinde evidens decrementum omnium motuum aperte ſeſe manifeſtet.

§. III. Hujus Maraſmi in ſenibus occurrentis ratio præcipua hæret in activitatis moralis & vitalis plenaria amiſſione & abolitione, qua anima corporis & vitæ ſuæ pertœſa ſeſe nunc rigoroſe ab offiiciis ſuis, quæ hactenus in hoc ſuo ergaſtulo exercuit ſubducit, præprimis quando in moralibus per multas afflictiones & in vitalibus per multas ægrotationes, defatigata fuit, unde ſucceſſive morales, animales & vitales operationes deſerit & ad placidam quietem atque mortem ſeſe præparat atque componit,

§. IV. Ex eo itaque non in corpore hæret neceſſitas quædam materialis, quo vires & reliquæ alacritates & activitates labaſcant, licet etiam labes quædam & ulceratio, quæ alias contabeſcentiæ cauſa eſſe & fieri ſolet, præſens ſit: propterea etiam hic ſenilis Maraſmus immedicabile malum evadit, dum etiam artificioſorum adminiculorum oblationem eadem natura non attendit aut obſervat, neque eidem obtemperat,

CAPUT VI.
DE
MORTE.

§. I.

Omnium calamitatum clauſula eſt Mors, tanquam abſolutus omnium motuum exitus atque defectus, qui tunc excipit, quando corpus ultro conſervari non poteſt, aut quando anima in ſuo corpore ita extreme & repente perturbatur, ut etiam velociter corpus ſuum deſerat & ad functiones ſuas redire neſciat & renuat.

§. II. Licet inter eruditos diverſæ mortis definitiones occurrant, & inter illas etiam hæc, quod mors ſit ſeparatio animæ a corpore, haud tamen hæc & reliquæ, medico ſenſui ſatisfaciunt, ſiquidem juxta medicas rationes & conſiderationes, Mors nihil aliud eſt, quam mixtionis animalis deſtructio & quicquid repente ad hanc corruptionem diſponit, illud morti repente introducendæ, aptum eſt.

§. III. Sicut itaque per motus vitales, maxime vero per effectus ſe- & excretorios, vita impetratur, ita per abſolutam motuum atque effectuum horum privationem, interceptionem & abolitionem Mors cauſatur & promovetur, unde corruptio mixtionis & imotuum vitalium totalis & conſtans abolitio, ſunt inſepara-

parabilia connexa, ita ut per corruptionem mixtionis quæ in ſtatu vitalitatis adhuc integra fuit mors formaliter occurrat.

Conf. Stahlii Diſp. de Mortis Theoria.

§. IV. Mori per divinam legem neceſſe eſt, attamen ob phyſicam aliquam rationem abſolute mori non cogitur homo, quod ita intelligendum eſt, quod ratio phyſica reddi non poſſit, cur homines moriantur; uti de hac conſideratione in fundamentis pathologiæ hujus actum fuit; ſiquidem ſemper quæſtio continuari poteſt, cur enervantur ſpiritus, cur debilitantur vires, cur depravantur ſucci & humores, cur obrigeſcit corpus, cur infirmantur functiones vitales &c. ex quo propterea liquet, quod alia cauſa ſit, quam phyſica, cur homines moriantur, qualis non alia eſt, niſi activitatis naturæ vel mala applicatio vel decrementum, vel impotentia reſiſtendi imminentibus periculis, licet eadem per multum tempus corpus ſuum ab interitu præſervaverit.

§. V. Inter alias ætates facilius morti ſubjiciuntur infantes teneri & ſenſibiles, nec non langventes ſenes, licet propterea reliqua ætas non exempta ſit; cum corpus perpetuo corruptibile exiſtat, proinde etiam facilius mors obruere ſolet, quo magis externæ & internæ cauſæ corruptibilitatem corporis adeo commovent, quo in corruptionem properet.

§. VI. Morte appropinquante variæ alterationes in homine contingunt, quæ ſeſe in actionibus moralibus, ſenſualibus & reliquis vitalibus functionibus manifeſtant, uti denique multi, imprimis juniores homines, cum convulſivis motibus exſpirant, adultiores vero cum ſoporoſis affectibus e vita diſcedunt.

§. VII. Et licet anima morte jam ingruente operationes ſuas deſerat, tamen non æque pro vero aſſeri & aſſeverari poteſt, quod eadem ita repente corpus ſuum eſſentialiter deſerat, cum eandem nihil amplius urgeat & detineat quandocunque corpus hoc, quod non amplius pro ſuo agnoſcit, deſerit, ex quo etiam eluceſcit, quod Cor non ſit ultimum moriens, ſicut etiam non eſt primum movens, niſi ex nudo ſenſu & craſſa quadam perceptione, ita concludere lubeat.

§. VIII. Quemadmodum itaque juſta principiorum, pro corpore animali neceſſariorum, mixtio, & cauſarum atque materiarum, mixtionem hanc lædentium, conveniens remotio, non modo initium, ſed & complementum vitæ animalis efficit, ita contra horum principiorum diſſolutio & extrema divulſio atque omnium functionum vitalium plenaria & perpetua privatio mors eſt, in quantum mox corruptio illa ſupervenit, ſive vitæ animalis

FINIS.

Errata Typographica potiora, quæ in curſoria perluſtratione primarum Phyſiologiæ & Pathologiæ plagularum occurrerunt: pag. 8. th. 69. l. 3. leg. connexa. p. 25. th. 157. l. 3. leg. hæ ipſi acceptæ aut adverſæ ſunt. p. 34. th. 52. l. 1. leg. hæc aſſertio. p. 35. th. 59. l. 1. leg. duplicatam. p. 37. th. 75. l. 1. leg. A tempore conceptionis. p. 110. th. 25. l. 2. leg. παθῶν. p. 132. th. 5. l. 3. leg. inquinationes. p. 136. th. 9. l. 6. leg. incidit. p. 140. th. 33. l. 3. leg. à jactura. p. 145. th. 6. l. 2. leg. imminutionem. p. 150. th. 9. l. 3. leg. varias. th. 10. l. 1. leg. ſangvis. th. 12. l. 2. leg. abſolvuntur. p. 152. th. 4. l. 7. leg. accuſatur. Reliqua b. c. d. in futurum annotabimus.

